14
1 F
12

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12-4-f-12.

13.1.15.
13
14

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS DE RE MEDICA OPERA QVAE HIC SEQVNTVR.

Erotematum ſiue cōmentariorum in libros de criſibus Galeni libri tres.

Erotematū numeri ternarij libri ſex in quibus tota ferè ars medica cōtinetur.

Erotemata de difficili ſpiratione.

Erotematum de uſu reſpirationis liber alius.

De corde liber unus abſolutiſsimus in quo tum Ariſtotelis ꝙ plurimi errores explicantur, tum uero plurimæ quæſtiones enodantur.

Galeni liber de ptiſana.

Galeni de eo quod ſit animal, id quod utero continetur.

De eo ꝙ Galenus animam immortalem eſſe dubitauerit, liber unus.

Item alia quædam. legat lector candidus & nec ſermonis ornatum nec doctrinā exquiſitā quod rarū eſt in homine nec in Latio, nec in bellade nato deſiderabit.



OLYSSIPPONE.

M. D. XL.

AD CLARISSIMVM VIRVM IOANNEM DE BARROS ANTONII LODOVICI MEDICI OLISSIPPONENSIS EPISTOLA.

CVm quoſdam Erotematum libros uir clariſſime in uulgus edere debuiſſem, quibus maximã medicinæ theorices partem cõprehendiſſe mihi uideor. Et opus ſine patrono prodire recuſaret, eos tibi imprimis nuncupandos ſtatui ſub cuius auſpicijs hoc opus in manus hominũ daretur. Tu nãq; ut ille inquit meas eſſe aliquid nugas exiſtimare ſoles. Tu magnifice de nobis noſtriſq; litteris ſentis, te nullum alium præſtantiorem deffenſorem meis ſcriptis cõparare poßim. Tu eruditione & nobilitate præſtas, ſiquidem uera nobilitas eſt uirum integerrimum & incorruptum ſeſe præſtare. Nulli ocij & negocij ratio magis quam tibi uni conſtat & perire omne tempus arbitraris, quod in libris litterisq; non inſumatur, dies reipublicæ impendis, noctes cum muſis & ingenuis commentationibus commutas, maioremq; omnino partem ſtudio quam ſomno tribuis. Tuoq; ex ore quod de Neſtore ſcripſit Homerus melle dulcior profluit oratio. Tu itaq; multorum millium mihi inſtar es, quod de Platone dixiße poetam Antimachum ferunt. Ad hæc tuis humeris regia & publica incumbunt negocia. Cũq; ut Bias inquit magiſtratus uirum oſtendat, in hoc publico munere quo fungeris, & rerum indicarum negocia procuras: talem te & iam per multos annos geſſiſti, ut omnibus miraculo habearis, adeo ut neq; Momus ipſe (qui Veneris ſandalium ut nimis crepitãtem & ſtridulum reprehendere auſus eſt, Iouiq; etiam uitio dedit q̃ hominum feneſtrata pectora non fecißet) nihil in te inuenire poßit quod uire carpat. Ita omnem uicij & ſuſpitionis notam reliquiſti ut nihil ſiniſtri quiſquam de te ſuſpicari queat. Iam uero cum multa tua in me beneficia extarẽt operepræcium ſane fuit & ratio exigebat, ut nos te hoc litterario munere donaremus, ut ſit noſtræ erga te obſeruantiæ immortale monumentum, multum imo uero plurimum ſe tibi medici omnes debere fatebuntur: quicunq; in horum librorum lectione fuerint uerſati. Omnes amant breuitatem, prolixos ſermones fugiunt quãuis utiles. omnes ut Plinius inquit ingeniorũ oblectamẽta & amœnitates quærimus. Nihil legere iuuat quod nõ breuibus ſententijs claudatur. ſiquis liber magnus eſt, eius uix tribus paginis perlectis, mox illum e manibus deponunt. neq; abs re dixit Flaccus. Quicquid precipias eſto breuis. Cum igitur nos hoc in opere tibi dicato quam plurima & exquiſitißima ex Galeni omnium medicorum ſine controuerſia facile principis librorum uaſtiſſimo pelago breuiter nouo quodam & iocundo & aphoriſtico modo docuerimus, non eſt q̃ nobis homines immortales gratias non referant. Tu igitur hos libros à calũniatorum morſibus defendas nullum iam præclarum eſt opus quin ſuos uitiligatores habeat, qui dãnant in publico quod legunt in ſecreto. detrahũt omnibus etiam ijs quæ non intelligere poſſunt. tenere ſe artem pollicentur, cum tamen nunq̃ quicq̃ quod lectu dignum ſit ex arte proferant. Methodum ſe ſcire profitẽtur: quam tamen nunq̃ exercuerunt aut ex ea fructum aliquem protulerunt. Iudicium ſibi uendicant miſeri homines cum tamen mente & cerebro iudicioq; careant. De quibus inquit Paulus ſemper addiſcẽtes nunq̃ ad finem peruenire potentes. ingenioſi in alieno libro uideri uolunt. Hij nullam aliam ſubinde quam ex aliorum reprehenſione maiorem ſibi gloriam aucupantur. Et quemadmodum cantharides inter læta ſata & feraces fruges proueniũt, & muſcæ ad ſuauiſſima & flagrantiſſima (quod Salomon prodidit) unguenta cõuolant, ſic ij optimis & nobilißimis ingenijs nihil aliud quam detrahere & allatrare nouerunt. Et ut magni Baſilij exemplo utar. Quemadmodum iniqui pictores ex uitijs & dehoneſtamẽtis corporis ut ſcilicet ex deformi oris hiatu, inflatis buccis, oblonga naſo, diſtortis oculis, exiguo capite, & turpi caluicio effigies quaſdam cognoſcendas tradunt. Ita & ij optimis quibuſq; pretermißis neuos quoſdam qui etiam in formoſo corpore pulchriores uideri ſolent inſectantur, & uoculam aliquam aut ſyllabam lacerant atq; ex uno omnium iudicium faciunt. Optime & ægregie cum rebus humanis ageretur: ſi uirtuti ſua ratio conſtaret & debitus honos redderetur. Hinc & non iniuria quendam magni nominis philoſophum ſe non adeo profeciße dixiſſe ferunt: q̃ nullus adhuc ſibi inuidiſſet. Tunc equidem mihi plurimum placere ſoleo: & me aliquid profeciße cognoſco quando aliquos emulatione exagitari uideo. Inuidia (ut Pindarus inquit) miſeratione multo præſtantior eſt. diſpliciuiſſe malis non minima laus eſt. Hos ego ad coruos (ut in Græco prouerbio eſt) mitto, mediumq; unguem mando, nunq̃ propter illos noſtrum ceſſabit ingenium. cæteros autem qui ſunt probi (quales plurimos eſſe non dubito) rogatos uolo, ut more Ephecticorum philoſophorum epochen ament, cohibeant aſſenſum, tarde ſententiam proferant: ſutor (quod monuit Appelles) ultra crepidã non iudicet intelligãt prius deinde lacerent, trutinent omnia & uelut in examine expendãt: & tãdem ſi quam ex noſtris laboribus utilitatẽ retulerint (quod Thales à diſcipulo petit) auctorem fateantur & nobis quod Ariſtoteles in Elenchis poſtulat: condignas grates cognoſcant. Vale muſigeta & bonis litteris quod ſemper facis fauere perge.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS EROTEMATUM libri tres: in libros de criſi Galeni, in quibus quecunq; ab illo, tũ in prædicto opere, tum uero alijs in locis ſcripta ſunt: ad eandem materiam pertinentia, exactiſsime & compendioſe continentur. opus & facundum, & medicinæ candidatis utiliſsimum.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC.

QVid eſt criſis? Eſt magna & ſubita mutatio in morbo ad bonum uel ad malum, uel eſt perturbatio antecedens illam mutationem.

2 Quot ſunt tempora morbi? Quattuor. Principium augmentum, ſtatus & declinatio. Scire autẽ operæpretiũ eſt, alia quidem eſſe particularia acceſsionum ſingularum tempora, alia uero in uniuerſum totius morbi, & ꝙ plures ſane in intermittentibus ſunt eiuſmodi inuaſionum partes, pautiores in cõtinuis, quæ ex dierum interuallo acutius premunt, duplo autem minores: in continentibus febribus, quæ æquali uſq; ad exitum tenore affligunt, numerantur.

3 Quot ſunt in intermittẽtibus particularia tempora? Sex. primũ quidem tempus eſt, quo uel perfrictionibus, uel borrore, uel rigore per mẽbra eunte ſubito corripitur æger & moleſtijs quibuſdã capitur, & ægre fert, & cõtrahi in ſeſe, & borrere incipit. Secũdum eſt inæqualitatis tempus per quod calor cõtratendit, & ab alto ad extimas partes reuocatur, quoad per totũ ſit æquabili diſtributione diffuſus. Tertium eſt incrementi tempus: cum calor iã per omnia ſparſus, uires continuo ſuſcipit, & ſucceſsiuis incremẽtis adaugetur. Excipit poſt bæc uigor cum calor inæquali tenore perſtat, deinde declinatio, cũ omnia bæc iam declinant, & calor fit minor, & perbalitũ digeritur, relinquenſq; thoracis partes ad ſũmos pedes paulatim deſcendit. ſextum tempus infebricitationis & quietis ſuſcipit, quod ad reliqua tempora ſubſequitur.

4 In febribus continuis quæ acceſsiones capiunt, quot partialia tẽpora inueniuntur? Quinq;: nã cætera omnia ferme ſunt paria, præterq; ꝙ ad infebritationẽ non terminãtur. In ijs igitnr quæ rigorem uel borrorem, uel perfrictionem inuadentes fatiunt, facilis eſt priorũ illorum temporum ab alijs dignotio, ſed tam in bijs, q; in quibus nulla fit cum ingruunt acceſsionis ſignificatio, tẽpus illud quod ad quietem

ſequitur, & inæqualitatis ſtatũ, preclare ſyſtole id eſt pulſus contractio circũſcribit. Namq; & ſi quædam ſint, quæ nec frigoris nec rigoris imprimunt ſenſum, nec ſignificationem fatiunt, quod eſt ceu quoddam claſsicum antecedens futuræ febris: in omnibus ijs tamen pulſus intro citatiores & frequentiores manifeſto conſpitiuntur, q̃uis & tardior & rarior non parum appareat dilatatio.

5 *In febribus continentibus quæ nec frigere, nec horrere compellunt, quot partes poni debent? Tres dũtaxat. Nam calor à principio ſucceſsiue adaugetur quoad in ſummum uigorem perueniat. In ijs ſiquidẽ tria integra tẽpora perfecte pereunt, nõ enim ſignificationẽ inuaſionemue cõmittunt, nec calor à principio intus colligitur, nec mox inequaliter diffunditur, nec quies aliqua conceditur, ſed confeſtim ab initio annotationem acceſsionemue incompreſſam faciunt, hoc eſt eam in qua nec quicq̃ arteriarum ictus reciprocant ad interna.*

6 *Qui morbi habent uniuerſalia hæc quattuor tẽpora? Salubres. nam exitiales, quidam in principio, quidam in aſcenſu, quidam in ipſo uigore perimunt. Verũ hæc cruditatibus & coctionibus optime inter ſe diſtinguntur.*

7 *Quo pacto nuncupat medicorum ſummus Hippocrates hæc uniuerſalia tempora? Vocat cataſtaſes hoc eſt conſtitutiones cum ait, paroxyſmos & conſtitutiones morbi indicabunt.*

8 *Qui modus dignotionis horum tẽporum? Non alius q̃ quem docuit Hippocrates: ex idea morbi, ex anni temporibus, ex acceſsionum ad inuicem collatione, necnon & ex ijs quæ ſuperapparent.*

9 *Ex morbi natura quo modo dignoſcuntur? Si morbus ſit ex genere eorum qui diu durant, longiora habet & principium, & reliqua tempora. Si ex acutioribus breuiora. Vt tertianam cum uides, iudicas mox hanc cum citius terminetur, principium minus obtinere, & reliqua quæ ſequuntur tempora, otius q̃ quartana habituram. Nec enim licet dicere morbum diuturnũ, & qui multis finitur menſium ſpatijs, paria & æqualia, cum eo qui paucis numero periodis porrigitur, uniuerſi morbi tempora ſortitum. Sic febris ardens, Pleuritis, pulmonum inflammatio phlegmoneue, breue habent principium & alia tempora. Morbi comitiales, articulorum dolores, coxendices, & renum affectus, longiora hæc omnia poſſident.*

10 *Ex anni temporibus horiſue quomodo ægritudinis tempora dignoſcemus? Iſto modo. Eſtiuæ quartanæ magna ex parte breues. Autũnales longæ & maxime quæ cum hieme copulant. Eodem modo morbi omnes qui per brumam accidunt, longiores ſunt, æſtate breuiores, & omnia tempora otius aſſequntur.*

11 *Ex acceſſionum ad inuicem comparatione temporũ morbi quã habebimus notitiã? Ex magnitudine, ex lõgitudine, ex propoſitione ſeu anticipatione. Vt ſi primo præcedẽte paroxyſmo longiore, ſequens ſit longior, & cum ſeuis ſymptomatis ingruat, nec æger ferat facile morbum, & horam ſolitam anteuertat, non obſcura inditia ſunt increſcentis morbi, & pergentis ad ſtatum. Sin autem & tardius occupet, nec uehementior, nec adeo prolixus, & æger uim morbi æquo animo toleret, ſero iudicandum coniectare poſſis.*

12 *Ex anticipatione acceſſionũ nũ morbus ſemper increſcere ſignificatur? Non. Quia quidã morbi, non quia augentur, ſed ex propria natura hoc faciunt, atq; ab initio ad finem continuo anteuertunt, ut quædam tertianarum genera.*

13 *Quomodo horum tempora ex hoc ꝗ ante inuadant, inueſtigabimus? Si præter morẽ habita proportione multo citius ꝙ ſolebãt, præripuerint hominẽ incautũ.*

14 *Quid intellexit Hippocrates per ea quæ mox apparent (quæ Græce epiphænomena uocat)? Nihil aliud ꝙ uel euacuationes creticas, quæ ut cauſæ morbũ remouere creduntur, uel ſigna harum excretionum ſignificatiua, & cõcoctionis notas, uel generis uenoſi & arteriarum, uel organorum reſpirationi ſeruientium, uel alui inferioris.*

15 *Quotupliciter principiũ ſumitur? Tripliciter. Primo pro prima inuaſione morbi exacta & impartibili, & quæ latitudinis expers eſt. ſecundo pro ſpatio tẽporis anteꝙ inuadat ſecunda acceſſio. tertio pro toto eo tẽpore quo nullæ cõctiones in excrementis apparent. Horum modorũ primus eſt reijtiendus omnino à medico, ſecundus inartifitioſus, tertius artifitioſus.*

16 *Quinam morbi dicuntur incipientes mox recepiſſe ſtatũ? Qui ſiue prima ſiue ſecunda ſiue tertia die ad uigorem ueniant, hinc uſq; ad morbi integram ſolutionem extenduntur, abſq; hoc quod ſenſu perceptibilem alteram paroxyſmi inuaſionem habeant. Quales ſunt continuæ quædam febres quas dicit Hippo. mox ut inciplunt floreſcere atq; uigere.*

17 *Quomodo cœpit Hippo. principium: quando dixit Pleureticis ſputum ſi appareat, incipientem morbum abbreuiare? In ſecunda acceptione. uidelicet ante inuaſionem ſecundi paroxyſmi, qui ut plurimum illis per tertium obuiant.*

18 *Quanto tempore producitur principium hoc ſecundo modo conſideratum? Vſq; ad diem tertiã ut ex prognoſtico innoteſcit, ubi de uultu lætali agitur. Nam cum prædixiſſet ſi ab initio talis facies apparuerit, pernitioſum, ſubintulit. Si uero iã uetere exiſtẽte morbo, uidelicet triduano, aut quatriduano, ubi ſatis patet uſq; ad tertiam diem eum principium circunſcripſiſſe.*

19 *Quiſnam horum modorum utiliſſimus in artis operibus eſt & maxima medico ſignificare eſt aptus? tertius.*

20 *Quam longo tempore principium hoc ſecundo modo cõceptum protenditur? quamdiu non apparent coctionis ſigna.*

21 *Eſt ne hoc modo principium æquale in omnibus morbis, an ſingulis peculiare? unicuiq; ſuum proprium initium eſt, & ſic ſumptum ad multos etiam quaternarios porrigitur, & etiam ad menſes in ægritudinibus que tarde concoquntur.*

22 *Inflammationes phlegmonæue quot habent tempora? hæc ipſa quattuor. Incipit namq; per totum id tempus, per quod fluxio ſanguinis ad particulam deriuatur, late meatus omnes & cauitates diſtendens (talis enim inflammationum generationis eſt modus) cum autem putrore ſanguis qui influxit, corripitur: & fundi incipit, propter calorem, q̃uis defluxio quieuerit, inflammationis tunc incrementum eſt. Vbi autem cruor in pus conuertitur, inflammatio uiget, quo tempore & dolores augentur, & febres magis accidunt. At cum exacte ſuppuratio uel perfecta eſt, uel digeſta remedijs, & diſcuſſa perhalitum materia cõceſſit, ad declinationem maturaſſe inflammationem manifeſtum eſt. Nam & accidentia releuantur, & omnia leuius & mitius ſe habere circa ægrum uidentur.*

23 *Quo pacto in febribus quæ à putreſcentibus humoribus proueniunt, hæc tempora ſeparantur? hoc modo. Totum id tempus per quod morbus permanet incoctus, principium eſt. Cum autem cruditatis ſigna remittũtur, & incipit ægritudo coqui, augmento id tempus aſſignatur, quo cochiones indies & continuo magis procedunt. Vbi uero omnibus numeris abſoluta concoctio eſt, ſtatum id tempus eſſe dicimus. Cum autem accidẽtia mitiora iam ſunt, & leuior morbus, declinationem aduenıſſe aſſerimus.*

24 *In ulceribus quo pacto horum temporum diſtinctio accipietur? hoc modo. à principio multæ, & tenues, & crudæ ſanies in particulam ulcere obſeſſam influunt, proceſſu pauciores, & craſſiores. in ſtatu non iam ſeroſæ illæ humiditates ab ulcere deſtillant, ſed tabo & pure quodam tenui membrum apparet cõſperſum, cuius cum fuerit minuta quantitas, & craſſitudinem fuerit indeptũ, declinationem ulcerum adeſſe nequicq; ambigendum eſt.*

25 *In inflammationibus oculorum (quas Ophthalmias appellant) hæc quomodo diſcernemus? in prõptu id eſt. Incipiẽte malo multa, & tenuis, & acris, & mordax ad oculum defluxio deriuatur. Profectu temporis minor, ſed tamen craſſior. In ſtatu lippitudines quædam (quas lemas uocant) adeo lentæ & craſſæ cõſpiciuntur, ut genas glutinent, & uix oculos aperire ſinant, ubi uero declinatio adeſt, lip-*

pitudo tum craſſeſcit, tum ſeipſa minor euadit.

26 In deſtillationibus ad fauces, & ad nares (quas grauedines & raucedines nominãt) & in ijs quæ per os & palatum expurgantur, inſunt ne hæc omnia tempora? Eadem omnino ratio de ijs & pronũtiatio eſt. Sub principiũ multa, & tenuia, & acria, & incocta purgãt & educunt. Pautiora & magis craſſa cũ morbus increuit. In uigore autem nondum iam ſtiriam, quæ naſo propendeat, ſed muccũ craſſiorem emungunt, (quem blænã & myxam Græcorum filij nuncupare moris habent) Poſtremo id quod emungitur, multo minus & craſſius, & ex albo pallidum eſt. Ita igitur in omnibus ſe res habere dignoſcitur. Circa principia omnia cruda ſunt, & incocta, & quanto morbus principio propior eſt, quanto autem ad ſtatum magis accedit, decoctior omnino redditur. Nam in coctionibus quæ à natura fiunt, craſſities ſubſtãtiæ plurimũ comitari ſolet, ut potẽ quæ humores quoſcunq; ad nutritionem ſolidarum particularum conuertere ſemper enitatur. Quo fit ut coctiones ſemper ingroſſent tum urinas, tum alui excrementa in ijs qui non concoqunt, ad hæc & expuitiones, in ijs qui à Pulmonia uel à Pleuritide laborant, ſed & purulentiã in ulceribus, & lippitudines in oculorũ Epiphoris, preterea & pituitates in defluxionibus, & deſtillationibus uel grauedinibus ad nares. Omnia hæc quippe principio cruda & tenuia uiſuntur, cum autem coctiones procedunt, craſſitudinem ſubſtantiæ induunt & acquirunt.

27 Quare qui inflãmatas particulas confeſtim ab initio morbi purgatione ſoluere nituntur, ex eo humore qui eſt infarctus, & tumorem durum inflãmationẽq; efficit, nihil adimunt, ſanas autem partes liquefaciũt? Quoniã non cõcedit paſſio, nec facile ſequitur, dum adhuc permanet incocta.

28 Quare concocta iuſſit purgari Hippo. & per principia hoc factum cauere? Quoniam tunc morbus eſt crudus, & humores craſſi, atq; lenti, non bene parent tractui purgantium medicamentorum.

29 Quare idem auctor in prima ſectione Aphoriſmorum: in acutis quidem paſſionibus raro utendũ pharmatijs id eſt medicinis purgãtibus precipit, ſed in principijs tamen hoc faciendum, quando ita res ferat, ſibi enim pugnare uidetur? quoniã ibi per acutas paſſiones, eas in quibus humores turgẽt (quas medicis moris eſt appellare furioſas) intellexit.

30 Quæ egritudines turgidæ dicũtur? turgere proprie competit animalibus ad uſum uenereum rapiẽdum properantibus. Per trãſlationem autem egritudines illæ turgeſcere nuncupantur, quæ nimis urgent, celeriterq; mouẽtur, & in quibus laborantis ſenſus, ab inordinato humorum & ſpirituũ flatuũue motu irritantur.

31 *Quare huiuſmodi ægritudines inter initia purgare licet? quia ad leuiorem attractionem, mobilitas humorũ aliquid facit. eos autem morbos in quibus ſucci non ſolum crudi, ſed & ſtabiles in aliquo loco ſunt permanentes, nullatenus experiri aut mouere tentamus.*

32 *Super apparẽtium quotuplex eſt modus? triplex. primo modo euacuationes quæcunq; aut abſceſſus, aut ſudores, uomitus, alui ſeceſſus: ſanguinis fluores, collectiones trans aures, ſuper apparentia dicuntur, & hæc ſi eueniant tanq̃ cauſæ remouent morbos. Secũdo ſuperapparẽtia uocamus ſigna illa euacuationum ſignificatiua ut delirium, peruigilium, dolores, lachrimas, ſomnum grauem à quo difficilis ſit excitatio, uertigines, reſpirãdi difficultates. Principaliſſime autem & propriiſſime ſuperapparentia nuncupantur ſigna concoctionis morborum.*

33 *Quod eſt ſignum ſignificans ſupra genus uenoſum, humoreſq; qui in ijs continentur? urina. Et alia quidem ſupra cruditatem notat, ut ea quæ alba, tenuis & aquea eſt. Alia uero interitum deſignat, ut nigra, alia uero ſalutis & concoctionis certiſſimum ſignum eſt.*

34 *Quod eſt ſignum denotans ſupra membra reſpirationi deſtinata? Sputum & aliud quidem cruditatis eſt nota, ut ſi nulla, aut ſi cum tuſſi ualida difficulter expuant. Aliud mortem portendit, ut quod nigrũ eſt. aliud ſalutem indubitatam & concoctionem oſtendit, ubi flauum ſcilicet eſt uehementer cõmixtum ſputo, & ſine labore à principio mox emittitur abſq; tuſſi.*

35 *Sputum quod proprie uocamus? illud quod optimũ eſt, & tale quale eſt hominum integra ualitudine agentium. Quod uero aut bilioſum, aut ſeroſum, aut ſanguinis, aut atræbilis mixtura infectũ eſt, hæc omnia expuitiones appellamus.*

36 *Ex quibus ſignis habemus coniecturam ſupra uentrẽ & inteſtina? ex excrementis quæ triplici etiam differentia diuiduntur. Nam alia cruditates, alia coctiones, alia mortem & pernitiem preſentaneam preſagiunt: ut quæ ex atrabile infra ſubeunte fiunt.*

37 *Qualia in quibus contemplari oportet? In febribus omnibus urinã: & etiam in morbis ueſicæ, ureterũ, penis, renum. In coſtali autem dolore, aut pulmonis, aut muſculorum thoracis inflãmationibus, & deniq; in paſſionibus pectoris, & mẽbrorum uſu reſpirationis fungentiũ, ſputum: & urinam precipue in Pleureſi: nam hæc non eſt ſine febri. Supra affectus autẽ alui inferioris, uidelicet inteſtinorum, & uentriculi, ſi ſine febri adſint: fimum qui uentre fertur, contemplator: ſi febris urgeat & urinam.*

38 *Concoctionis ſigna an ſemper ſalubria ſint, & iudicandum denuntient mor-*

bum? ſalutem quidem nullo non tempore breui futuram notæ coctionis demonſtrãt ſi mox, tardiorem autem, ſi ſerius. Non omnino autem iudicio ſoluendam ægritudinem cõpromittunt, quoniam morbus malumue paulatinis acceßionibns concoctum ad omnimodam ſolutionem peruenire poßit.

39 An ſigna cretica, ut faſtidia, ut capitis dolores, ut uentriculi remorſus, ut ſplendores ante oculos apparẽtes, ſemper & iudicium illatura, & bona cẽſeamus? non. ſed ſi in tẽpore contingãt, utilia: quandoq; autem noxia, nõ nunq̃ adeo nihil iuuant, ut malum etiam neceßarium, & ineuitabile denuntient. Et ideo Hippo. nolebat, ut criſima ſigna apparerent ſtatim à principio. Id autem omni alio uerum magis ſane exiſtit, iuditio eum morbum finiendũ, quem hæc ſigna præceßerint.

40 Quando principium finit? cum primum coctionis ſigna apparuerint. Itaq; ad artificialem coniecturam principij, initium augmenti, ad diffiniendum autem tẽpus in quo morbus aſcendit: principium ſtatus prænouiſſe neceſſarium eſt.

41 Quando morbus incrementa ſuſcipit? quando exacerbationes præponuntur, quando ſunt maiores, quando ſunt uehementiores.

42 Quãdo eſt ſtatus? in acutis quidem paßionibus principium criſis eſt extremus limes aſcenſus, & initium uigoris. Igitur quãdo morbus affatim permutatur (quod iudicari dicimus) quando ægritudo robuſtißima eſt, quãdo extremos affert labores, uigorẽ in foribus adeſſe cognoſcito. In morbis autem longis: ſi duo aut tres paroxyſmi poſt augmentum ſunt ſimiles, totum id tempus ſtatui debetur.

43 An certum numerũ paroxyſmorũ conſimilium ſit dare quibus uigoris tempus preſcribatur? non. ſed in morbis acutis non facile tres ad inuicem ſimiles acceſſiones reperies: in diuturnis autem non tot ſolum modo, ſed & in multo plures ſtatus tempus procedit.

44 Excrementum alui per quod ſignificamus ſupra membra quæ ſunt infra thoracem quale optimum eſt? quod molle, & conſiſtens, continuumue eſt, & quod ea hora excernitur qua per ſalutis tempus ſubibat, quodq; quantitate multitudineue ingeſtis proportione reſpondet.

45 Debet ne aliquid aliud habere excrementum quod nobis bene habere inferiorem aluum & concoctionem optimam oſtẽdit? ita. Opus namq; eſt, ut etiam præter illa, ſit ſubruffum, nec graueolens.

46 Seceßus qui non ſeruat tempus in ſalute conſuetum poteſt ne ſignificare ſupra coctionem laudabilem? poterit. Nihil obſtat namq;, ꝙ q̃uis pulchra præceſſerit cõcoctio, ſerius aut otius eat aluus, aut quia calor ſeu inflãmatio aliquorũ membrorũ circunſtãtium, exuxit & exiccauit excremẽta, aut quia non facta fuit cõmo-

da in totum corpus digeſtio, adeo ut ſuperfluitates remanſerint humidiores.

47 Si excrementum alui fuerit conſiſtens & molle? quid indicat? oſtendit quidem concoctricem facultatem robuſtam eſſe, coindicat autem & mox nullam uicinarum particularum eſſe inflammatione obſeſſam, & digeſtionem cibi in totum corpus omni uitio caruiſſe.

48 Quo modo excrementũ coniunctũ & molle indicat coctionis ualẽtiam? quia ſi diminute fuiſſet perfecta, non conſiſtens, ſed humidius fluidiuſq; redderetur.

49 Nũquid igitur hæc non ſuffitiũt ad hoc ut excrementũ hora ſolita egeratur? non. quia poteſt etiam nũ ex alijs cauſis otior aut moroſior illius expulſio fieri.

50 Quid eſt in cauſa ꝙ citius profluat uenter? debilitas retentricis, aut morſio alicuius irritantis humoris.

51 Prouenit ne aliquando ex fortitudine uirtutis concoquentis? non. quia ea non modo in ægris uehementior non eſt, ſed etiam bene cum illis agatur, ſi non multum à naturali diſpoſitione recedant.

52 Tardius autem quare deijcitur uenter, ꝙ̃ dum ſani agebant? aut propter concoctionem tardam, aut ſegnem per inteſtina delationem.

53 Quare ſecundum proportionem eorum quæ fuerint eſitata, ſi non reddantur excrementa eſt malum? quia eſt ſignum imbecillitatis excretoriæ & expultricis: & cauſa ꝙ maneant intus aliqua excrementa quæ ſatius erat excerni.

54 Si hæc igitur adſint quid inde conijcere poſſumus? ſalubrem eſſe inferiorem uentrem, & uirtutes expultricem, & alteratricem cõmode agere. Si autem aliqua ex dictis deffitiant, uel relinquantur, aut tarditatem concoctionis, aut expulſiuæ fragilitatem, aut uitium digeſtionis in corpus cauſaberis, aut ſymptoma aliquod ſicuti morſum acrium humorum, aut inflãmationem, uel omnino caliditatem membrorum quæ circumaſtant debito maiorem, in re eſſe coniectabis.

55 Quare debet eſſe excremẽtum non male fetens? quia putrefactionem magnam intus factam demonſtrat.

56 Quod eſt crudum excrementum? Aſperum, quod eſt, & tenue, & humoris expers.

57 Quare ſubrufum eſſe debet? quia quod ſimile eſt colori comeſtorũ nullam bilem, ſumme autem rufum: inmodicã influere in excrementa ſignificat, ſi in principio morbi id contingat. Nam in fine expurgari ſufficienter corpus oſtendit.

58 Eſt ne aliud excrementorũ genus? profecto. quod non ſecundũ diſpoſitionẽ aſſumptorum fit, ſed humores dominantes oſtendit, atꝗ; conſequitur. Vt eſt flauum quod à bile pallida gignitur, uiride quod ab eruginoſa, atrũ à melancholia, aut ſan-

guine retoſto, pingue quod ex colliquatione pinguedinis prouenit, uiſcoſum & precedēte deterius, quod fit, cum partes ſolidæ liqueſcunt, in quibus id ſūmopere perſpici debet, ne quis cibus fuerit in cauſa, aut coloris excrementorum, aut lentoris, aut pinguedinis, aut graueolentiæ. Semper enim id quod ui morbi prouenit, diſtinguere oportet, ab eo quod propter externam quampiam cauſam eueniat.

59 Malorum excrementorum ſunt ne alij modi? ſunt. uidelicet ſtridens quod cum crepitu & fragore quodam deſcendit, ſpumoſum, & uarium.

60 Vndenan iſti ortum habere poſſint? ſtridens quidem humiditatem tenuem flatibus recōmixtam, & organorum anguſtias atq; cōtractionem conſequitur, & ex caliditate fit immoderata liquefaciente corpus. Spumoſum autem tunc prodit, cum ebulliens aliquod feruenſq;, uel ſpiritus flatuoſus pugnant cum humore incluſi, & inequalem affectionem diſpoſitionemue indicat. Varia autē quæ ſunt, uarios quoq; affectus in corpore exiſtentes demonſtrant, & difficulter ſanabiles, atq; malignos, quoniam ſimplex affectio uel breui tempore & facilime curetur, at quæ à cauſarum diuerſitate pendent, longiſſimo tempore ad coctionem indigent: ut ſaneſcant.

61 An excrementum quod conſiſtens & molle eſt, etiam mox leue eſſe neceſſum ſit? omnino. Si enim aliæ partes aſperæ, aliæ fluide eſſent, non eſſet cōtinuum. circunflueret nāq;, nec ſe cum alijs unire poſſet, nec communionem cum illis facere, decidens atq; labaſcens. Atq; de excrementis alui ſic diffinire oportet. de urinis reſtat dicamus: quoniam hæc tertia ſignorum genera propoſuimus.

62 Quæ urina optima eſt? quæ ſubrufa, & ſubflaua eſt, & magis quidē ſubrufa, q̄ ſubflaua, craſſitudine mediocris, ſubſidentiā habēs albā, lenem, & æqualem, & multam., non diuulſam, quæ deniq; urinis beneſanorum hominum ubi concoctio ſecunda perfecta fuerit, ſimilima eſt.

63 Quid ſignificāt urinæ quæ tales non ſunt? Aliæ cruditatem, ut turbidæ, & tenues. Aliæ interitū, ut nigræ, liuidæ, uirides, fetidæ, folioſæ, furfureæ, hordei farinæ craſſiori ſimiles. Aliæ ſemicoctionem, ut ſubrufæ, & ſubflauæ cū tenuitate ſubſtantiæ: uel habētes hypoſtaſim albam, & leuem, ſed diuulſam, aut non per omne tēpus morbi, ſed uiciſſim talem aparentē. Aliæ longitudinem temporis in quo liberandus ſit æger demonſtrant, ut ualde rubræ cum eiuſmodi hypoſtaſi, aut quæ à ſanguine non omnino concocto tinguntur.

64 Vrinarum turbulentarum quotuplex eſt differentia? triplex. Nam quædam q̄uis tales mingantur: mox ſubſidentiam fatiunt, quædam turbidæ exeuntes tales uſq;quaq; permanent. quædam cum puræ exierint, poſt tempus perturbantur.

65 Quæ eſt harum urinarum ſignificatio? primæ parum quid de conturbatione

inæquali ſupereſſe demõſtrant, ſecundæ agitationẽ in ſanguine uigere & conturbationem ſignificant ratione cuius turbulentiæ capitis dolor ut plurimũ ad tales urinas ſequi cõſueuit, quia magna fiat euaporatio ad caput. tertiæ adbuc nullã coctionem ſortitæ ſunt, ſed concoqui incipere debent.

66 Quæ harũ deterior eſt? Tertia. Longo enim tẽpore & uirtute robuſta indiget ad coctionem: deinceps ſecunda, quãtũ malitia relinquitur à tertia, quæ futurã adbuc fluctuationẽ indicat tanto eſt prima prauior, in qua fluctuatio iam ceſſauit.

67 Vrinarum tenuium quotuplex eſt modus? Triplex. Quædã enim aquea eſt alba ſcilicet, & tenuis. quædam quæ uentriculi diarrhiæ, aut leuitati inteſtinorum, proportione reſpondet, quæ ſcilicet præter hoc ꝙ aquoſa eſt, etiam nũ contineri nõ poteſt, ſed celerrime otiuſq; egreditur. Alius modus eſt urinarũ in quibus puſcu lum paruum bilis rufæ, urinæ illi tenui & aquoſæ admiſcetur. Veluti ſi imagineris modicum quid ex uino tenui & albo aquæ immixtum. Porro ſi per febres ardentes in quibus bilioſa urina eſſe ſolet, album & tenue lotium appareat, raptum bilis ad caput, & delirium, & exitium preſentaneum præſagit, bilis acrimoniam cerebro ſuſtinere nequeunte.

68 Quæ harum eſt peſſima? Quæ in diabetica profluit. Nam duarũ facultatum ultimam perditionem denotat alteratoriæ ſcilicet & retẽtricis. Quæ uero tenuis tantũ, & alba inſtar aquæ exiſtit, quoadhoc ꝙ neutra coctionis aliquid obtinuit. ſimilis eſt primæ. minus tamen mala. quia uniũs tantum alteratricis impedimentum ſignificat. tertia exiguum nimis coctionis oſtendit, & propinquiſſima eſt urinæ quæ omnimodo incruduit.

69 Quæ proximæ ijs ſunt? Primũ quidẽ ſubpallida; deinde pallida, quæ & eadẽ ſubrufa eſt. Rufa autẽ quãtũ ab illis colore diſtat, tantũ & coctione proceſſit. Harum uero quæ pallida eſt, etiã omnino ſubrufa eſt. Nam ſi in aquã aut pallidi multum aut parum rufi inieceris, idem colos hoc eſt ſubrufus perſtitietur.

70 Quid per rufum, flauum, pallidum, & rubeum colorem intelligendum eſt? Color rufus albior & turbatior eſt. Flauus nitidior, & purior, atq; ſplendeſcẽs, in quo ſcilicet uis quædam ignea emicat, quem fuluum (ni fallor) uominare poſſumus. Albior ruffo eſt pallidus. Rubens flauo tanto minus eſt album, quãtum flauus à ruffo, albore ſuperatur.

71 Flaua in ſummo gradu bilis eundẽ ne reffert colorẽ quẽ ſanguis poſtreme flauus? Nõ. Sed hic quidẽ cũ ad flauedinẽ ultimã conſcẽdit, medius eſt exquiſite inter ſanguinẽ, & bilẽ flauã naturaliter ſe habentẽ. Quã obrẽ nec exacte horũ humorũ uterq; poteſt flauiſſimus fieri, ſe ipſis tamẽ magis atq; magis flaueſcere poſſunt.

72 Qualenam eſt lotium hominis qui integra ualitudine fruitur? Subrufum & ſubflauũ. Quale ſi aquam ſero ſanguinis, & bile flaua perfũderes: euaderet. Atq; lotium ſane hominis bene ſani, hoc item precario poſſidet, ut primo quidem mox ut ſanguificatio perfecta eſt, emingatur habens hypoſtaſim albam, multam, lenem, & æqualem, quæ nihil aliud eſt ꝙ humor crudus, congeſtus in corpore. Quo autem diutius in inedia, & eſuritione homo perſtiterit, tanto & bilioſior & rufior euadat. Nã omne quod eſt acre & pingue in ſanguine, totũ id in bilẽ flauã cõuertitur.

73 In quibus ætatibus & conditionibus urinæ multũ de ſedimine habent? Vbi lautius & opipare uiuitur, urinæ largum ſedimentum obtinẽt, ubi partius, exiguũ. ubi tenuiter nullum. Et hieme quidem multum, uere autem paucum. Deniq; pueri & qui uitam inertem agunt, & otio deditam, ij omnes copioſam in lotijs ſubſidentiam emittunt, alteri ob ſatiem & ingluuiem nimiam (uoraces nãq; pueri) & quia augendo & nutriendo corpori citius alimentum corripiatur, ꝙ conficere uentriculus poſſit, multum de crudo humore exaggerant, in alteris autem ob pingue & altũ otium, & ignauiam cui ſe tradiderunt totos.

74 In quibus morbis requiritur, ut hypoſtaſis qualis dicta eſt, adſit, ut morbus ſoluatur? In ijs quidem qui ob ſatietatem, & plenitudinem, & quietem nimiam febricitant, niſi hypoſtaſis multa alba, lenis, & æqualis adſit appareatue, à morbo expeditum iri, non licet. At quicunq; ob inediam, & ieiunium, & labores graues quos tulerunt, febri ſunt correpti, ijs ſatis ad ſalutem eſt, ſi nubecula alba & ſuſpenſa utilia apparuerint, ut à morbo euadant, priuſꝙ aliquid in urina ſubſideat. Nam & ſani qui uictu exquiſitiore utuntur, & laborant magis bilioſiores & rufo colore infectas urinas obtinent, & quæ de ſedimine modicũ omnino habeant.

75 An poßit igitur urina rufa coctionem portendere? Prorſus ſi cum hoc in craſſitudine medio habuerit modo. Nec Hippo. ſimpliciter ut crudam urinam rufam accuſauit, ſed eam quæ preter hoc tenuis etiam nun eſſet.

76 Quidnam reſignant urinæ exitiales quæ farinæ hordei craßiori ſunt ſimiles? Grandem colliquefactionem, & mẽbrorum æſtuoſam caliditatem denotãt. Quæ folijs & furfuribus aſſimilantur, ambæ tales proueniunt, quia ſuperfitiales uaſorum particulæ fuerint reſolutæ, ſed differunt tamen, quia paruiores, & craſſiores ſunt furfuraceæ, longiores autem & tenuiores, foliaceæ. Nigræ aut calorem maximum, aut frigus & mortificationem innati calidi oſtendunt. Nam ita & exterius contingere cernitur ater color, ut apparet in inſolatis, aut alio quocũq; modo infrigidatis. Virides urinæ ad nigras in morbis pernitioſis ubi reliqua ſunt lætalia præcedunt. Liuidæ à frigiditate grandi nunꝙ non oriuntur. Oleoſæ colliquàtionis

particularum. Olidæ putrefactionis ſunt ſignum indubitanter. Nulli autem eorum quibus urina nigra apparuerit ſaluantur, & precipue ſi per totum fuerit atra & craſſa. minus exitialis eſt, quæ hypoſtaſim nigram tantũ habuerit, hac leuior, quæ enæoréma hoc eſt ſuſpenſum nigrum oſtendit, leuius autem omnino malum ſignificant, quibus nubecula dumtaxat, & ſublimes partes nigreſcunt. Igitur exitiales urinæ ſunt atræ & olidæ in acutis febribus, q̃uis interim in fine diuturnorũ morborum ſalutares ueniant, & pingues oleoſæue, & orobi ſpetiem habẽtes, & furfuraceæ, & pultaceæ, dũ modo ueſicæ, uel renum uitio tales non proueniãt, quod facile ex febri, & urinæ cruditate fit notũ, & quia nullus talis in ægro locus affectus habetur. Vrinæ item albæ, & tenues delirium & mortem portendunt, ſi per febres non propter ſuppreſſa menſtrua, uel propter uiſceris alicuius obſtructionem, ſed rapta ad cerebrum bile in cauſis ardentibus tales mingantur.

77 Quando à calido & quando à frigido nigrum lotium emittitur? Si liuida, aùt uiridis præceſſit, frigiditatem memineris cauſari. Si flauus, ſi fuluus urinarum colos, atræ urinæ præeat, à feruore nimio tunc ſanguinem exuſtum, & retoſtum, & in atræbilis naturam conuerſum fuiſſe dignoſcito.

78 An ſemper lotiũ nigrum ſit exitiale? In febribus quidẽ acutis, nũq̃ talis urina non magnum aliquod malum dabit. At in lienoſis, quartana, aut per eam affectionem quam filij medicorum melãcholiam maniamue dixerunt, minore cum dãno, & leuiore iactura excernitur. Contingit etiam ut narrat Heraſiſtatus, ut cum mulier febribus teneretur, uidereturq́ iam melius habere, & opinio eſſet, eam cito conualiturã, ecce repente urinæ nigræ ſuperuenerint, quæ inter peſſimas, & omniũ iniquas numerantur, nullum tamen homini illi periculum impendit, aut corriuatum eſt, quia cum dies purgationis inſtẽt, nec fiat purgatio, per urinas excerni, & euacuari humorem, (quod fœminæ illi uſu uenit) ſaluberrimum eſt.

79 Quid eſt in mictura per quod certiſſima coctionis, aut cruditatis urinæ dignotio habeatur? Validiſſimum omnium & maximam uim habens eſt hypoſtaſis, deinde ſuſpenſa. tertio loco nebulæ nubeſue ſuperapparẽtes. Illa igitur optima eſt, in quibus omnia hæc talia fuerint, qualia expediũt. Secundũ gradũ bonitatis obtinent urinæ quibus ſedimina cõmoda, deinde quibus ſuſpẽſa, ultimæ ſunt quibus nubeculæ tantum ſalutem præſagiunt. Eodem modo de malis dicendum eſt. In quibus pariter ex hypoſtaſi fortiſſima & uehementiſſima ad malum ſignificatio ſuſcipitur. ſecundo ex ſuſpenſis, tertio nebulæ imbecillius iam & magis anceps periculum portendunt.

80 In ætatibus quas urinas dãnauit Hippo? In pueris tenues, & aquoſas. in ui-

ris & mulieribus atras, quoniam ij coloratiores, & rufiores, illi craſſiores ſuapte ſponte mingere conſueuerunt.

81 Vrina multũ ſuperq; rubea quare ſemicoctũ prænũtiat morbũ? Quia ex ſanguine ſolo aſpergitur, cũ oporteret ut aliquid etiã bilis ſuſciperet, à qua intĩgeretur.

82 Quare cum calidum ita imbecillum eſt, ut bilem quidem non generet, ſed nec ſanguinem ſuffitienter coctum, urina quæ in talibus morbis emittitur, omni periculo uacat q̃uis tempore ad cocturam egeat? Quia materia benigna eſt, nec humida nimis, aut acris, aut putrida, aut tenuis, aut aquea, aut craſſa, ſed ad ſãguinis ideam in quo ſibi bene natura complacet proxime accedat.

83 Quo pacto dignoſcetur principium & reliqua tẽpora q̃diu ſint duratura? Si noueris ſignorum alia eſſe coctionis ſigna, alia cruditatis, alia mortis, alia ſalutis, quia ſignificent criſim uenturam, alia cretica quia faciãt: & horum omniũ quædam obſcurã, quædam manifeſtam coctionẽ ſignificantia, quædã autẽ perfectã.

84 Quid præterea habere debet hypoſtaſis quæ optima putãda eſt? Vt ab alto ſenſſim ad imũ deſcendat, nam prius ſummas partes occupat, & tãdem qualẽ diximus: in fundo ſpectatur. Vt uero merito iuſtis laudibus, omni ex parte talis reſidẽtia cõmendatur, ita ſi tale fuerit ſuſpẽſum, culpari nõ iniuria debet. & nebula adhuc talis multo magis deterior eſt, quia multum ſpiritum flatuoſum arguit, qui lentore participes, & crudas materias in ſublime erigat. Interdũ uero cruda quædam per lotium deijtiuntur, quæ neſcientes fallant, ut uerã ſubſidentiã eſſe arbitrẽtur, ſed cõtinuitatem, & leuorem illũ non ſeruant, & mox in urinarij uaſis ſolo colliguntur.

85 Quodnam diſcrimen eſt inter coctionis ſigna & cretica? Pregrande. Nam ſi uel à prima die coctionis ſigna appareãt, iudicij ſecuritatem demõſtrant, ſi morbus affatim finiri debeat, & fieri nõ poteſt, quin optima ſint. At neutrũ creticorum ſignorum genus fidele & bonum ſimiliter eſt, nec enim firmiter aut malum aliquod aut bonũ nec criſim neceſſario uẽturam certo prædicere poſſis. Contingit enim ut utraq; ſymptomata tã quæ ſigna ſcilicet ſunt iuditij uẽturi, tam quæ obtinent facultatẽ & ſignorum & cauſarũ, in morbo decernendo cretica ſint & non cretica, & hoc dupliciter aut quia nullam criſim faciant, aut quia prauam.

86 Eſt ne aliquod ſignorum genus medium inter decretoria ſigna & coctionis? Eſt. Vt mẽte robuſtum eſſe, & confortari, & bene ſe habere ad ciborũ acceptiones, bene tolerare morbum, bene pulſare arteriam, corpus totum æquale eſſe, faciem ſimilimam ſanis, decenter accumbere in lecto. Aut contra, difficulter ſpirare, & præcipue frigidum, & grauiter ferre, inæquales eſſe arteriarũ ictus, & alia quæcũq; Hippo. in prognoſtico recenſuit. Hæc quidem media ſunt inter utrũq; iam

AD CLARISSIMVM VIRVM IOANNEM DE BARROS ANTONII LODOVICI MEDICI OLISSIPPONENSIS EPISTOLA.

CVm quoſdam Erotematum libros uir clariſſime in uulgus edere debuiſſem, quibus maximã medicinæ theorices partem cõprehendiſſe mihi uideor. Et opus ſine patrono prodire recuſaret, eos tibi imprimus nuncupandos ſtatui ſub cuius auſpicijs hoc opus in manus hominũ daretur. Tu nãq; ut ille inquit meas eſſe aliquid nugas exiſtimare ſoles. Tu magnifice de nobis noſtriſq; litteris ſentis, te nullum alium præſtantiorem deffenſorem meis ſcriptis cõparare poßim. Tu eruditione & nobilitate præſtas, ſiquidem uera nobilitas eſt uirum integerrimum & incorruptum ſeſe præſtare. Nulli ocij & negocij ratio magis quam tibi uni conſtat & perire omne tempus arbitraris, quod in libris litteriſq; non inſumatur, dies reipublicæ impendis, noctes cum muſis & ingenuis commentationibus commutas, maioremq; omnino partem ſtudio quam ſomno tribuis. Tuoq; ex ore quod de Neſtore ſcripſit Homerus melle dulcior profluit oratio. Tu itaq; multorum millium mihi inſtar es, quod de Platone dixiße poetam Antimachum ferunt. Ad hæc tuis humeris regia & publica incumbunt negocia. Cũq; ut Bias inquit magiſtratus uirum oſtendat, in hoc publico munere quo fungeris, & rerum indicarum negocia procuras: talem te & iam per multos annos geſſiſti, ut omnibus miraculo habearis, adeo ut neq; Momus ipſe (qui Veneris ſandalium ut nimis crepitãtem & ſtridulum reprehendere auſus eſt, Iouiq; etiam uitio dedit q; hominum feneſtrata pectora non feciſſet) nihil in te inuenire poßit quod uire carpat. Ita omnem uicij & ſuſpitionis notam reliquiſti ut nihil ſiniſtri quiſquam de te ſuſpicari queat. Iam uero cum multa tua in me beneficia extarẽt operepræcium ſane fuit & ratio exigebat, ut nos te hoc litterario munere donaremus, ut ſit noſtræ erga te obſeruantiæ immortale monumentum. multum imo uero plurimum ſe tibi medici omnes debere fatebuntur: quicunq; in horum librorum lectione fuerint uerſati. Omnes amant breuitatem, prolixos ſermones fugiunt quãuis utiles. omnes ut Plinius inquit ingeniorũ oblectamẽta & amœnitates quærimus. Nihil legere iuuat quod nõ breuibus ſententijs clauđatur. ſi quis liber magnus eſt, eius uix tribus paginis perlectis, mox illum e manibus deponunt. neq; abs re dixit Flaccus. Quicquid precipias eſto breuis. Cum igitur nos hoc in opere tibi dicato quam plurima & exquiſitißima ex Galeni omnium medicorum ſine controuerſia facile principis librorum uaſtiſſimo pelago breuiter nouo quodam & iocundo & aphoriſtico modo docuerimus, non eſt q; nobis homines immortales gratias non referant. Tu igitur hos libros à calũniatorum morſibus defendas nullum tam præclarum eſt opus quin ſuos uitiligatores habeat, qui dãnant in publico quod legunt in ſecreto. detrahũt omnibus etiam ijs quæ non intelligere poſſunt. tenere ſe artem pollicentur, cum tamen nunq̃ quicq̃ quod lectu dignum ſit ex arte proferant. Methodum ſe ſcire profitẽtur: quam tamen nunq̃ exercuerunt aut ex ea fructum aliquem protulerunt. Iudicium ſibi uendicant miſeri homines cum tamen mente & cerebro iudicioq; careant. De quibus inquit Paulus ſemper addiſcẽtes nunq̃ ad finem peruenire potentes. ingenioſi in alieno libro uideri uolunt. Hij nullam aliam ſubinde quam ex aliorum reprehenſione maiorem ſibi gloriam aucupantur. Et quemadmodum cantharides inter læta ſata & feraces fruges proueniũt, & muſcæ ad ſuauiſſima & flagrantiſſima (quod Salomon prodidit) unguenta cõuolant, ſic ij optimis & nobilißimis ingenijs nihil aliud quam detrahere & allatrare nouerunt. Et ut magni Baſilij exemplo utar. Quemadmodum iniqui pictores ex uitijs & dehoneſtamẽtis corporis ut ſcilicet ex deformi oris hiatu, inflatis buccis, oblongo naſo, diſtortis oculis, exiguo capite, & turpi caluicio effigies quaſdam cognoſcendas tradunt. Ita & ij optimis. quibuſq; pretermißis neuos quoſdam qui etiam in formoſo corpore pulchriores uideri ſolent inſectantur, & uoculam aliquam aut ſyllabam lacerãt atq; ex uno omnium iudicium faciunt. Optime & ægregie cum rebus humanis ageretur: ſi uirtuti ſua ratio conſtaret & debitus honos redderetur. Hinc & non iniuria quendam magni nominis philoſophum ſe non adeo profeciße dixiſſe ferunt: q; nullus adhuc ſibi inuidiſſet. Tunc equidem mihi plurimum placere ſoleo: & me aliquid profeciße cognoſco quando aliquos emulatione exagitari uideo. Inuidia (ut Pindarus inquit) miſeratione multo præſtantior eſt. diſplicuiſſe malis non minima laus eſt. Hos ego ad coruos (ut in Græco prouerbio eſt) mitto, mediumq; unguem mando, nunq̃ propter illos noſtrum ceſſabit ingenium. cæteros autem qui ſunt probi (quales plurimos eſſe non dubito) rogatos uolo, ut more Ephecticorum philoſophorum epochen ament, cohibeant aſſenſum, tarde ſententiam proferant: ſutor (quod monuit Appelles) ultra crepidã non iudicet intelligãt prius deinde lacerent, triutinent omnia & uelut in examine expendãt: & tãdem ſi quam ex noſtris laboribus utilitatẽ retulerint (quod Thales à diſcipulo petit) auctorem fateantur & nobis quod Ariſtoteles in Elenchis poſtulat: condignas grates cognoſcant. Vale muſigeta & bonis litteris quod ſemper facis fauere perge.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS EROTEMATUM

tum libri tres: in libros de criſi Galeni, in quibus quecunq; ab illo, tũ in prædicto opere, tum uero alijs in locis ſcripta ſunt: ad eandem materiam pertinentia, exactiſſime & compendioſe continentur. opus & facundum, & medicinæ candidatis utiliſſimum.

BL.SEC.COLL.ROM.SOC.

QVid eſt criſis? Eſt magna & ſubita mutatio in morbo ad bonum uel ad malum, uel eſt perturbatio antecedens illam mutationem.

2 *Quot ſunt tempora morbi? Quattuor. Principium augmentum, ſtatus & declinatio. Scire autẽ operæpretiũ eſt, alia quidem eſſe particularia acceſſionum ſingularum tempora, alia uero in uniuerſum totius morbi, & ꝗ plures ſane in intermittentibus ſunt eiuſmodi inuaſionum partes, pautiores in cõtinuis, quæ ex dierum interuallo acutius premunt, duplo autem minores: in continentibus febribus, quæ æquali uſq; ad exitum tenore affligunt, numerantur.*

3 *Quot ſunt in intermittẽtibus particularia tempora? Sex. primũ quidem tempus eſt, quo uel perfrictionibus, uel horrore, uel rigore per mẽbra eunte ſubito corripitur æger & moleſtijs quibuſdã capitur, & ægre fert, & cõtrahi in ſeſe, & horrere incipit. Secũdum eſt inæqualitatis tempus per quod calor cõtratendit, & ab alto ad extimas partes reuocatur, quoad per totũ ſit æquabili diſtributione diffuſus. Tertium eſt incrementi tempus: cum calor iã per omnia ſparſus, uires continuo ſuſcipit, & ſucceſſiuis incremẽtis adaugetur. Excipit poſt hæc uigor cum calor inæquali tenore perſtat, deinde declinatio, cũ omnia hæc iam declinant, & calor fit minor, & perhalitũ digeritur, relinquenſq; thoracis partes ad ſũmos pedes paulatim deſcendit. ſextum tempus infebricitationis & quietis ſuſcipit, quod ad reliqua tempora ſubſequitur.*

4 *In febribus continuis quæ acceſſiones capiunt, quot partialia tẽpora inueniuntur? Quinq;: nã cætera omnia ferme ſunt paria, præterq̃; ꝗ ad infebritationẽ non terminãtur. In ijs igitur quæ rigorem uel horrorem, uel perfrictionem inuadentes fatiunt, facilis eſt priorũ illorum temporum ab alijs dignotio, ſed tam in hijs, q̃; in quibus nulla fit cum ingruunt acceſſionis ſignificatio, tẽpus illud quod ad quietem*

ſequitur, & inæqualitatis ſtatũ, preclare ſyſtole id eſt pulſus contractio circũſcribit. Namq; & ſi quædam ſint, quæ nec frigoris nec rigoris imprimunt ſenſum, nec ſignificationem fatiunt, quod eſt ceu quoddam claſſicum antecedens futuræ febris: in omnibus ijs tamen pulſus intro citatiores & frequentiores manifeſto conſpitiuntur, q̃uis & tardior & rarior non parum appareat dilatatio.

5 In febribus continentibus quæ nec frigere, nec horrere compellunt, quot partes poni debent? Tres dũtaxat. Nam calor à principio ſucceſſiue adaugetur quoad in ſummum uigorem perueniat. In ijs ſiquidẽ tria integra tẽpora perfecte pereunt, nõ enim ſignificationẽ inuaſionemue cõmittunt, nec calor à principio intus colligitur, nec mox inequaliter diffunditur, nec quies aliqua conceditur, ſed confeſtim ab initio annotationem acceſſionemue incompreſſam faciunt, hoc eſt eam in qua ne quicq̃ arteriarum ictus reciprocant ad interna.

6 Qui morbi habent uniuerſalia hæc quattuor tẽpora? Salubres. nam exitiales, quidam in principio, quidam in aſcenſu, quidam in ipſo uigore perimunt. Verũ hæc cruditatibus & coctionibus optime inter ſe diſtinguntur.

7 Quo pacto nuncupat medicorum ſummus Hippocrates hæc uniuerſalia tempora? Vocat cataſtaſes hoc eſt conſtitutiones cum ait, paroxyſmos & conſtitutiones morbi indicabunt.

8 Qui modus dignotionis horum tẽporum? Non alius q̃ quem docuit Hippocrates: ex idea morbi, ex anni temporibus, ex acceſſionum ad inuicem collatione, necnon & ex ijs quæ ſuperapparent.

9 Ex morbi natura quo modo dignoſcuntur? Si morbus ſit ex genere eorum qui diu durant, longiora habet & principium, & reliqua tempora. Si ex acutioribus breuiora. Vt tertianam cum uides, iudicas mox hanc cum citius terminetur, principium minus obtinere, & reliqua quæ ſequuntur tempora, otius q̃ quartana habituram. Nec enim licet dicere morbum diuturnũ, & qui multis finitur menſium ſpatijs, paria & æqualia, cum eo qui paucis numero periodis porrigitur, uniuerſi morbi tempora ſortitum. Sic febris ardens, Pleuritis, pulmonum inflammatio phlegmoneue, breue habent principium & alia tempora. Morbi comitiales, articulorum dolores, coxendices, & renum affectus, longiora hæc omnia poſſident.

10 Ex anni temporibus horiſue quomodo ægritudinis tempora dignoſcemus? Iſto modo. Eſtiuæ quartanæ magna ex parte breues. Autũnales longæ & maxime quæ cum hieme copulant. Eodem modo morbi omnes qui per brumam accidunt, longiores ſunt, æſtate breuiores, & omnia tempora otius aſſequntur.

11 *Ex acceſſionum ad inuicem comparatione temporũ morbi quã habebimus notitiã? Ex magnitudine, ex lõgitudine, ex propoſitione ſeu anticipatione. Vt ſi primo præcedẽte paroxyſmo longiore, ſequens ſit longior, & cum ſeuis ſymptomatis ingruat, nec æger ferat facile morbum, & horam ſolitam anteuertat, non obſcura inditia ſunt increſcentis morbi, & pergentis ad ſtatum. Sinautem & tardius occupet, nec uehementior, nec adeo prolixus, & æger uim morbi æquo animo toleret, ſero iudicandum conieƈtare poſſis.*

12 *Ex anticipatione acceſſionũ nũ morbus ſemper increſcere ſignificatur? Non. Quia quidã morbi, non quia augentur, ſed ex propria natura hoc faciunt, atq; ab initio ad finem continuo anteuertunt, ut quædam tertianarum genera.*

13 *Quomodo horum tempora ex hoc ꝙ ante inuadant, inueſtigabimus? Si præter morẽ habita proportione multo citius ꝙ̃ ſolebãt, prærripuerint hominẽ incautũ.*

14. *Quid intellexit Hippocrates per ea quæ mox apparent (quæ Græce epiphænomena uocat)? Nihil aliud ꝙ̃ uel euacuationes creticas, quæ ut cauſæ morbũ remouere creduntur, uel ſigna harum excretionum ſignificatiua, & cõcoƈtionis notas, uel generis uenoſi & arteriarum, uel organorum reſpirationi ſeruientium, uel alui inferioris.*

15 *Quotupliciter principiũ ſumitur? Tripliciter. Primo pro prima inuaſione morbi exaƈta & impartibili, & quæ latitudinis expers eſt. ſecundo pro ſpatio tẽporis anteꝙ̃ inuadat ſecunda acceſſio. tertio pro toto eo tẽpore quo nullæ cõƈtiones in excrementis apparent. Horum modorũ primus eſt reijciendus omnino à medico, ſecundus inartifitioſus, tertius artifitioſus.*

16 *Quinam morbi dicuntur incipientes mox recepiſſe ſtatũ? Qui ſiue prima ſiue ſecunda ſiue tertia die ad uigorem ueniant, hinc uſq; ad morbi integram ſolutionem extenduntur, abſq; hoc quod ſenſu perceptibilem alteram paroxyſmi inuaſionem habeant. Quales ſunt continuæ quædam febres quas dicit Hippo. mox ut incipiunt floreſcere atq; uigere.*

17 *Quomodo cæpit Hippo. principium: quando dixit Pleureticis ſputum ſi appareat, incipientem morbum abbreuiare? In ſecunda acceptione. uidelicet ante inuaſionem ſecundi paroxyſmi, qui ut plurimum illis per tertium obuiant.*

18 *Quanto tempore producitur principium hoc ſecundo modo conſideratum? Vſq; ad diem tertiã ut ex prognoſtico innoteſcit, ubi de uultu lætali agitur. Nam cum prædixiſſet ſi ab initio talis facies apparuerit, pernitioſum, ſubintulit. Si uero iã uetere exiſtẽte morbo, uidelicet triduano, aut quatriduano, ubi ſatis patet uſq; ad tertiam diem eum principium circunſcripſiſſe.*

19 *Quiſnam horum modorum utiliſſimus in artis operibus eſt & maxima medico ſignificare eſt aptus? tertius.*

20 *Quam longo tempore principium hoc ſecundo modo cōceptum protenditur? quandiu non apparent coctionis ſigna.*

21 *Eſt ne hoc modo principium æquale in omnibus morbis, an ſingulis peculiare? unicuiq; ſuum proprium initium eſt, & ſic ſumptum ad multos etiam quaternarios porrigitur, & etiam ad menſes in ægritudinibus que tarde concoquntur.*

22 *Inflammationes phlegmonææ quot habent tempora? hæc ipſa quattuor. Incipit namq; per totum id tempus, per quod fluxio ſanguinis ad particulam deriuatur, late meatus omnes & cauitates diſtendens (talis enim inflammationum generationis eſt modus) cum autem putrore ſanguis qui influxit, corripitur: & fundi incipit, propter calorem, q̄uis defluxio quieuerit, inflammationis tunc incrementum eſt. Vbi autem cruor in pus conuertitur, inflammatio uiget, quo tempore & dolores augentur, & febres magis accidunt. At cum exacte ſuppuratio uel perfecta eſt, uel digeſta remedijs, & diſcuſſa per halitum materia cōceſſit, ad declinationem maturaſſe inflammationem manifeſtum eſt. Nam & accidentia releuantur, & omnia leuius & mitius ſe habere circa ægrum uidentur.*

23 *Quo pacto in febribus quæ à putreſcentibus humoribus proueniunt, hæc tempora ſeparantur? hoc modo. Totum id tempus per quod morbus permanet incoctus, principium eſt. Cum autem cruditatis ſigna remittūtur, & incipit ægritudo coqui, augmento id tempus aſſignatur, quo coctiones indies & continuo magis procedunt. Vbi uero omnibus numeris abſoluta concoctio eſt, ſtatum id tempus eſſe dicimus. Cum autem accidētia mitiora iam ſunt, & leuior morbus, declinationem adueniſſe aſſerimus.*

24 *In ulceribus quo pacto horum temporum diſtinctio accipietur? hoc modo. à principio multæ, & tenues, & crudæ ſanies in particulam ulcere obſeſſam influunt, proceſſu pauciores, & craſſiores. in ſtatu non iam ſeroſæ illæ humiditates ab ulcere deſtillant, ſed tabo & pure quodam tenui membrum apparet cōſperſum, cuius cum fuerit minuta quantitas, & craſſitudinem fuerit indeptū, declinationem ulcerum adeſſe nequicq; ambigendum eſt.*

25 *In inflammationibus oculorum (quas Ophthalmias appellant) hæc quomodo diſcernemus? in prōptu id eſt. Incipiēte malo multa, & tenuis, & acris, & mordax ad oculum defluxio deriuatur. Profectu temporis minor, ſed tamen craſſior. In ſtatu lippitudines quædam (quas lemas uocant) adeo lentæ & craſſæ cōſpiciuntur, ut genas glutinent, & uix oculos aperire ſinant, ubi uero declinatio adeſt, lip-*

pitudo tum craſſeſcit, tum ſeipſa minor euadit.

26 *In deſtillationibus ad fauces, & ad nares (quas grauedines & raucedines nominãt) & in iis quæ per os & palatum expurgantur, inſunt ne hæc omnia tempora? Eadem omnino ratio de iis & pronũtiatio eſt. Sub principiũ multa, & tenuia, & acria, & incocta purgãt & educunt. Pautiora & magis craſſa cũ morbus increuit. In uigore autem nondum iam ſtiriam, quæ naſo propendeat, ſed muccũ craſſiorem emungunt, (quem blenã & myxam Græcorum filij nuncupare moris habent) Poſtremo id quod emungitur, multo minus & craſſius, & ex albo pallidum eſt. Ita igitur in omnibus ſe res habere dignoſcitur. Circa principia omnia cruda ſunt, & incocta, & quanto morbus principio propior eſt, quanto autem ad ſtatum magis accedit, decoctior omnino redditur. Nam in coctionibus quæ à natura fiunt, craſſities ſubſtãtiæ plurimũ comitari ſolet, ut potè quæ humores quoſcunq; ad nutritionem ſolidarum particularum conuertere ſemper enitatur. Quo fit ut coctiones ſemper ingroſſent tum urinas, tum alui excrementa in iis qui non concoqunt, ad hæc & expuitiones, in iis qui à Pulmonia uel à Pleuritide laborant, ſed & purulentiã in ulceribus, & lippitudines in oculorũ Epiphoris, preterea & pituitates in defluxionibus, & deſtillationibus uel grauedinibus ad nares. Omnia hæc quippe principio cruda & tenuia uiſuntur, cum autem coctiones procedunt, craſſitudinem ſubſtantiæ induunt & acquirunt.*

27 *Quare qui inflãmatas particulas confeſtim ab initio morbi purgatione ſoluere nituntur, ex eo humore qui eſt infarctus, & tumorem durum inflãmationẽq; efficit, nihil adimunt, ſanas autem partes liquefaciũt? Quoniã non cõcedit paſſio, nec facile ſequitur, dum adhuc permanet incocta.*

28 *Quare concocta iuſſit purgari Hippo. & per principia hoc factum cauere? Quoniam tunc morbus eſt crudus, & humores craſſi, atq; lenti, non bene parent tractui purgantium medicamentorum.*

29 *Quare idem auctor in prima ſectione Aphoriſmorum: in acutis quidem paſſionibus raro utendũ pharmatiis id eſt medicinis purgãtibus precipit, ſed in principiis tamen hoc faciendum, quando ita res ferat, ſibi enim pugnare uidetur? quoniã ibi per acutas paſſiones, eas in quibus humores turgẽt (quas medicis moris eſt appellare furioſas) intellexit.*

30 *Quæ egritudines turgidæ dicũtur? turgere proprie competit animalibus ad uſum uenereum rapiẽdum properantibus. Per trãſlationem autem egritudines illæ turgeſcere nuncupantur, quæ nimis urgent, celeriterq; mouẽtur, & in quibus laborantis ſenſus, ab inordinato humorum & ſpirituũ flatuũue motu irritantur.*

31 *Quare huiuſmodi ægritudines inter initia purgare licet? quia ad leuiorem attractionem, mobilitas humorũ aliquid facit. eos autem morbos in quibus ſucci non ſolum crudi, ſed & ſtabiles in aliquo loco ſunt permanentes, nullatenus experiri aut mouere tentamus.*

32 *Super apparẽtium quotuplex eſt modus? triplex. primo modo euacuationes quæcunq; aut abſceſſus, aut ſudores, uomitus, alui ſeceſſus: ſanguinis fluores, collectiones trans aures, ſuper apparentia dicuntur, & hæc ſi eueniant tanq; cauſæ remouent morbos. Secũdo ſuperapparẽtia uocamus ſigna illa euacuationum ſignificatiua ut delirium, peruigilium, dolores, lachrimas, ſomnum grauem à quo difficilis ſit excitatio, uertigines, reſpirãdi difficultates. Principaliſſime autem & propriiſſime ſuperapparentia nuncupantur ſigna concoctionis morborum.*

33 *Quod eſt ſignum ſignificans ſupra genus uenoſum, humoreſq; qui in iis continentur? urina. Et alia quidem ſupra cruditatem notat, ut ea quæ alba, tenuis & aquea eſt. Alia uero interitum deſignat, ut nigra, alia uero ſalutis & concoctionis certiſſimum ſignum eſt.*

34 *Quod eſt ſignum denotans ſupra membra reſpirationi deſtinata? Sputum & aliud quidem cruditatis eſt nota, ut ſi nulla, aut ſi cum tuſſi ualida difficulter expuant. Aliud mortem portendit, ut quod nigrũ eſt. aliud ſalutem indubitatam & concoctionem oſtendit, ubi flauum ſcilicet eſt uehementer cõmixtum ſputo, & ſine labore à principio mox emittitur abſq; tuſſi.*

35 *Sputum quod proprie uocamus? illud quod optimũ eſt, & tale quale eſt hominum integra ualitudine agentium. Quod uero aut bilioſum, aut ſeroſum, aut ſanguinis, aut atræbilis mixtura infectũ eſt, hæc omnia expuitiones appellamus.*

36 *Ex quibus ſignis habemus coniecturam ſupra uentrẽ & inteſtina? ex excrementis quæ triplici etiam differentia diuiduntur. Nam alia cruditates, alia coctiones, alia mortem & pernitiem preſentaneam preſagiunt: ut quæ ex atrabile infra ſubeunte fiunt.*

37 *Qualia in quibus contemplari oportet? In febribus omnibus urinã: & etiam in morbis ueſicæ, ureterũ, penis, renum. In coſtali autem dolore, aut pulmonis, aut muſculorum thoracis inflãmationibus, & deniq; in paſſionibus pectoris, & mẽbrorum uſu reſpirationis fungentiũ, ſputum: & urinam precipue in Pleureſi: nam hæc non eſt ſine febri. Supra affectus autẽ alui inferioris, uidelicet inteſtinorum, & uentriculi, ſi ſine febri adſint: fimum qui uentre fertur, contemplator: ſi febris urgeat & urinam.*

38 *Concoctionis ſigna an ſemper ſalubria ſint, & iudicandum denuntient mor-*

bum?ſalutem quidem nullo non tempore breui futuram notæ coctionis demonſtrãt ſi mox,tardiorem autem,ſi ſerius.Non omnino autem iudicio ſoluendam ægritudinem cõpromittunt, quoniam morbus malumue paulatinis acceſſionibus concoctum ad omnimodam ſolutionem peruenire poſſit.

39 *An ſigna cretica, ut faſtidia, ut capitis dolores, ut uentriculi remorſus, ut ſplendores ante oculos apparẽtes,ſemper & iudicium illatura, & bona cẽſeamus? non.ſed ſi in tẽpore contingãt,utilia:quandoq; autem noxia, nõ nunq̃ adeo nihil iuuant, ut malum etiam neceſſarium, & ineuitabile denuntient. Et ideo Hippo.nolebat, ut criſima ſigna apparerent ſtatim à principio. Id autem omni alio uerum magis ſane exiſtit, iuditio eum morbum finiendũ, quem hæc ſigna præceſſerint.*

40 *Quando principium finit?cum primum coctionis ſigna apparuerint. Itaq; ad artificialem coniecturam principij, initium augmenti, ad diffiniendum autem tẽpus in quo morbus aſcendit: principium ſtatus prænouiſſe neceſſarium eſt.*

41 *Quando morbus incrementa ſuſcipit?quando exacerbationes præponuntur, quando ſunt maiores,quando ſunt uehementiores.*

42 *Quãdo eſt ſtatus? in acutis quidem paſſionibus principium criſis eſt extremus limes aſcenſus, & initium uigoris. Igitur quãdo morbus affatim permutatur (quod iudicari dicimus)quando ægritudo robuſtiſſima eſt,quãdo extremos affert labores,uigorẽ in foribus adeſſe cognoſcito.In morbis autem longis:ſi duo aut tres paroxyſmi poſt augmentum ſunt ſimiles,totum id tempus ſtatui debetur.*

43 *An certum numerũ paroxyſmorũ conſimilium ſit dare quibus uigoris tempus preſcribatur?non.ſed in morbis acutis non facile tres ad inuicem ſimiles acceſſiones reperies:in diuturnis autem non tot ſolum modo, ſed & in multo plures ſtatus tempus procedit.*

44 *Excrementum alui per quod ſignificamus ſupra membra quæ ſunt infra thoracem quale optimum eſt?quod molle,& conſiſtens,continuumue eſt, & quod ea hora excernitur qua per ſalutis tempus ſubibat, quodq; quantitate multitudineue ingeſtis proportione reſpondet.*

45 *Debet ne aliquid aliud habere excrementum quod nobis bene habere inferiorem aluum & concoctionem optimam oſtẽdit?ita. Opus namq; eſt,ut etiam præter illa,ſit ſubruffum,nec graueolens.*

46 *Seceſſus qui non ſeruat tempus in ſalute conſuetum poteſt ne ſignificare ſupra coctionem laudabilem?poterit. Nihil obſtat namq;,q. q̃uis pulchra præceſſerit cõcoctio,ſerius aut otius eat aluus,aut quia calor ſeu inflãmatio aliquorũ mem brorũ circunſtãtium,exuxit & exiccauit excremẽta, aut quia non facta fuit cõmo-*

da in totum corpus digeſtio,adeo ut ſuperfluitates remanſerint humidiores.

47 Si excrementum alui fuerit conſiſtens & molle? quid indicat? oſtendit quidem concoctricem facultatem robuſtam eſſe, coindicat autem & mox nullam uicinarum particularum eſſe inflammatione obſeſſam, & digeſtionem cibi in totum corpus omni uitio caruiſſe.

48 Quo modo excrementũ coniunctũ & molle indicat coctionis ualẽtiam? quia ſi diminute fuiſſet perfecta,non conſiſtens,ſed humidius fluidiuſq; redderetur.

49 Nũquid igitur hæc non ſuffitiũt ad hoc ut excrementũ hora ſolita egeratur? non.quia poteſt etiam nũ ex alijs cauſis otior aut moroſior illius expulſio fieri.

50 Quid eſt in cauſa ꝙ citius profluat uenter? debilitas retentricis, aut morſio alicuius irritantis humoris.

51 Prouenit ne aliquando ex fortitudine uirtutis concoquentis? non. quia ea non modo in ægris uehementior uon eſt, ſed etiam bene cum illis agatur, ſi non multum à naturali diſpoſitione recedant.

52 Tardius autem quare deijcitur uenter, ꝙ̃ dum ſani agebant? aut propter concoctionem tardam,aut ſegnem per inteſtina delationem.

53 Quare ſecundum proportionem eorum quæ fuerint eſitata, ſi non reddantur excrementa eſt malum? quia eſt ſignum imbecillitatis excretoriæ & expultricis: & cauſa ꝙ maneant intus aliqua excrementa quæ ſatius erat excerni.

54 Si hæc igitur adſint quid inde conijcere poſſumus? ſalubrem eſſe inferiorem uentrem,& uirtutes expultricem, & alteratricem cõmode agere. Si autem aliqua ex dictis deſſitiant, uel relinquantur, aut tarditatem concoctionis, aut expulſiuæ fragilitatem, aut uitium digeſtionis in corpus cauſaberis, aut ſymptoma aliquod ſicuti morſum acrium humorum,aut inflãmationem, uel omnino caliditatem membrorum quæ circumaſtant debito maiorem,in re eſſe coniectabis.

55 Quare debet eſſe excremẽtum non male fetens? quia putrefactionem magnam intus factam demonſtrat.

56 Quod eſt crudum excrementum? Aſperum, quod eſt, & tenue, & humoris expers.

57 Quare ſubrufum eſſe debet? quia quod ſimile eſt colori comeſtorũ nullam bilem,ſumme autem rufum:inmodicã influere in excrementa ſignificat, ſi in principio morbi id contingat. Nam in fine expurgari ſufficienter corpus oſtendit.

58 Eſt ne aliud excrementorũ genus? profecto. quod non ſecundũ diſpoſitionẽ aſſumptorum fit,ſed humores dominantes oſtendit,atq; conſequitur. Vt eſt flauum quod à bile pallida gignitur, uiride quod ab eruginoſa, atrũ à melancholia, aut ſan-

guine retoſto, pingue quod ex colliquatione pinguedinis prouenit, uiſcoſum & precedẽte deterius, quod fit, cum partes ſolidæ liqueſcunt, in quibus id ſũmopere perſpici debet, ne quis cibus fuerit in cauſa, aut coloris excrementorum, aut lentoris, aut pinguedinis, aut graueolentiæ. Semper enim id quod ui morbi prouenit, diſtinguere oportet, ab eo quod propter externam quampiam cauſam eueniat.

59 Malorum excrementorum ſunt ne alij modi? ſunt. uidelicet ſtridens quod cum crepitu & fragore quodam deſcendit, ſpumoſum, & uarium.

60 Vndenan iſti ortum habere poſſint? ſtridens quidem humiditatem tenuem flatibus recõmixtam, & organorum anguſtias atq; cõtractionem conſequitur, & ex caliditate fit immoderata liquefaciente corpus. Spumoſum autem tunc prodit, cum ebulliens aliquod ferueńſq;, uel ſpiritus flatuoſus pugnant cum humore incluſi, & inequalem affectionem diſpoſitionemue indicat. Varia autẽ quæ ſunt, uarios quoq; affectus in corpore exiſtentes demonſtrant, & difficulter ſanabiles, atq; malignos, quoniam ſimplex affectio uel breui tempore & facilime curetur, at quæ à cauſarum diuerſitate pendent, longiſſimo tempore ad coctionem indigent: ut ſaneſcant.

61 An excrementum quod conſiſtens & molle eſt, etiam mox leue eſſe neceſſum ſit? omnino. Si enim aliæ partes aſperæ, aliæ fluide eſſent, non eſſet cõtinuum. circunflueret nãq;, nec ſe cum alijs unire poſſet, nec communionem cum illis facere, decidens atq; labaſcens. Atq; de excrementis alui ſic diffinire oportet. de urinis reſtat dicamus: quoniam hæc tertia ſignorum genera propoſuimus.

62 Quæ urina optima eſt? quæ ſubrufa, & ſubflaua eſt, & magis quidẽ ſubrufa, q̃ ſubflaua, craſſitudine mediocris, ſubſidentiã habẽs albã, lenem, & æqualem, & multam, non diuulſam, quæ denuq; urinis beneſanorum hominum ubi concoctio ſecunda perfecta fuerit, ſimilima eſt.

63 Quid ſignificãt urinæ quæ tales non ſunt? Aliæ cruditatem, ut turbidæ, & tenues. Aliæ interitũ, ut nigræ, liuidæ, uirides, fetidæ, folioſæ, furfureæ, hordei farinæ craſſiori ſimiles. Aliæ ſemicoctionem, ut ſubrufæ, & ſubflauæ cũ tenuitate ſubſtantiæ: uel habẽtes hypoſtaſim albam, & leuem, ſed diuulſam, aut non per omne tẽpus morbi, ſed uiciſſim talem aparentẽ. Aliæ longitudinem temporis in quo liberandus ſit æger demonſtrant, ut ualde rubræ cum eiuſmodi hypoſtaſi, aut quæ à ſanguine non omnino concocto tinguntur.

64 Vrinarum turbulentarum quotuplex eſt differentia? triplex. Nam quædam q̃uis tales mingantur: mox ſubſidentiam faciunt, quædam turbidæ exeuntes tales uſq;quaq; permanent. quædam cum puræ exierint, poſt tempus perturbantur.

65 Quæ eſt harum urinarum ſignificatio? primæ parum quid de conturbatione

inæquali ſupereſſe demõſtrant, ſecundæ agitationẽ in ſanguine uigere & conturbationem ſignificant ratione cuius turbulentiæ capitis dolor ut plurimũ ad tales urinas ſequi cõſueuit, quia magna fiat euaporatio ad caput. tertiæ adhuc nullã coctionem ſortitæ ſunt, ſed concoqui incipere debent.

66 Quæ harũ deterior eſt? Tertia. Longo enim tẽpore & uirtute robuſta indiget ad coctionem: deinceps ſecunda, q̃tũ malitia relinquitur à tertia, quæ futurã adhuc fluctuationẽ indicat tanto eſt prima prauior, in qua fluctuatio iam ceſſauit.

67 Vrinarum tenuium quotuplex eſt modus? Triplex. Quædã enim aquea eſt alba ſcilicet, & tenuis. quædam quæ uentriculi diarrhiæ, aut leuitati inteſtinorum, proportione reſpondet, quæ ſcilicet præter hoc ꝙ aquoſa eſt, etiam nũ contineri nõ poteſt, ſed celerrime otiuſq; egreditur. Alius modus eſt urinarũ in quibus puſculum paruum bilis rufæ, urinæ illi tenui & aquoſæ admiſcetur. Veluti ſi imagineris modicum quid ex uino tenui & albo aquæ immixtum. Porro ſi per febres ardentes in quibus linioſa urina eſſe ſolet, album & tenue lotium appareat, raptum bilis ad caput, & delirium, & exitium preſentaneum præſagit, bilis acrimoniam cerebro ſuſtinere nequeunte.

68 Quæ harum eſt peſſima? Quæ in diabetica profluit. Nam duarũ facultatum ultimam perditionem denotat alteratoriæ ſcilicet & retẽtricis. Quæ uero tenuis tantũ, & alba inſtar aquæ exiſtit, quoadhoc ꝙ neutra coctionis aliquid obtinuit. ſimilis eſt primæ minus tamen mala. quia uniûs tantum alteratricis impedimentum ſignificat. tertia exiguum nimis coctionis oſtendit, & propinquiſſima eſt urinæ quæ omnimodo incruduit.

69 Quæ proximæ ijs ſunt? Primũ quidẽ ſubpallida; deinde pallida, quæ & eadẽ ſubrufa eſt. Rufa autẽ q̃tũ ab illis colore diſtat, tantũ & coctione proceſſit. Harum uero quæ pallida eſt, etiã omnino ſubrufa eſt. Nam ſi in aquã aut pallidi multum aut parum rufi inieceris, idem colos hoc eſt ſubrufus perficietur.

70 Quid per rufum, flauum, pallidum, & rubeum colorem intelligendum eſt? Color rufus albior & turbatior eſt. Flauus nitidior, & purior, atq; ſplendeſcẽs, in quo ſcilicet uis quædam ignea emicat, quem fuluum (ni fallor) nominare poſſumus. Albior ruffo eſt pallidus. Rubens flaua tanto minus eſt album, q̃tum flauus à ruffo, albore ſuperatur.

71 Flaua in ſummo gradu bilis eundẽ ne reffert colorẽ quẽ ſanguis poſtreme flauus? Nõ. Sed hic quidẽ cũ ad flauedinẽ ultimã conſcẽdit, medius eſt exquiſite inter ſanguinẽ, & bilẽ flauã naturaliter ſe habentẽ. Quã obrẽ nec exacte horũ humorũ uterq; poteſt flauiſſimus fieri, ſe ipſis tamẽ magis atq; magis flaueſcere poſſunt.

72 Qualenam eſt lotium hominis qui integra ualitudine fruitur? Subrufum & ſubflauũ. Quale ſi aquam ſero ſanguinis, & bile flaua perfũderes: euaderet. Atq; lotium ſane hominis bene ſani, hoc item precario poſſidet, ut primo quidem mox ut ſanguificatio perfecta eſt, emingatur habens hypoſtaſim albam, multam, lenem, & æqualem, quæ nihil aliud eſt q̃ humor crudus, congeſtus in corpore. Quo autem diutius in inedia, & eſuritione homo perſtiterit, tanto & bilioſior & rufior euadat. Nã omne quod eſt acre & pingue in ſanguine, totũ id in bilẽ flauã cõuertitur.

73 In quibus ætatibus & conditionibus urinæ multũ de ſedimine habent? Vbi lautius & opipare uiuitur, urinæ largum ſedimentum obtinẽt, ubi partius, exiguũ. ubi tenuiter nullum. Et hieme quidem multum, uere autem paucum. Deniq; pueri & qui uitam inertem agunt, & otio deditam, ij omnes copioſam in lotijs ſubſidentiam emittunt, alteri ob ſatiem & ingluuiem nimiam (uoraces nãq; pueri) & quia augendo & nutriendo corpori citius alimentum corripiatur, q̃ conficere uentriculus poſſit, multum de crudo humore exaggerant, in alteris autem ob pingue & altũ otium, & ignauiam cui ſe tradiderunt totos.

74 In quibus morbis requiritur, ut hypoſtaſis qualis dicta eſt, adſit, ut morbus ſoluatur? In ijs quidem qui ob ſatietatem, & plenitudinem, & quietem nimiam febricitant, niſi hypoſtaſis multa alba, lenis, & æqualis adſit appareatue, à morbo expeditum iri, non licet. At quicunq; ob inediam, & ieiunium, & labores graues quos tulerunt, febri ſunt correpti, ijs ſatis ad ſalutem eſt, ſi nubecula alba & ſuſpenſa utilia apparuerint, ut à morbo euadant, priuſq̃ aliquid in urina ſubſideat. Nam & ſani qui uictu exquiſitiore utuntur, & laborant magis bilioſiores & rufo colore infectas urinas obtinent, & quæ de ſedimine modicũ omnino habeant.

75 An poſſit igitur urina rufa coctionem portendere? Prorſus ſi cum hoc in craſſitudine medio habuerit modo. Nec Hippo. ſimpliciter ut crudam urinam rufam accuſauit, ſed eam quæ preter hoc tenuis etiam nun eſſet.

76 Quidnam reſignant urinæ exitiales quæ farinæ hordei craſſiori ſunt ſimiles? Grandem colliquefactionem, & mẽbrorum æſtuoſam caliditatem denotãt. Quæ folijs & furfuribus aſſimilantur, ambæ tales proueniunt, quia ſuperfitiales uaſorum particulæ fuerint reſolutæ, ſed differunt tamen, quia paruiores, & craſſiores ſunt furfuraceæ, longiores autem & tenuiores, foliaceæ. Nigræ aut calorem maximum, aut frigus & mortificationem innati calidi oſtendunt. Nam ita & exterius contingere cernitur ater color, ut apparet in inſolatis, aut alio quocũq; modo infrigidatis. Virides urinæ ad nigras in morbis pernitioſis ubi reliqua ſunt lætalia præcedunt. Liuidæ à frigiditate grandi nunq̃ non oriuntur. Oleoſæ colliquàtionis

particularum. Olidæ putrefactionis ſunt ſignum indubitanter. Nulli autem eorum quibus urina nigra apparuerit ſaluantur, & precipue ſi per totum fuerit atra & craſſa. minus exitialis eſt, quæ hypoſtaſim nigram tantũ habuerit, hac leuior, quæ enæoréma hoc eſt ſuſpenſum nigrum oſtendit, leuius autem omnino malum ſignificant, quibus nubecula dumtaxat, & ſublimes partes nigreſcunt. Igitur exitiales urinæ ſunt atræ & olidæ in acutis febribus, q̃uis interim in fine diuturnorũ morborum ſalutares ueniant, & pingues oleoſæue, & orobi ſpetiem habẽtes, & furfuraceæ, & pultaceæ, dũ modo ueſicæ, uel renum uitio tales non proueniãt, quod facile ex febri, & urinæ cruditate fit notũ, & quia nullus talis in ægro locus affectus habetur. Vrinæ item albæ, & tenues delirium & mortem portendunt, ſi per febres non propter ſuppreſſa menſtrua, uel propter uiſceris alicuius obſtructionem, ſed rapta ad cerebrum bile in cauſis ardentibus tales mingantur.

77 *Quando à calido & quando à frigido nigrum lotium emittitur? Si liuida, aut uiridis præceſſit, frigiditatem memineris cauſari. Si flauus, ſi fuluus urinarum colos, atræ urinæ præeat, à feruore nimio tunc ſanguinem exuſtum, & retoſtum, & in atræbilis naturam conuerſum fuiſſe dignoſcito.*

78 *An ſemper lotiũ nigrum ſit exitiale? In febribus quidẽ acutis, nũq̃ talis urina non magnum aliquod malum dabit. At in lienoſis, quartana, aut per eam affectionem quam filij medicorum melãcholiam maniamue dixerunt, minore cum dãno, & leuiore iactura excernitur. Contingit etiam ut narrat Heraſiſtatus, ut cum mulier febribus teneretur, uidereturq́ iam melius habere, & opinio eſſet, eam cito conualiturã, ecce repente urinæ nigræ ſuperuenerint, quæ inter peſſimas, & omniũ iniquas numerantur, nullum tamen homini illi periculum impendit, aut corriuatum eſt, quia cum dies purgationis inſtẽt, nec fiat purgatio, per urinas excerni, & euacuari humorem, (quod fœminæ illi uſu uenit) ſaluberrimum eſt.*

79 *Quid eſt in mictura per quod certiſſima coctionis, aut cruditatis urinæ dignotio habeatur? Validiſſimum omnium & maximam uim habens eſt hypoſtaſis, deinde ſuſpenſa. tertio loco nebulæ nubeſue ſuperapparẽtes. Illa igitur optima eſt, in quibus omnia hæc talia fuerint, qualia expediũt. Secundũ gradũ bonitatis obtinent urinæ quibus ſedimina cõmoda, deinde quibus ſuſpẽſa, ultimæ ſunt quibus nubeculæ tantum ſalutem præſagiunt. Eodem modo de malis dicendum eſt. In quibus pariter ex hypoſtaſi fortiſſima & uehementiſſima ad malum ſignificatio ſuſcipitur. ſecundo ex ſuſpenſis, tertio nebulæ imbecillius iam & magis anceps periculum portendunt.*

80 *In ætatibus quas urinas dãnauit Hippo? In pueris tenues, & aquoſas. in ui-*

ris & mulieribus atras, quoniam iј coloratiores, & rufiores, illi craſſiores ſuapte
ſponte mingere conſueuerunt.

81 *Vrina multũ ſuperq́ rubea quare ſemicoctũ prænũtiat morbũ? Quia ex ſan*
guine ſolo aſpergitur, cũ oporteret ut aliquid etiã bilis ſuſciperet, à qua intĩgeretur.

82 *Quare cum calidum ita imbecillum eſt, ut bilem quidem non generet, ſed nec*
ſanguinem ſuffitienter coctum, urina quæ in talibus morbis emittitur, omni pericu-
lo uacat q̃uis tempore ad cocturam egeat? Quia materia benigna eſt, nec humida
nimis, aut acris, aut putrida, aut tenuis, aut aquea, aut craſſa, ſed ad ſãguinis ideam
in quo ſibi bene natura complacet proxime accedat.

83 *Quo pacto dignoſcetur principium & reliqua tẽpora q̃diu ſint duratura?*
Si noueris ſignorum alia eſſe coctionis ſigna, alia cruditatis, alia mortis, alia ſalu-
tis, quia ſignificent criſim uenturam, alia cretica quia faciãt: & horum omniũ quæ-
dam obſcurã, quædam manifeſtam coctionẽ ſignificantia, quædã autẽ perfectã.

84 *Quid præterea habere debet hypoſtaſis quæ optima putãda eſt? Vt ab alto*
ſenſſim ad imũ deſcendat, nam prius ſummas partes occupat, & tãdem qualẽ dixi-
mus: in fundo ſpectatur. Vt uero merito iuſtis laudibus, omni ex parte talis reſiden
tia cõmendatur, ita ſi tale fuerit ſuſpẽſum, culpari nõ iniuria debet. & nebula adhuc
talis multo magis deterior eſt, quia multum ſpiritum flatuoſum arguit, qui lentore
participes, & crudas materias in ſublime erigat. Interdũ uero cruda quædam per
lotium deiјtiuntur, quæ neſcientes fallant, ut uerã ſubſidentiã eſſe arbitrẽtur, ſed cõ-
tinuitatem, & leuorem illũ non ſeruant, & mox in urinariј uaſis ſolo colliguntur.

85 *Quodnam diſcrimen eſt inter coctionis ſigna & cretica? Pregrande. Nam*
ſi uel à prima die coctionis ſigna appareãt, iuditiј ſecuritatem demõſtrant, ſi mor-
bus affatim finiri debeat, & fieri nõ poteſt, quin optima ſint. At neutrũ cretico-
rum ſignorum genus fidele & bonum ſimiliter eſt, nec enim firmiter aut malum
aliquod aut bonũ nec criſim neceſſario uẽturam certo prædicere poſſis. Contingit
enim ut utraq́ ſymptomata tã quæ ſigna ſcilicet ſunt iuditiј uẽturi, tam quæ obti-
nent facultatẽ & ſignorum & cauſarũ, in morbo decernendo cretica ſint & non
cretica, & hoc dupliciter aut quia nullam criſim faciant, aut quia prauam.

86 *Eſt ne aliquod ſignorum genus medium inter decretoria ſigna & coctionis?*
Eſt. Vt mẽte robuſtum eſſe, & confortari, & bene ſe habere ad ciborũ acceptio-
nes, bene tolerare morbum, bene pulſare arteriam, corpus totum æquale eſſe, fatiem
ſimilimam ſanis, decenter accumbere in lecto. Aut contra, difficulter ſpirare, &
præcipue frigidum, & grauiter ferre, inæquales eſſe arteriarũ ictus, & alia quæ-
cũq́ Hippo. in prognoſtico recenſuit. Hæc quidem media ſunt inter utrũq́ iam

dictum ſignorum genus. Non enim ſunt decretoria, quia nec indicant criſin, nec faciunt, nec omnino fidelia exacte, qualia quæ coctiones denuntiãt. Sunt tamen inter ea aliqua quæ ſemper bonum conſtanter ſpondent, qualia quæ aute poſuimus. aliqua quæ ſemper iniqua ſunt, ut quæ poſterius narrauimus. Oportet autem ut ſecũ multo ante ſtatuat medicus, quæ nam optima ſigna ſint, quæ peſſima, quæ borum media, quæ proximiora ijs, quæ illis, quæ ſemper bona, quæ ſemper mala, quæ temporibus totius morbi uariantur, quæ fidelia, quæ infida, quæ niſi ſepius obſeruaueris, & mente reputaueris, nihilo differes ab idiota, qui inſtante criſi titubat, an ad bonum uel ad malum conuertatur, & putans forte ex integro morbum abijſſe incautius ægrum dietabis.

92 Quare prænoſcere tempora morbi operæpretiũ eſt? Quia niſi quis à principio reſpitiens ad futurũ ſtatum rationem uictus conſtituat, non eſt quin ægrum in magnum aliquod conijtiat malum.

88 In quibus morbis utilimum eſt tempora uniuerſalia morbi totius prænouiſſe lõgis uẽ an acutis? In ijs qui acuti ſunt, nam ſi decimoquarto, aut uigeſſimo morbus ſoluendus ſit, non magnopere hoc antea prædiffiniſſe intereſt, nec enim propterea magnum quid uictus ratio commutatur, at ſi morbum qui triduanus aut quatriduanus debet iudicari ſic quis alat, ac eũ qui quadrageſſima die ſoluendus erat, hoc extreme abſurdum eſt, & ſolis inſipientibus qui ueterem medicinam ideo carpunt, quia non deguſtarunt, concedendum.

89 Quo pacto dignoſcetur, an morbus cito uel tarde ſit iudicandus? Si principium & reliquorum temporum durationem nouerimus.

90 Quomodo ſcietur principij tempus in quot dies debeat extendi? Si conſideraueris febrim in prima die, & urinas, & deinde ſecunda die inſpexeris, & deinceps reliquis diebus, non ignorabis quo morbus uertatur. Nam ſi febris ſit ſubmerſa à principio, & urina aquea quæ mingitur, iam tum prædicere poſſis, morbum longo tempore duraturum (extreme enim cruda eſt urina aquea) ꝙ ſi ſecunda die aut tertia febris & urina eodem modo perſtiterint, non ſolum adhuc morbum eſſe in principio, nec aſcenſionẽ incepiſſe, ſed & quod non ante primã ægritudo aſcendet, dicere audenter poſſumus. Deniq; ita habendum eſt, diligenter contemplator, ſi coctiones inter initia appareant, nam ſi contigerit, morbus tunc breui terminabitur, ſin tardent, diutius morbus duraturus denuntiatur.

91 Signa coctionis manifeſtæ ut nubecula rubea uel alba, an ſi in quocũq; die apparuerint, ſequente & proximo decretorio morbum ſoluendũ ſignificent? Non ſed inſpitiendi ſunt dies, in quibus coctio apparuit, & in tot ferme diebus futuris

morbus

morbus ex toto ſoluendus denotatur. Vt ſi quarta die nubecula rubea appareat ſeptima morbus omnino ſoluetur, & multo magis ſi alba. Aſt ſi undecimo apparuerit, decimoſeptimo aut uigeſsimo finiet, ſi in decimo quarto, nõ ante uigeſsimum recedet morbus.

92 *In quibus morbis diuturnum eſt principij tempus? In longis: in peracutis autem ſatis anguſtum.*

93 *Quid neceſſarium eſt prænoſſe ad habendam exquiſitam notionem durationis principij & aliorum temporũ? Quæ ſigna ſignificent ſupra coctionem perfectam, quæ cruditatem omnimodã, quæ coctionem inmanifeſtam demonſtrent, mediam ſcilicet inter eam quæ ad ſummũ peruenit, & inter eam quæ nullas aut obſcuras concoctionis notas ſortita eſt.*

94 *In urinis quæ obſcure quæ manifeſte quæ deniq; eſt pfecte decocta? Coctio quidẽ perfecta eſt, cũ ĩ urinis ſubſtiterit quid albũ, & leue, & æquale, & cõtinuũ. At uero obſcuræ coctionis inditia ſunt, quãdo urina ex aquea pallorẽ quendã remiſſum acquiſierit, & ſi mingatur turbida, & permaneat talis, & ſi rufa fuerit, & tenuis. Nebula porro alba, aut ſublimamentum æquale, continuum, & album, nubes item rubea, & eius modi hypoſtaſis, aut ſine ſubſidentia urina bene colorata, & mediocriter craſſa, ceſſationem principij ſignificant, & manifeſtioris coctionis ſunt notæ. Vrinæ autem tenues, & aqueæ, exacte ſunt crudæ, & incoctæ & tales apparent in phreneticis, non quidem omnibus, ſed qui ſunt perituri.*

95 *Nebula aut urina rubea ſignificat né coctionẽ? Significat, ſed tamen diminutã & præcipue cum ſubſtantia tenui, & ideo ſemper hæc urina q̃tũ eſt ex parte ſui ſolutiones morborum retardat, & in plures dies differt & producit morbum.*

95 *In laterali morbo & pulmonio quæ integræ, quæ obſcuræ, quæ manifeſtæ & notabilis coctionis ſũt ſigna? Si nihil cõſpuat id morbi oĩo crudi inditiũ eſt, ſi uero pauca, & cũ labore, & liquida eiecerit, inmanifeſta eſt, & obſcura adhuc in ijs permutatio. Cũ uero pauca quædã emiſerit, ſed magis cocta, iã morbus ad augmẽtũ tendit, & magis, ſi meliora indies, & plura & faciliori conatu expulerit. Talia igitur ſũt coctionis manifeſtioris inditia certa. At cũ exactiſsime multa nimis, & accurate cocta, & ſine tuſsis difficultate excreauerit, hoc tibi coctionis perfectæ & uehemẽtis ſignũ eſt indubitatũ. Si igitur ad ſecundũ quaternariũ cruditatis abſolutæ notæ permaneãt, longũ erit huic morbo prĩcipij tẽpus, ſi autẽ coctionis obſcuræ inditia ĩ hoc tẽpore appareãt, lõgũ ſic quoq; erit prĩcipij tẽpus, ſed minus breuiuſq; priori. ſed ſi pauca quædam, & ualde mediocria fuerint ſigna cruditatis, ſic & paruũ erit futurũ tẽpus prĩcipij. Vt ĩ coſtali morbo ſi ante undecimã nihil uel parũ*

*expuatur, & tunc primum pauca quædam, & humidiora expuere incipiat, quæ obſcuræ coctionis ſunt ſigna, uſq; ad talem diem non eſt aliud q̃ principij tempus. Si uero decimaquarta aut decimaſeptima pauca quædam & concocta eduxerit, quia adhuc medio*c*ris moderatæue coctionis hoc ſignum eſt, iudicium perfectum in uigeſſima die nõ ſubſequetur, donec magna proueniat mutatio in integra coctione tam ſputi, q̃ urinarum, quæ ſi acciderit in uigeſſimaſeptima, morbus in ſequenti decretorio die trigeſimoquarto omnino terminabitur. Sin uero coctionis quæ uigeſſimoſeptimo apparuerint ſigna, intra primũ quaternarium apparuiſſent, nullatenus fieri poſſet, ut morbus ſeptimum ultra protenderetur.*

97 *Quare cum fortior ſit dies uigeſſima in criſi cõmittenda q̃ uigeſſimaſeptima & undecima q̃ decimaſeptima priores longe ualidores, ſi concocta aliqua ſputa in ijs apparuerint, non habent tantam uim ſoluendi morbi? Quia proceſſu euadunt imbecilliores, q̃uis ſi in principio ſit morbus ſoluendus, ſint fortiores.*

98 *Quomodo igitur finẽ futuri principij anteq̃ ueniat, prænoſcemus? Spetialiſſime quidem per hoc q᷑ ad notas coctionis attẽdamus, quæ q̃ primum apparuerint, mox principij finis adeſt. Generalius autem & ex adiectione, & regionem in qua ægrotat, & uictum quo dum erat ſanus utebatur, & morbi naturam an lente uel tarde moueatur, ſi acutus, ſi diuturnus, an ſubmerſus, & qui ſuffocari uideatur, an cõtra emicans, & cito ad ſtatum & extremum tendens, quin & ætatem, & temperaturã, & anni tempus, & ſymptomata inſpectare oportet, ut ex ijs quod deeſt & requiritur, inueniamus ad coctionis ſigna cognoſcenda. Vt ſi per hiemem frigidam, & locum natura algioſum, quiſpiam ſuapte ſponte frigidior, ætatem agens declinantem, aut ſenectutem lœto uicinam, ſuetus frigidas dapes ingerere, ex quibus multi, & lenti, & craſſi ſucci accumulantur, amphemerina febri hoc eſt cotidiana capiatur, hunc nihil mirum non ſolum ante ſeptimã, ſed nec ante decimamquartã ſignum aliquod coctionis in urinis nõ oſtẽdere, & tam longũ habere principij tempus. Frigidi item ſudores in tali febri multo poſt morbum ſoluendum ſignificant, & per conſequens principij durationis ſpatium futurum fore diuturnum.*

99 *Quo pacto & aliorũ tẽporum uniuerſaliũ notitiã, & per conſequens totum tempus quo morbus durare debet accipiemus? Ex tempore durationis principij, proportionaliter & aliorum temporum durationem conſequeris; faciléq; perſpicies q̃tum adhuc à perfecta coctione abſit morbus: ut ex integro ſoluatur. Nam ſi cum coctionis ſigna apparuerint, multum deſiderari uideris: ad coctionem perfectam, tardius, ſin autem parum relinqui arbitreris à ſignis coctionis integræ, citius ſoluendi morbi ſpem habeto.*

100 Nunquid in morbis omnibus futurum principij finem præſcire ſatius eſt? Non. Sed in peracutis quæ a prima die qua inuaſit morbus floreſcunt, & uigent, uel ad ſummum quarto finiuntur optandum eſt, uel preſens & dum adeſt principium cognoſcere.

101 I j morbi quibus prima die ſtatus contingit, nunquid carent principio? Non ſed prima pars paroxiſmi, eſt quoq; principium morbi: & idem eſt initium uniuerſale & particulare. Nequaq; autem concipi aut contingere poteſt, ut paroxyſmus ſeu acceſſio mox à ſummo incipiat (perinde ac ſi eſſet homo à fulmine percuſſus) ut ita careret principio morbus.

102 Qui nam cognoſcere poſſumus ſtatum prima die obuiaſſe? Si coctionis integræ in ea ſigna apparuerint, ſi mox ſubſidat quid utile in urinis. Accidit enim hic ſimile quod humoribus crudis quando coquuntur, & inflammationibus quæ ſuppurantur. Vt enim quando pus generatur, dolores & febres accidunt magis, ſed ubi confectum eſt, nec dolores intendi, nec morbus conſiſtere adhuc etiam poteſt, ita ubi coctio integra humorum affuerit, leuiuſq; deinceps incipiat ferre morbū, poſtq; in ſuo uigore ſtetit, ſtatum iam e proximo affuiſſe, aut adeſſe haud dubie cognoſcito. At ſi nebula dumtaxat, aut ſuſpenſum, aut neutrum horum appareat, ſtatus eſſe nequit, niſi morbus plus nimio fuerit bilioſus.

103 Qui nam intra quatriduum iudicantur? Quibus dum acute febriunt, urina bene colorata, & commoderate craſſa, & ſigna omnia ſaluberrima affuerint, & multo amplius ſi nebula, aut hypoſtaſis alba cum iјs apparuerit, iј inter quartum iudicantur. Sic ſi à principio in morbo acuto omnia ſigna periculoſa, & mortem exitumq; portēdentia uideas, intra quartū morietur æger. ſi ſigna ſalutis, aut mortis & reliqua non ſuperlatiue talia, ſed tamē adhuc lætalia ſunt, aut ſalubria, morbuſq; non ſimpliciſſimus ſed ſimplex, morbum ad ſeptimam noueris fore prolongandum. Ante omnia igitur quæ ſigna ſint periculoſiſſima, quæ ſaluberrima, quæ ſalua, quæ exitioſa prædidiciſſe, menteq; obſeruaſſe oportet.

LIBER SECVNDVS EROTE:
MATVM ANTONII LODOVICI
medici Olyſſipponenſis in ſecundum de criſibus Galeni.

AD præcognoſcēdas ſubitas mutationes in morbis quas criſes appellamus, quid facere operæprecium eſt? Oportet ut principium, augmentum, ſtatum, & declinationem, & prænoſcere anteq̃ ueniant, & quando fiunt dignoſcere multo ante didiceris.

2 Quonam modo hæc morborum tempora cognoſcentur? Ex idea uel forma morbi, & tēpore anni, in quo & regionem, & preſentem ambientis aeris cōſtitutionem, & alia id genus ut ætatem, temperaturam, naturas corporũ, uictus quibus uſus eſt, & officia in quibus æger uerſatus eſt cōcipimus. ſed & ex periodorũ proportione & ex ſuperapparētibus hæc tempora præſcrutari cōuenit.

3 Ex ægritudinis forma quo modo? Si exempli cauſa noueris ꝙ tertiana & qui per tertiã diē magis infeſtãt, breuis ſunt durationis. quartana & qui per quartum uiolētior redit, diuturni, & ꝙ cotidiana & qui per ſingulos dies exacerbantur, minus ſunt longi. & deniq; morbos omnes qui à bile trahunt ortum, breues, longiores, qui à melãcholia, inter utroſq; medios eſſe, qui à pituita proueniũt. continuas igitur febres & intermittentes & ſimplices & cōpoſitas tã quæ ob putredinem humorũ q̃ quæ ob particulas aliquas affectas conſiſtunt, multum nouiſſe contulerit.

4 Has febres quo pacto prōpte cognoſcere ſciuerimus? Si ſimplices & primas ut ſunt pituitoſa, bilioſa, & melãcholica noſcere te exercueris: hijs enim cognitis facile erit & ubi cōmiſceantur inuenire. Vt ſi quis & uinum & mel & oleum per ſe ſingula ante conſpexerit is nec eorum mixturam ignorauerit.

5 Qui modus præſtãtiſſimus eſt ad cognoſcēdas has febres? Si ipſas ĩ ſeipſis cōtēplemur primũ quidē & maxime ex ijs quæ ſecũdũ propriã ſubſtãtiã illis cōpetũt, nō autē ex ijs quæ extrĩſecus, adiacēt. Nã ſi duæ tertianæ gignãtur, & duæ quartanæ, indies quidē duæ tertianæ, ſecũdo autē quoq; die binæ quartanæ exacuũtur. quare aut has unã tertianã, aut illas unã cotidianã putaueris, quod tamē lōge abeſſe debet.

6 Ex bile quæ febres generãtur? Tertianæ intermittētes, & cōtinuæ, & cauſi.

7 Qui differũt febres intermittētes à cōtinuis? Quia in illis humor qui putridus febrim cōmittit, per totũ corpus ſpargitur, in cōtinētibus autē intra uenas & uaſa cōtinetur. Atq; hinc oĩo deſſitiētes febres in infebricitationē deſinũt cũ ſudore, & cũ rigore inuadũt, quorũ nullũ cōtinuis accidit, niſi ſi quãdo excitata uirtus noxium humorem de uaſis ad extra uaſa protruſerit, quē quidē tũc rigorē efficere poſſibile eſt, quod ſignũ ſoluēdæ ardētis febris Hippo. aſſeruit, ſi ſic laborãtes riguiſſent.

8 Quare per febres intermittentes rigent laborantes? Quia per mēbra ſenſilia ſcilicet muſculos mouetur, atq; defertur humor à quo rigor producitur. nō ſolũ autē cauſæ frigidæ ſed etiã calidæ rigorē producere habēt, & omne deniq; quod fumo-

ſa & ſuperfluica agitat excrementa, & crudos humores, rigorem inducere poteſt. Sic igitur & calidum medicamentũ rigeſcere aliquãdo cõpulit mordens particulã, & crudi pleniq; acri immunditia, ubi ad balneas acceſſerunt uel inſolati ſunt, aut exercitia aliqua & motiones uehementes actitarunt, riguiſſe protinus ſunt cõſpecti.

9 *Quando bilioſæ febres multæ generantur? Quando æſtas aut preſens conſtitutio calida, cum primis & ſicca fuerit, & regio ſimiliter calida & ſicca, & ægrotantis temperatura ſimilis, & uita ante exacta in inopia & paucitate eduliorum, & curis, & uigilijs, & laboribus, & ciborum eſu, aut aliorum quorũcũq; uſu, quæ bilem multiplicare ſunt nata, tales extiterint, tunc quidem talium febrium quas amara bilis excitauerit, prouentum expectare oportet.*

10 *Quæ ſunt inditia tertianæ febris? Iſta. Paroxyſmus quidem cum rigore uehementi, & qui à nullo febrium ardentiſſimarum relinquatur, inuadit: adeo ut corpus caroq; pungi, & feriri uideatur. Pulſus q̃uis cum morbus arripit, tardi ſint, rari, & parui, & obſcuri, tamen iſta non paulominus mitiora ſunt & longe minora, q̃ quartanarijs. Sed & pulſuum ordo exactus & æqualitas nõ ſolum in latione una, ſed cumulo etiam adeſt. Aſt cum inſcendit & augetur multo facilior eſt earum dignotio, ut nullum uel uulgariter educatum latere poſſit. æqualem nãq; & minime impeditam habet uelocitatem, & mox ad uehementiam & magnitudinem excitatur, frequentiamq; proportione acquirit, nec inflammationis aliqua ſuſpitio eſt, q̃ ſi arteriæ tangãtur primum quidem calor multus fit obuiam, acriſq;, & cum multo uapore ſublatus, ſed qui tamẽ non multo poſt à manu ſuperetur, cũ in malignis febribus calor magis & magis inſuauis, & fortior cõtinuo appareat. Vrit itaq; hominem febris, & ſiticuloſum reddit, bibenteq; ægroto confeſtim multitudo calidi halitus aſcẽdit, nec extrema in hac minus calida thorace ſunt. Soluitur porro aut ſudore calido & uaporoſo ſuperueniente, aut bilis uomitibus; aut diſrupta alno, & mingunt bilioſa. ſed & pulſus non alius q̃ ſanorum dum balneantur, uel exercitio alicui ualido ſe commiſerunt, magnus ſcilicet, & celer, & frequens & uehemens. quin & ſudat æqualiter totum corpus, nec ultra duodenas horas tertiana exquiſita protenditur, ſed ut plurimum intra ſeptem horas ſerius paulo aut citius eius paroxyſmus terminatur. Sin uero & urinã ſubrufam, & ſubflauã & mediocriter craſſã, quæ nebulã albã aut ſuſpẽſum cõmodiũ paulopoſt fecerit, interea mingat æger: hanc non ſolũ tertianã exquiſitã, ſed talẽ etiã quæ quartã periodõ nõ ſuperfutura ſit, eſſe dignoſcito. Vrinis autẽ apparẽtibus rufioribus ſine nebula aut ſuſpenſo aliquo in prima periodo uiſa, ad ſeptem uſq; periodos extenditur. Simpliciſſima tamẽ oĩm eſt illa quæ ad ea quæ recẽſuimus ſigna, hipoſtaſim albã, leuẽ,*

& æqualem prima mox die oſtenderit, non enim tertiam periodum ſuperabit.

11 *Quartanæ febris quæ ſunt inditia? Iſta. Inuadit cum rigore à principio non ita forti, quàm in proceſſu aucto morbo intendatur. hic ſenſum ægrotis inuehit, quaſi habeant oſſa confracta, & contuſas carnes, non quaſi pungantur. Vrinæ albæ tenues, & aquoſæ. Pulſus uero ita parui, & rari, & tardi, & obſcuri ſunt, quales in nulla alia febri, adeo ut nullus quàmuis iuuenis & ætate media ſit qui ubi paroxyſmus quartanæ inuaſerit, non habeat pulſus ſeniles. arteria certe in tãtam raritatem & inopinatam conuertitur & tarditatem, ut alligata eſſe, & impediri ab aſcenſu, & detineri uideatur. Aetas preterea à iuuenta in conſiſtentem aut decreſcentem permutans, etiam regio talium morborum feratior, & autũnus quoque maxime frigidus & ſiccus, & laborãtis atribilioſior natura, & uictus qui præceſſit ad gignendam atram bilem aptus quartanas febres pollicentur. Ad hæc uitia lienis, & erraticæ febres, aut tertianæ ob medicorũ incuriam in tales morbos non raro permutare conſueuerunt. Quòd ſi præter hæc etiam ea tempeſtas plurimas quartanas attulerit, id quoque non falſa quàmuis uulgaris fuerit coniectura ad quartanam deprehendendam. Non eſt autem is medici nomine cenſendus, qui tertianam à quartana prima die interſtinguere non cognouerit.*

12 *Quæ ſigna cotidianã oſtendunt? Humidior in preſens natura, & regio, & hiems frigida, & humida, & uita ſegnior atque pigrior in torpore atque inertia & crapulis peracta, & ætas puerilis hanc febrim gignere ſolent, raroque euenit, ut non aut uentris os aut epar fuerit affectum. Præcedunt autem cruditates multæ, & coctionũ tarditates, & acidæ eructuationes, & aggrediente paroxyſmo ilia tenſa, atque ueluti flatibus repleta, & colos ex albo & pallido intermixtus, quàmuis uigeat morbus, & acceſſiones ad ueſperam magis inuadunt. non rigent autem qui hoc morbo decumbunt, ſed dumtaxat infrigidantur, nec à principio ſudant copioſe, ſed minime. quàmuis poſtea etiam hoc illis accedat. Quòd ſi & preſens temporis ſtatus conformis, & multas cotidianas populariter graſſari uideris, multo magis ſi reliqua adſint, hanc talem cotidianam eſſe conſignato. Non exurunt cotidianæ egrotos. non faciunt ſiticuloſos, non proijcere ueſtem cogunt, non concupiſcunt frigidum, nec ueluti flammam quandam ex ore exhalant. Ineſt autem magna in pulſu inæqualitas & inordinatio.*

13 *Quot ſunt febres intermittentes? Tres iamdictæ. Sunt & aliæ tres continuæ prædictis congeneres ab iiſdem quidem humoribus ortum habentes, quæ nec inuadunt cum rigore, nec cũ ſudore terminantur, quia qui in intermittentibus humor mouebatur, in continuis intra receptacula cohercetur, ſed ſolum differunt, ab illis, qui-*

buſdã uomitibus,aut ſudoribus aut excretionibus quæ adſunt illis, hijs non adſunt. Vocamus autem febrem continuam illam quæ ab eo quo incepit tempore, uſq; quo morbus ex integro ſoluatur,nunq̃ ad inſebricitationẽ deſinit, q̃uis ſenſibilis aliqua in ea declinatio appareat.Synochon autẽ tũc dicimus,quando(quia morbus peracutus & æſtuoſiſſimus eſt)nullam uſq; ad ſolutionis tẽpus declinationem facit. atq; huius tria genera fecerunt acmaſticam quandam quia ſemper uigeat appellantes, aliam homotonon, quoniam ſemper in eodem tenore perſtet.tertiam paracmaſticam quia continuo ab initio uſq; ad finem decreſcendo procedat . In illis igitur primis & ſimplicibus(quas ideo exactas & exquiſitas antiqui appellauerunt,quia ab aliquo ſimplici humore ſine uiſceris alicuius noxa procreantur) exerceri uſq;quaq; & maxime oportet ut illis cognitis prompte continuas condiſcamus.

14 Febris cõpoſita in quot partes deducitur? In duas prima ſui ſectione.aut enim dicitur compoſita quia aliquæ iam dictarum febrium commiſcentur abſq; hoc q̃ uiſcus aliquod fuerit oblæſum , aut quia ob particulas aliquas affectas conſiſtunt.

15 Quotupliciter febres cõmiſcentur? Dupliciter aut dumtaxat ad inuicem complicatæ,aut per totum contemperatæ.

16 Quæ febres quibus Cõmiſcẽtur? cõgeneres cõgeneribus, ut tritæus tritæo,aut quartanæ quartana(nam ſepius à tribus quartanis idem homo præmitur) uel diuerſi generis interpolatæ alijs intermittentibus diuerſi generis , aut intermittentes cum continuis coniunguntur,quam mixturam noſſe difficile eſt.

17 Febris compoſita ob membra patientia infeſtans quot modis efficitur? Duobus:nãq; aut fit talis quia diuerſa membra q̃uis unam affectionem habentia patiantur , ut lien ſi ita contingat & iecur.aut quia in uno ſepius uiſcere duplex affectio conſiſtit , ut heriſipelas inflammatiuum , aut inflammatio ad heriſipelatis naturam accedens.

18 Quænam febris eſt hæmitritæus? Eſt febris compoſita ex febri phlegmatica & bilioſa ad inuicem per ſe totas contemperatis,& ueluti in unam formam redactis,in qua in unomet paroxyſmo cõtingunt diuerſæ inuaſiones atq; contractiones . cumq; iam febris ad ſtatum perueniſſe putatur, altera de nouo horrida acceſſio ægrotantem inuadit . eſtq; hæc febris de genere continuarum . Vt ſi febris aliqua detur horrorem afferens , & omnino inæqualis adeo ut ſepius cum uigeſcere uel ſaltem increſcere creditur,rurſus horrorem inducat,& caliditatem ab extremis reuocet,abundareq; faciat circa thoracem & uentrem , hanc non immerito dixeris eſſe hemitritæum . Nulluſq; erit q̃tũcũq; uulgari intelligentia preditus . qui hunc tertia die non cognoſcat.

19 *Poſſunt ne biliosa febris & pituitoſa abſq; hoc q̃ hemitritæum conſtituant eundem hominem premere? Vtiq; poſſunt. ſi non contemperentur & in unum confundantur, ſed ſolum complicentur. Vt ſi forte ita contingat q̃ die prima qua decubuit æger acceſſionẽ tertianæ exquiſitæ habuerit, quæ ſcilicet cum rigore arripuerit, & cum ſudore finierit, ſequenti autem die paroxyſmum amphimerinæ debitum ſubierit, non dubium eſt quin binas febres idem homo habeat, non erit autem difficilis earum dignotio uel in tertia die qua ambæ ſuum officium faciũt, ſiquidem earum utriuſq; multum acceſſiones diſtauerint, quarum ſcilicet una hora diei prima, altera (ut ita ponatur,) undecima ſit aduentura. Omnino autem q̃uis non longa ſpatia medient inter utriuſq; febris ingreſſus, quarta die huiuſmodi complicatio non latebit quando ſcilicet altera earum ut tertiana non urgebit.*

20 *Ex febre phlegmatica & bilioſa quot febres cõſtituũtur? Quattuor. Aut enim componitur tertiana cum cotidiana, aut tertiana continens cum amphimerina continua, quæ per ſingulos dies excreſcit, aut tertiana exquiſita cum cotidiana continente commiſcetur, aut cum tertiana continua, amphimerina coniunguntur.*

21 *Poſſunt ne continua febris & intermittens circa eundem laborantem complicari? Quidni poſſint. Vt ſi ſupponamus mulierculam quandam exẽpli cauſa quæ ægrotare cœperit. Occupet hanc prima die paroxyſmus exquiſite qualis in hæmitritæo contingit, horridus ſcilicet, & inæqualis: circa diei eius octauam horã alter paroxyſmus cum rigore ſuperueniat, omnes tertianæ exquiſitæ refferens notas, qui tertia hora noctis aliquo ſudore effluente frangatur, inclinetq; ad diei ſequentis horam ſecundam, quem ſuſcipiat alius paroxyſmus inæqualis, minor quidem eo qui primitus acceſſit, ſed tamen compreſſus, & qui uix occaſo ſole ad ſtatum pertingat. quartaq; hora noctis tãdem ſuſcipiat inclinationẽ uſq; ad diei tertiæ exortum, atq; deinde ob copioſas & habundantes reliquias ad octauam horam uſq; de integro non inæquale augmentum ſortiatur, ubi cum manifeſti uigoris explorata inditia dederit, ecce iterum de repente tertianus paroxyſmus inſultet. Hanc febrim ex ſemitertiana & tertiana compermixtam cognoſcito. dabit tertia dies huiuſcé rei ſigna certiora, ſi qualem diximus de ea ſecunda die opinionem concepiſti. Nam breuiuſculo tempore tertianus inſultus durabit, longiori ſemitertianus extendetur. Porro ſi tertiana expulſa per reliquam morbi partem ſolus hæmitritæus relinquatur, principium quidẽ totius periodi paribus faciet diebus, ſuperexacerbabitur autẽ die impari, nã id oĩbus ſemitertianis uulgare eſt, ut altero dierũ ſuper exacuantur.*

22 *Poſſunt ne ita febres intermittentes commiſceri, ut nullum quieſcendi locum relinquant ægro? Nihil ſane obſtat, nec impedimento eſt. Nãq; & duæ & tres*

nonnūq́ quartanæ ſi penes eundem ægrotum dimorentur, ſingulis diebus cotidianæ ritu acceſſiones mouebunt. Atq́ per gradum & formam, & modum caloris, & alia ſigna, diſtinguere ab amphimerina oportebit. Sic & duas & plures tertianas connecti in unum nihil prohibet ut continentem effitiant febrim.

23 *Ex binis tertianis nunquid continens ſic febris conſtitui poteſt, ut ad infebricitationem æger non perueniat? Certum eſt. Si acceſſiones ſingulæ duodenis horis fuerint longiores, & anticipando procedant.*

24 *Nunquid dabis ægrum continua febri laborare cui tertianæ adſunt duodecim horarum tempus (quod eſt propriū earum interſtitiū) non excedentes? Eſto. facileq́ id eſt. Si complures ſimul ut tres uerbi gratia eundem ægrum infeſtent, & tum maxime ſi præocupatiue gradiantur. Vt agamus ac ſi ita contingat, ꝙ quinta hora diei iuuenem quēpiam febris cum rigore apprehendat, cūq́ paululum ſudarit, ad ſeptimam noctis alius rigor atq́ paroxyſmus tertianus per omnia ſimilis priori accedat. atq́ hunc ubi ad diei ſecundæ horam decimam peruentarit, alius incurſus à primis nō alienus eodem pacto cum æquè ualido rigore, & reliquis tertianæ ſignis ſuſcipiat, quē anteaq́ omnino ſoluatur, tertia die ad horam ſecundam, rurſus paroxyſmus inuadat exquiſite tertianus, primoq́ proportionalis. In ſecunda dierū potuiſſes hac hypotheſi data clare perſpicere immo potius intueri tribus tertianis hominē diſtētū. At in tertia die (qua qui prima dierū paroxyſmus quinta obtigerat, ſecunda hora aduentauit) etiam ꝙ antecedenter procederent, non minus pernotare poſſes. Quòd ſi exacerbatio quintæ diei quæ eſt tertia à prima, etiam duabus horis anteuertat, ita ut oriēte ſole incūbat, & quarta deinceps à prima quæ in ſeptima ſcilicet die uenire debet, nona hora noctis hoc eſt tribus horis ante aurorā adueniat, quinta ad ſeptimā, ſexta ad quartam noctis anticipet, & ſic in alijs paroxyſmis, alijs duobus analogis contingat, per Eſculapiū profecto, quo ad morbus pertranſiret ſtatum, nunq́ hominem cerneres ſine febre, quia incurſus ſunt ſufficienter longi, atq́ præocupant. Sin uero ſeptimus à primo paroxyſmus pariter ac ſextus quarta noctis hora perueniat, octauus quinta, nonus ſexta, decimus ſeptima pariq́ modo in alijs eueniat quoad perfecte ſoluantur, iam tum ubi poſtpoſuerint, fueritq́ in octo horarum ſpatium contractum totum tempus durationis ſinguli cuiuſq́ paroxyſmorum, iam cuiuis perſpicue non lippitudine laboranti cernere erit hominem per horas tres aut quattuor manentem ſine febri. Vt non leui ignorantia illi ducantur, quicūq́ omnes febres in quibus ſunt multæ inuaſiones, ſiquidem acute moueantur, ſemitertianas, ſin tardius, erraticas appellare ſibi licenter permiſerunt, cum ideam & proprietatem cuiuſcūq́ febris inſpicere oporteret.*

25 *Nunquid in caſu prædicto potuiſſet dici æger laborare hemitritæo? Non quia nunquam ad infebricitationem perueniſſet, quod longe aliter eſt.*

26 *Febrium quæ ob patientia loca cõſiſtunt quis eſt dignoſcendi modus? Ex inditijs ſignisue. Horum enim alia loci affecti, alia cauſarum ipſum lædentium afferunt notas.*

27 *In pleuritide quæ ſigna locum patientem, quæ uero cauſam lædentem oſtendunt? Dolor quidẽ punctorius primum: neruoſum corpus pati oſtendit, & quidem tenſiuus atque pungitiuus membranam affici ſignificat. tales enim membranarũ dolores. Quia uero per talem morbum difficulter ſpirat animal, alicuius organorum ſpirationi ſeruientium affectum eſſe demonſtratur. Quin & prope cor eſſe colligere quis poſſit, quoniam flammam atque æſtuoſam caliditatem tranſfundat, unde febris accendatur.*

28 *Quæ ſigna in coſtali dolore affectionis quæ exiſtit in membrana ſubcingente coſtas cauſæque à qua talis prouenit affectio, ſunt indicatiua? Sputa. quia enim prope pulmonem membrana ea eſt, aliquid humiditatis in ipſum transferet, unde tuſſis excitetur, non tamen neceſſario ſputa. Niſi enim ſufficientem quantitatem tranſmiſerit, expuitiones non generantur, quod ſi cruda paſſio, nihil ex ſe niſi paulum quid delabi ſinat, ſed totum in ſe confoueat humorem, quamuis tuſſis irritet, non tamen ſputa ſubſequuntur. Hæc igtiur ſi non ſpuantur, cruditatem morbi cauſari par eſt, ſin uero educantur, qualitas, & color, & multitudo humoris affectionem & magnitudinem eius & ſymptomata ſubſequentia indicabunt.*

29 *Quomodo ex ſputis iſta comprehẽduntur? Quia flaua meracam bilem, ruſa hanc etiam, ſed multæ ſeroſæ humiditati commixtam. pallida maiorem adhuc ſeroſi humoris admixtionem oſtendunt, atra melancholiam, rubea ſanguinem eorum eſſe effitientem cauſam tantum non dictitant.*

30 *Quomodo ex bile flaua ruſa generatur? Per admixtionem ſeroſæ & aqueæ multæ humiditatis, ſin magis adhuc de tali humiditate admiſceatur, pallidi coloris bilis redditur, cum autem hæc tota humiditas conſumitur, bilis (quæ quia ouorũ luteo ſimilis eſt à Græcis lecythódis appellatur) conſtituitur. Sunt uero & aliæ bilis differentiæ ſpecieſue quæ non in uaſis, ſed in uentre generationem habent, ut porrina & æruginoſa, & quæ glaſti colorem reffert.*

31 *Magnitudinem affectionis quæ ſigna demonſtrant? Magnitudo effitientium cauſarũ. Vt magnitudo doloris ſiquidem acutus fuerit, acrem ſuccum abundare uel ſpiritum flatuoſum exitum non habentem, opinari par eſt. ſi autem ſolutus remiſſusque dolor extiterit, pituitoſum humorem in cauſa eſſe, non abs re coniectaueris. Sic*

igitur & de alijs membris paſſis, & eorum affectionibus ratiocinari non abſonum fuerit. Vt in epate quidem & renibus, ſi dolor in carnoſis eius partibus inſederit, grauitatis, & ponderis cuiuſdam ſenſum affert, ſin uero dolor in membranis circundantibus infeſtauerit acutus potius & tenſiuus fuerit quàm grauis. Quin & ſi ad iugulum & claues aſcenderit, uenæ ſectionem, ſin ad hypocondria & præcordia ſe dimiſerit, purgationem fore neceſſariã, ut antiquus auctor monuit, non eſt ambigendum. Non igitur id ſolũ inſpectare oportet, quòd Socrates & Coriſcus ſi ita contingat, dolorem lateris patiantur, ſed etiam doloris ſpetiem perdiſcere conuenit, ſi pungitiuus in uno, in alio diſtendens, aut grauis, aut intermiſſionem habens, aut intentus, aut erodens exiſtat. Id quoque contemplari decet, quòd ſingula ſingulorum ſunt indicatiua, nec unum quid eſt, quod non diuerſum quid ab alio ad cauſæ uel loci cognitionem oſtendat atque conferat.

32 Nunquid unum & idem ſignum & affectionem & locum affectum demonſtrare poteſt? Ita. ſed alijs atque diuerſis rationibus, ut in pleuritide nè pedẽ ab exẽplo moueamus, pulſus omnium iam dictorum ſignificatiuus eſt, ſed aliter atque aliter, eo namque quòd ſimul cũ tenſione durus eſt neruoſum eſſe membrum oblæſum indicat, quia uero ſerrinus phlegmonem eſſe ægritudinem diſpoſitionemue oſtendit, & tandẽ quia magnus celer & frequens febri quoque occupatũ eſſe laborantẽ admonet.

33 Locus patiens nunquid ſupra tardam uel citam morbi ſolutionem ſignificare poteſt? Nimirum poteſt. Si enim qui patitur locus bene calidus & ualde mobilis extiterit, & rarus, & principalis, cito iudicandus morbus oſtenditur. Omnẽ enim uehementem morbi mutationem criſim nominamus ſiue ad bonum ſiue ad malum conuerſio fiat.

34 Affectionem quoque ipſam nunquid prohibet ut de criſi futura ſera uel uelociali quid denotet? Nihil. nam cũ affectio frigida non fuerit, ſed agilis & rara, ita enim appello illam quæ ſtare neſcit, & celeriter impellitur, & aliquid de humore quem intus continet concedit, & digeri per halitum permittit, hæc non poterit diu durare quin iudicetur.

35 Quo pacto compoſitas febres quæ ob patientia loca oriuntur dignoſcere competes erimus? Si prius in ſimplicibus febribus dignoſcendis exercitemur quas membra patientia excitarunt.

36 Quando dolentia loca ſimplices febres accẽdunt? Quando humor qui in ea influit ſanguini impermixtus puruſque & meracus deſcendit, tunc enim omnino quæ progignitur febris una ex illis tribus eſt uidelicet cholerica, phlegmatica, aut melancholica.

37 Bilis quando intemperans in aliquam particulam decumbit quid efficit? Vlcera ſerpentia & exedentia & heriſipelata. febris uero quæ ad ea mala conſequitur per tertium ſuſcipit incrementa. ſinautem ſanguini ſotia bilis in membrum aliquod prorepſerit inflãmationes heriſipelatódes uel heriſipelata inflãmatiua procreãtur.

38 Quid cum pituita in aliquã particulam ſe recipit enaſcitur? Tumor mollis febriſq; pituitoſa ſubſequitur ſi computruerit ibi. mixta autẽ ſanguini inflãmationes molli tumore præditas aut œdemata ad inflãmationem accedentia operantur.

39 Atra bilis ſi in particulam defluxerit quidnam maxime efficere poſſit? Cancros & elephãtos & ſcirros hoc eſt duros tumores quæ ſi in loco computreat non dubium eſt quin atrabilioſam febrim progeneret ac cum ſanguini admiſcetur inflammationes duras aut ſcirros inflammatos producit.

40 Sanguis ubi in particulã impulit quod morbi genus adnaſci facit? Phlegmonem inflãmationemue febrimq; cauſat ſimilẽ diariæ quã tumefacta inguina exoriri fecerũt. bubones enim qui tumores in inguinibus ſunt, ex ſangune utili nanciſcũtur ortum, nihilq; aliud eſt bubon ꝙ inguinum inflãmatio ſicut peripleumonia pulmonis & pleureſis coſtæ.

41 Quot igitur ſunt ſimplicium febrium genera unde omnes cõpoſitæ oriũtur? Tria. quæ ſcilicet ab atrabile, aut amara, aut pituita proueniũt, ꝙuis omnes eæ febres bilioſæ quo quomodo dici poſſint iuxta Hippocratem. Si febris nõ ex bile habeat, ubi exceptis diarijs omnes à bile trahere originem autumare uidetur. Nã bilis atra non minus ꝙ flaua: bilis eſt. & pituita cum putreſcens edit febrem (ſi non ad unguem loquamur) aliquo pacto bileſcere dici poſſit.

42 Num ſanguis quartum genus febriũ cõmittat? Minime. Sed cũ per muſculorum cauitates nõ uiſu ſed ratione notabiles diſſipatus phlegmonem gignit, febrem tertianos circuitus obſeruãtem producit, & in pleuritide quo maxime tempore rubra expuunt per tertium morbus magis increſcit, ut uel inde ſanguinem in bilioſam naturam cõceſſiſſe ſit manifeſtum. Sinautẽ ſanguis in cauum aliquod corporis ingruat à loco naturali effuſus ubi putredinẽ non concipiat, mox quidem refrigeratur & in concretos grumos thromboſue congelaſcit (quod ſoli ſanguini euenire cernitur) & ſæuiſſimos caſus infert. nã & diſſoluuntur & frigidum ſudant, & deliquio animi ſuccumbũt, & ſine pulſu arteriarum redduntur, aut omnino pulſus deffitiẽtes habẽt quales ſunt uermiculãtes aut formicarij dicti à Græcis quibus ſic ille amiciſſimus nimiumq; cognatus naturæ ſanguis refrigerationem hauſit & congelatus eſt. Sanguis igitur cum extra uaſa putreſcit, febrim quidem cõcitare negandus non eſt, ſed ſanguinea talis non nominatur, ſed bilioſa. non enim cum putreſcere &

percoqui ſeu torreri incipit amplius iã non manet talis, ſed quæcũq; in eo pars leuis & pinguior eſt in bilẽ tranſit, quod uero grauius & craſſiſſimum eſt, ubi calorem immodicum ſuſcepit, nigra bilis efficitur. nam ſanguis à temperato calore ortũ habet qui ubi magis augetur bilem, & maior adhuc atram bilem efficere eſt natus. ſic & cum flaua exuritur, melãcholia prouenit, duplicẽ enim generationis modum ſortita eſt. In uenis autem nunq̃; ſic putreſcit ut in bilem tranſeat, ſed excalefactus plus ſatis cõtinuas quaſdam efficit febres ſine putredine, quibus & miſſio ſanguinis ad animi defectum & frigida affatim epota præſentaneũ remedium afferũt. Quippe & in cauſis hoc eſt febribus ardentibus à bile procreatis in proceſſu ubi morbus crudus non eſt, nullum præſtãtius præſidium in aſſuetis frigidam bibere, quibuſq̃; nullum uiſcus læſum eſt, reperire aut excogitare quis poſſit q̃ frigidæ potationem affatim in tantum q̧ æger ſine accepto ſpiritu perdurare poſſit.

43 *Quare pituita cum frigidus humor ſit febrim committere poſſit? Quia putres cit. Omnia enim quibus putredo aduenit calorem modum excedentem conquirunt, ut ſæpius uideas ſtercora putrore correpta in fumos ſolui perinde ac ſi flãmis impoſitis arderent, adeo ut nonnũq; periculum exuſtionis domorum fimus columbinus attulerit ob putrorem conceptum conflagrans.*

44 *Sunt ne alia febrium genera? Sunt diariæ quæ in ſpiritus peruerſione conſiſtunt. ſunt & heſticæ febres quæ ſolidas animantis partes corripuerũt de quibus nihil ad criſium theoriam attinet quia nulla euacuatione ſoluuntur, nec à principio aduenĩũt ſed ubi poſt alias febres corpus diutino morbo aflictum tandẽ contabuit.*

45 *Ob quas cauſas febres diariæ procedunt? Ob cruditates, æſtus, perfrictiones, labores, curas, uigilias, ebrietates, timores, meſticias, cutis denſitudinem & omnia ſimilia.*

46 *Quæ ſunt inditia cõmunia omniũ diariarũ febriũ? Pulſus quidem in celeritatem & frequentiam proficit & nonnũq; in magnitudinem. eſt autem æqualis, & mollis & ordinatus perinde ac is qui ſecũdum naturam ſe habet. Similiter & urinæ bene coloratæ adſunt aut nebulas aut ſuſpẽſa aut ſedimina utilia habẽtes, ſed & caliditas uaporoſa aut mox aut paulopoſt manum inijcientibus apparet, nec aliquis malignorũ caſuum ipſas cõcomitatur de quibus in prædictionibus Hippo. late proſequtus eſt.*

47 *Quæ ſunt inditia febris ephimeræ ob triſtitudinem? Vrinæ primum rufiores, deinde ſi carpum cõtingas aut corpus, acris tibi potius q̃ multa prodire ab alto corpore caliditas pernotabitur. qui ob iracundiam in diariam inciderunt, multitudinem potius caloris q̃ acritudinem manum admouenti oſtendunt. inſunt porro &*

cogitabũdis & mœrore affectis oculorum cauitates ſiccitaſq́;, & decoloratio faciei qualis non antea obuenerat, & corporis tenuatio demacratioq́;, ſed longe illuſtriora hæc omnia in ijs qui ob triſtitiam, q̃ qui ob cogitationes quas in addiſcendis diſciplinis aut in aliqua re contemplanda adhibuerunt, in tales affectus peruenerunt conſpitiuntur.

48 Eorum qui ob peruigilia, diaria fuerint occupati quæ ſunt ſigna per quæ ab alijs diſcernere poſſimus? Vultus quidẽ decolor & caui oculi atq́; in ima recæpti communia ſunt tam ijs qui ob uigilias q̃ qui propter animi intentionem in aliquod ſtudium, aut triſtitiam diaria laborant. Manifeſte tamen per alia ſigna diſtinguntur, nam qui uigilarunt ſubtumidam faciem habere uidentur, uixq́; oculorum genas palpebraſq́; attollunt & oculos humidos obtinent, cum alijs fiant aridiores.

49 Diariarum febrium quas excandeſcens ira excitauit quæ ſunt notæ? Caloris primum copia qui ex profundo in ſublimia celerrime emicat, atq́; ſe ſe profert. Quin & pulſuum magnitudo q̃uis iam iracũdia abierit non demitur, ſicut in alijs ægritudinibus animi, triſtitia, metu, uigilijs, quæ mox ut recedunt q̃uis diariam produxerint, nullas tamen niſi remiſſas forte & obſcuras notas in pulſibus relinquũt. Porro quibus febris diecula non maior (ut noctẽ cum die ſimul accipiamus) ob iracundiam acceſſit, illud commune eſt ꝙ nec illis uultus pallore infecti redduntur, nec oculi detruduntur in ima quin potius & extantes & prominuli apparent.

50 Diariarum ob inguinum tumores prouenientium quanam ratione dignotiones uenabimur? Si dignoueris ꝙ uultum iſti rubrum habent, & maiori mole ſublatum, & urinas ſubalbas & pulſus maximos, & ueloces, & frequẽtes, & caliditatem plurimam non mordacem aut acrem, ſed ſuauem atq́; id genus diariæ poſt ſtatum calido mox uapore ex profundo aſcendente ſoluuntur.

51 Quæ ſunt ſigna eorũ qui ob labores febricitarunt? Cutis ſiccitas quæ in tempore poſt ſtatum aut halitu quodam calido, aut guttis quibuſdam roſidis humectatur, omnibus qui laboris cauſa febrim ſubierunt. ijs tamen ab hoc ſermone exceptis quibus aut labor immodicus fuit, aut cum labore pariter uel calefacti nimis ſunt uel frigefacti. Hos tamen pulſus diſcernunt qui parui plus debito exercitatis exiſtũt, in reliquis magni conſpitiuntur.

52 Febrium quæ ob denſitudinem corporis & aſtrictionem uel à frigore uel ab auſtera qualitate ſubito corpori admota proueniunt quæ ſunt inditia? Caliditas prima manus applicatione mitis, deinde ubi diutius cõmoratus fueris acris apparẽs & urinæ albæ, & oculi nec caui nec aridi, ſed humecti potius & extantes, & pulſus parui quales triſtitia, cura, uigilia, & exercitia immoderata efficere conſueue-

rũt, id uero notaſſe abs re nõ fuerit, ꝙ hæ ſolæ diariæ quæ ob cutis dẽſitatem contractam oboriuntur, inter omnes febres aſtricta ſunt paſſio, ſic enim eam quæ nihil ex ſe remittit appellamus.

ANTONII LODOVICI EROTEMATA IN TERTIVM DE CRISIBVS GALENI.

VNde iuditij nomen trãſlatum eſt? A foro, ſicut enim illic de capitis periculo & de facultatibus omnibus eius qui iuditium ſubit diſceptatur, ſic hic de uita egrotantis agitur.

2 Quid medicum generoſum facere operæprecium eſt? Inſtante criſi non perturbari, nec indignas uoces priuatorum hominum more emittere, ſed cũ de uita iudicatur æger, in quod morbi uis ſit euẽtura cognoſcere, & non perturbari ignarum eorum quæ futura ſunt, & multo ante fieri futuram criſim prædignoſcere. haud enim multum abeſt & euentum criſis præſentire, & futuræ iudicationis tempus prædicere anteꝗ̃ ueniat.

3 Quot ſunt iudicationum criſiumue modi? Sex. aut enim ſubita mutatione facta moritur laborans. aut ſanitati repẽte reſtituitur, aut paulatim utrumq; fit modicis acceſſionibus uitam cum morte, aut fatum cum uita commutãte ægro. aut uehemens quidem aliqua permutatio circa ægrum accidit, ſed quæ non ex toto aut liberet aut perimat, ſed quod reliquum eſt aut ſalutis aut mali pedetentim coutabeſcat.

4 Quæ harum criſium proprie & abſolute criſis appellatur? Quæ optima eſt, hæc enim ſola ſine adiecto talis dicitur. quæ enim affatim læto ſuccũbere ægrotum facit malam quis potius criſim nuncupet, quæ uero ægrotum commouent atq; perturbant, ſed non ex toto uel perdunt, uel ſaluant, deffitientes iudicationes nominantur. At quando paulatim uel ſupra uires obtinẽte morbo, uel morbum protrudente uirtute, uel morbus extinguitur, uel ualitudo cõciliatur eæ ſolutiones magis ꝗ̃ criſes uocantur ſi proprius loqui ſtudeas.

5 Quæ ſigna criſes præcedere ſolent? Multa atq; horrore preſentes quatiẽtia ut de exitu anxij & obſtupeſcentes dubitare cogantur. uigiliæ namq; & inquietudo, & morbi impatientia, & exacerbationis præcox occupatio, & capitis dolores, & uentriculi, & colli, & hypocondriorũ tenſio, & ſomni graues, & retẽtiones urinarũ, & quaſſationes labri inferioris, & uertigines, & deliria, & alij gra-

uiſſimi caſus ijs qui de proximo ſunt iudicandi, accidere conſueuerunt.

4 Quid poſt ingentem illam perturbationem ſequi præcipue conſueuit? Aut ſudor affatim erumpẽs, aut aluus de repente commota, aut ſanguinis fluor copioſi, aut lotium affatim redditũ, aut inſignes abſceſſus. Sine enim aut excretionibus aut collectionibus notandis & manifeſtis, nunq̃; bonam iudicatienem fieri poſſibile eſt, niſi forſan in pueris quos longus aliquando ſopor eripere à morbo cẽſetur, & acutas in melius mutationes efficere, quas quidam criſium nomine non dedignãtur.

7 Quæ ſigna ſupra criſin optimã dũ præſens eſt ſignificãt? Coctiones primũ, deinde decretorij dies ab indicatiuis denũtiati, & euacuatio morbo cõformis, deinde ea quæ criſim cõſequũtur, oſtẽdere mox utiq; poſſũt, an criſis illa optima fuerit.

8 Coctiones quo pacto? Quia nunq̃; æger male iudicari poteſt ubi coctiones præceſſerint, ita tamẽ ut urinæ optimæ in febribus appareãt, in coſtali morbo ſputa primum deinde lotium ſit ægregium. In uẽtris & membrorum naturalium morbis alui excrementa priorem bonitatis gradum habere exiſtimentur.

9 Decretorij dies quo modo inſtantem criſim bonam eſſe promittunt? Quia ſi in ſeptimo, aut decimoquarto, aut uigeſſimo die in quibus aut quartus, aut undecimus, aut decimusſeptimus futurã ſpopõderat, morbus recedat, ſpes eſt nunq̃; rediturũ, ſin uero in illis demõſtratorijs diebus iuditiũ fiat, minor certitudo habetur. Quibus uero aut in ſexto, aut octauo, aut in nulla dierum quæ uim decernendi morbi obtinuerunt, iudicatur, ijs in recidiuam caſus eſt timendus.

10 Quo pacto excretio iuxta ſpetiẽ morbi eiuſq; conditionem in bonitate aut malitia facta, criſim optimam demõſtrat? Quia ſi tertiana ſudore multo & uomitibus bilis, aut excretionibus cholericis, aut amphimerina pituitoſis ſeceſſibus, & pituitæ uomitibus, aut quartana cũ multæ bilis atræ per ſudorẽ, aut ſedẽ, aut uomitũ euacuatione terminentur, & talia in omnibus deniq; excernantur, qualia cõueniunt, ꝙ ea ægritudo optime iudicetur, credere & exiſtimare debemus, nec ualde metuere regreſſum morbi.

11 Quæ quibus in morbis excretiones maxime conueniunt? Generaliter quidẽ ſudores & ſanguis per nares decurrens, febres omnes & adurentes maxime iuuant, & præter hæc inflammationes omnes ardẽtes acutaſq; & calidas quæ cum febribus acutis ſunt, ita tamen ut è directo fiat euacuatio, ut ſcilicet in inflammationibus quæ in epate & dextro præcordio conſiſtunt è nare dextra ſanguis erumpat, ſplene autem & ſiniſtris iliorum partibus inflammatione laborãtibus, è ſiniſtræ naris foramine exeat. Porro ut particularius diſcas in ſingulis morbis aptũ euacuationis genus ſic mẽte reponito, ꝙ ardẽti febri (quã cauſũ dixere) & tertianæ rigores pri-

mum, deinde per totum corpus irrigui ſudores ſubſecuti & uomitus bilioſi, atq; ſeceſſus alui omnium utilimi ſunt. ſudor item hemitritæo non malus eſt, ſi præter hunc pituitoſa & bilioſa per uentrem expurgentur, & in quartana prodeſſe dignoſcitur ſi atra ſimul ſubeant per uentrem, necnon & in amphimerina ſudores multi utiliter decernunt nonnunq;, cum ſcilicet & plurimus fuerit toto æqualiter exſudante corpore, & coctiones præierint, & per aluum multū de pituita educatur. Ad hæc ſudor per faciem deſtillans ubertim reliquo non minus ſudoribus corpore madente, phrenitin hoc eſt delirium commodiſſimè ſoluit, & ſanguinis per nares expulſio. aſt non lethargus id eſt obliuio deſidioſa & peripneumonia ſanguine è naribus erumpēte commoditatē recipiunt, pleuritidi minorem utilitatem præſtat q̃ delirio ſanguis é naribus redditus. maiorem tamen multó q̃ lethargo & pulmoniæ. cum uero epatis conuexæ partes inflammatione tenentur, ijs tribus excretionibus uidelicet urinis, ſanguinis è naſo deſtillationibus, ſudoribus maximè uis morbi concedit. ſin autem reſimæ cauæq; iocinoris partes inflammatione tentantur, tunc & ſudores non minus, & uomitiones ſæpicule, & purgatio per uentrem non modicè conferunt, lienem autem, & ueſicam, & renum affectus per renes expurgari ſaluberrimum profecto eſt. ætas etiam nun ægrotantis, & temperatura, & uictus, & regio, & officium in quo uerſatur, & aeris conſtitutio ſi ſupra bilem atteſtentur, bilem euacuari conducit. at ſi hæc eadem pituitam in corpore contineri oſtendant, hanc præſtat educi. q; ſi humoris qui atri nigoris eſt copiam, aut diuerſos humores perſpexeris, & atra, aut uaria excerni ex re eſſe cognoſcito.

12 Quid eos qui probè iudicati ſūt maximè cōſequitur? Coloratiores fiūt & ualētiores cū exurgūt, & euacuationis cōmoditas manifeſtè pſētitur quia humor noxius excretus eſt, & facilè ferūt pro euacuatiōis modo rationeue, quia nihil cū malo ſimul de bono deceſſit. ſi uero cū abijſſe iā morbus putatur, ſymptomata adhuc tū perſtiterint, ut pallor, ut faſtidiū, ut peruigiliū, ut ſopor, reciduā ptimeſcere, atq; cauere ſanū adeo eſt. porro in ijs qui exquiſitè ſunt iudicati, declinatio uix ſēſu pernotari poteſt, nā excretis ſubito noxijs humoribus optata mox ſalus aduētat. ut nō adeo declinaſſe, ſed unico illo naturæ inſultu expugnatū receſſiſſe morbū appareat.

13 Cur quibus iudicium inſtat ijs nox grauior ante acceſſionem præcedit? An quia noctu dolores maximè ſentiuntur propter uacationem naturæ ab humanis negotijs quibus occupata mens minus facilè animū moleſtantibus aduertit. quibuſcūq; autem noctu iudicium futurum eſt, conſimiles diem tumultus occupant.

14. Sed cur quibus iudicatio morbi facta eſt, leuius ij agere & habere ſe-

quenti die conſueuerunt? An quia omnis fermè criſis bono ut plurimum exitu terminatur, nec enim à principio inſurrexiſſet natura, niſi aduerſus morbũ præualituram ſe in iudicio ſperaſſet. Vnde ex ijs qui morbo decumbunt plures multò ſunt omnino qui ſeruantur, quàm qui pereunt, niſi popularis aut peſtilens quiſpiam morbus in omnes ſua contagione graſſetur. ijs autem qui præter rationem alleuiantur qui ſine excretione notabili, aut ſudoris, aut uomitus, aut urinæ, aut excrementorum alui, aut ſanguinis narium aut inſigni abſceſſu à morbo ſalui euaſiſſe uidentur, haud quaquàm fidendum eſt, quia quæ optima eſt iudicatiò cum euacuationibus fieri habet, nec ſi qui immodice uigilent, aut delirent in morbis, aut fundant non ſponte lachrymas, aut ſi graui ſopore torqueantur, protinus deſperandi ſunt. nam ſæpe hæc adeo non nocent ut maximè proſint, & certiſſima interdum ſigna urgẽtis iudicij præcedere conſueuerunt.

15 *Acuti morbi in quot diebus iudicantur? Intra decimum quartum. hic namque acutarũ ægritudinum iudicationis præfinitus limes eſt. quippe ſi mox à principio fuerit acutus, hunc omnino terminum non excedet. ſi circa quartum acui cœperit, ad decimamſeptimam iuditium nanciſcetur. ita enim quatuordecim à tẽpore quo primũ acutus factus eſt numerãtur, ſinautẽ à principio mitior morbus in ſeptima excandeſcat primum, & acuatur, & in uigeſſima iudicatio cõtingat, nõ immerito & temere in quatuordecim diebus in quibus fuit acuta: iudicata ægritudo diceretur. reliquos omnes qui uel intra quadrageſſimã, uel ſexageſſimã, uel octageſſimã decernũtur non ſimpliciter ſed acutos ex recidentia nominabis.*

16 *Quid uero criſim optimam non quæ præceſſit, ſed futuram poſt dignoſcere monſtrat? Si ſummam diligentiam adhibeas, ut tempus quo morbus in ſtatu uigoreue futurus ſit cognoſcas, atque hoc præomnibus fueris (ut diſcas) meditatus.*

17 *Ad quid tantopere ſtatus iſta præcognitio confert? Ad quatuor. ut ægro uictum probè inſtuas, ut de ſalute uel morte ægri futura ſententiam proferas, ut de tempore pronunties quo ad iudicium morbi ſtandum eſt, & deniq; ut ſi morbus ex integro ſit abiturus, uel iterum rediturus oſtendas.*

18 *Quo pacto ſtatus uictum præſcribere docet? Quia cum in uigore conſiſtit morbus, nihil aut minimũ de cibo dãdum eſt, tum quia profligandis morbidis cauſis natura incũbit & occupata eſt, & imbecillior eſt facta quàm ut binas cõcoctiones perficere poſſit. tũ nè uirtus facultaſue digerẽs morbũ ab abſoluta uictoria & expugnatiõe morbi diuertatur, & quò propius ad ſtatũ acceſſit, magis ſubtrahẽdũ eſt.*

19 *Cur præfinitio ſtatus multum adeo ad uictum commodè inſtituendum ſuppetias affert? quia duo potiſſimum ſcopi intentioneſue ſunt ad quas intendentem*

de uictu exhibendo conſulere oportet. uires & ſtatus. atq; hic quidem uel ſolus principaliſſimus eſt, & abunde ſufficit, ſi conſtent uires & non labent, qui ſi proximior futurus fuerit, minuere ſemper & uictum tenuius inſtituere, & magis quò ad ſtatum magis appellat. ſi uero remotior largius & plenius reficere licet. iudicatio autem quæ habetur à uirtute non qualiter profligetur morbus, ſed ut ipſa conſeruetur demōſtrat. nam interdum in principijs acceſſionum & in ipſo uigore, alimoniam uires cum deffecerint propinandam ſuadent. Particulares autem ciborū exhibitiones à particularibus acceſſionibus cognoſcuntur.

20 *Quomodo præcognitio ſtatus ſcire facit ſuperuicturus nè an moriturus ſit æger? Quia ſi ſint duo paris cōditionis, & ætatis & in alijs ſimiliter ſe habentes, ſtat ut unus à morbo pereat, alter abſoluatur, cuius ſtatus futurus ſit propior. tu uero ſi ſtatum uigoremq; morbi mox uel ſero affuturum eſſe ante præſenſeris, facillimè tecum de incolumitate uel morte ægri longè q̃ ueniant, ſtatues.*

21 *Quo pacto ſtatus præcognitio de integra uel incompleta abſolutione morbi eruditos reddit? Quia ſi criſim perfectam cum excretione humoris qui noxam inferebat, & præuuntiatam: futuram apud ſtatum concoctionis notis præeuntibus in die decretoria prænoueris, facilè nihil reuerſionem ægritudinis ualde pertimeſcendam admonebis. Nec enim quiſq; poſt ſtatum, aut in declinatione ul morbi perit, niſi aut ipſe æger quippiam delinquat, aut medicus in curando ægro, aut quidpiam extrinſecus erroris penès laborantem committatur. Atq; huic rei non adeo experimentum ſed & ipſa ſubſcribit ratio, fieri enim omnino conſentaneum non eſt, ut poſtq; alteratrix facultas & rectrix corporis morbum concoxit & expugnauit, & uinci ſe non paſſa ſuperior extitit, mors conſequatur: quæ nihil aliud eſt q̃ uictoria uirtutis à morbo. Impoſſibile itaq; eſt & neutiquā quod accidere poſſit, ut quiſq; de nece futura uel uita ægrotantis, non hallucinatus quicq; certi promittat, niſi ſtatum & præfinitum uigoris tempus ante ſecum habuerit perceptum. Vt enim diffinire neſcias de aliquo: ſi par futurus ſit oneri ferendo, niſi baiuli ipſius uires cum ponderis grauitate perpenderis, & uiæ longitudinem cognoſcas, qua ſit ducendum ipſum onus. Et nequeas aſſumere tibi uiaticum, quod longinquam uiam ituro abundè ſufficiat, niſi ſumptus faciendos cum proprijs facultatibus compares, & quatenus eundum ſit, prius ante conſtituas, ad eum modum nec criſim futuram (quæ tanto plus propera eſt, q̃to ſtatus magis concitatior eſt) nec quicq; quò euaſurus ſit æger præſcire, aut præſagire ſuper ægro poſſis, niſi in prænoſcendo ſtatu te apprime exercueris. morbus ponderi ferendo aſſimilis uel compar eſt, uires ferenti, ſtatus loco quo*

excutiendum & deponendum, uel ſuccumbendum ſub onere eſt.

22 Quo pactó inſtruit ſtatus ſi à medico prænoſcatur de iuditio morborum? Quia iudicationes in ſtatu maxime contingunt, in quo & coctiones humorum ſummopere perficiuntur, & in ipſo criſis optima profertur, quæ ueluti canon & exemplar, & ſigillum eſt aliarum criſium, quarumquæq; ita bonitate cæteris præſtat, quó ad illam magis optimam accedit.

23 Statũ quo pacto & unde cognoſcimus? Ex cognitione ideæ, & magnitudinis, & moris, & lationis ipſius morbi. Verum horum alia ſupra ſalutem uel mortem laborantis, nõnulla ſupra diem quá futura criſis eſt, alia rurſus ſupra criſim ipſam iudicationemue potiſſimum demonſtrant.

24 Quid eſt idea in morbis? Si à bile uel flaua, uel atra, uel pituitatibus procedit. atq; morborum qui ab ijs humoribus committuntur: iam recenſuimus notas.

25 Magnitudo quæ uocatur? Quando accidentia propria quæ ſimul inuadunt cum morbo, intenduntur, ut pleureſis dicetur magna, ſi febris uehemens, & tuſſis arida infeſtans, & dolor lateris intenſus, & cætera accidentia lateralis morbi fortiora ſimul affuerint. Hæc cognoſcitur ex magnitudine accidentiũ propriorum quæ aſſiſtunt unà, & ægritudinem concomitantur.

26 Mos ſeu conſuetudo quæ appellatur? Si exempli cauſa labrum peruertatur, uel gena diſtorqueatur, uel alter oculus minor appareat, uel ſtrideant dentes, uel labrum concutitur, ſi flocos à ueſtibus decerpunt, aut etiam ſi concoctiones adſint, ſi leuiter ferant morbum, ſi bene ad ſomnum, ad appetentias, ad decubitus ſe habeant. Morem ægritudinis longe aliam rem à maguitudine ipſius eſſe cognoſcito. nam ſepius febres ardentiſſimæ occupant, ſitimq; & æſtum immodicum inferentes, quæ tamen omni periculo uacant. ſunt contra aliæ exiles, & ueluti extinctæ & remiſſæ ſopitæue quæ tamen ægrum clanculum interitui tradunt. Mos igitur ex accidentibus caſibuſue poſtea ſuperuenientibus, ſalubribus, aut mortiferis (quæ in prognoſtico retulit Hippo.) maxime diſcernitur: intra morem tum ſymptomata, quæ tanq; cauſæ uel ſigna ad iudicationes antecedere conſueuerunt, tum potiſſimum concoctiones numerantur, quæ omnia ſuperapparentium nomine ueniunt.

27 Latio uel motus morbi quid eſt? Longua uel breuis duratio temporis partium ipſius acceſſionis. nam qui celeriter omnia quatuor tempora tranſgreditur, uelociter & otius dicitur moueri (hic autem omnino ex intermittentibus eſt) nec fieri poteſt, ut qui breuiſſime hæc tempora abſoluit, maneat adhuc continuus. febres autem continentes: quando ſtatus reliquis temporibus longior eſt; cito: quando uero breuior, tardius commouentur.

28 *Quo pacto hæc ipſa de tempore futuri ſtatus certiores faciunt? Quia ſi morbus ex ijs ſit qui iuditio decerni conſueuerunt, quales ferme ſunt omnes qui à bile meraca proueniunt, ſi magnus, ſi uelociter motus, ſi caſus inferat difficiles & uehementes, in proximo affuturum ſtatum certiſſimum omnino indicium eſt.*

29 *Quæ nam horum notæ ſeruatum iri, uel moriturum ægrum præcipue oſtendunt? Mos, & idea, & magnitudo morbi, ſed ex ijs maxime ad morem animum mentemq́ adhibere opus eſt?*

30 *Mos quo modo ſupra ſalutem uel interitum denotare poteſt? Quia ſi conſtent uires, ſi ſomnus, ſi decubitus, ſi ſpiratio uitio careant, ſi concoctiones in urinis, in ſputis, in alui ſedimentis, uel horum aliquibus appareant, ſi reliqua ſigna ſalubria affuerint, fieri quin eripiatur æger non poteſt. Nam uel ſola concoctionis ſignificatio iuditij celeritatem & firmiam ſecuritatem pollicetur. Quo fit ut omnium optimum iudicium ſit quod in ſtatu peragitur, ꝙ tunc coctiones maxime contingant, & nec declinante morbo interire quis poſſit, quoniam cauſas morbum committentes uicerit natura, & concoxerit, & expugnauerit, unde nullatenus mors ſequitur, quæ non eſt aliud quàm uirium uictoria à morbo.*

31 *Idea morbi quomodo ſupra uitam & fortunas laborantis pronuntiandi ſententiam uim habet? Quia morborum quidam naturæ ſponte ſunt ſalubres, ut tertiana exquiſita quæ cum longiſſima eſt ad ſeptem periodos circuituſue protenditur, & qui in particulis non momentaneis conſiſtunt morbi, quiq́ febriculas inducunt leues. Quidam autem ſuapte natura inſalubres ſunt & exitioſi, ut uiſcerum principalium inflammationes, à quibus nullus uiribus imbecillis incolumis euadit, ſed ut plurimum perducunt ad tabem. uentriculo quoque & pulmone inflammatis, tabidi multi effitiuntur, ex quibus extis alterum ante cordis conſpectum ſaltationes agitat, alterum alimoniam conficit, quæ toti corpori diſtribuatur. Suſpectum quoq́ eſt propter impendentem ſubitæ ſuffocationis timorem, cum uiæ ſpiritus & præcipue laringis conſtringuntur, uel ob immodicam ſiccitatem, uel quia muſculi intumuerint, uel ob humorem pituitoſum ſparſum, atq́ huius generis periculum propter locum momentaneum procedit. Nam morborum quidam ſuapte ſponte magni ſunt, & ſi non in ſummo conſtiterint, ut morbus attonitus, & comitalis. quidam rurſus magni dicuntur propter magnitudinem cauſæ quæ eos committat morbos, ut febris ardens ſi à multa bile dependeat. quidam deniq́ in magnorum cenſu numerantur, ꝙ actionibus membrorum famulantium principalibus noceant, ut*

uulnera quæ in articulis & muſculis conſiſtunt.

32 *Cur quos uiſceris principalis inflammatio obſedit, ferme omnes intereant, ſi uires ſint ægre? Quoniam unicum illis ſubſidium eſt ulciſci & caſtigare morbum inedia, & pugnando cum fame concertare, quod quibus uitalis facultas imbecilla eſt, ſuſtinere non poßunt.*

33 *Ex quibus illorum inuenitur iudicio finiendum morbum necne? ex magnitudine, & motione, & idea morbi, & ex ſuperaccidẽtibus quæ tanquam cauſæ uel ſigna ad iudicationes præcedere conſueuerunt.*

34 *Coctiones quo pacto tãtam uim habeant ad dignotionem futuri ſtatus? Quia in periculo uacante morbo quanto otior concoctio apparuerit, tanto propior affuturus ſtatus ſignificatur, ut à prima ſtatim die in ægritudine ſalubri coctione apparente ad quartam morbus decernetur, ſi uero tum primum in die quarta exacta coctio uiſatur, ad ſeptimam fiet iudicatio. quòd ſi principij tempus longius perdurauerit, concoctioniſque notæ tarde apparere incipiãt, ad undecimam uel decimamquartam ægritudinis iudicium differetur. ſi uero quarto poſt decimã exacto die, coctionis ſigna oſtendãtur, decimãſeptimã certamen & ualentius morbi diſcrimen expectat. at ſi non ante concoctio affulſerit, hunc ante uigeſsimam iudicari non licet. Atque hæc eatenus accipienda ſunt, ſi nihil deliquerit æger, ſi ſe morigerum & obtemperantem præſtiterit, ſi famuli fuerint diligentes in præſtando obſequio, & ſi nihil medicus in curatione erroris admiſerit à quo interdum maius periculum quàm à morbo impendet. quæ autem ægritudines hos dies iniudicatæ tranſmiſerint, paulatim eæ potius ſoluuntur, quam uehementi aliqua agitatione facta dirimantur.*

35 *Diem certam qua ad iudicationem ſiſtendum, eſt ne ex quo certo prædicere quis poßit? Multum quidem ſane. liberandum fore ægrum mores ægritudinis indicant, iudicandũ eſſe ut cognoſcatur, magnitudo præſtat: dies autem qua duellum committendum eſt inter uires & morbum, ex motione ipſius non ambigua ſignificatione deprehenditur.*

36 *Quo pacto ex magnitudine iudicio decernendum nec ne morbum aucupari fas eſt? Quia quæ magnæ ſunt ægritudines iudicio omnino finiuntur, paruæ autem & exiles, & à leuiculis cauſis procedentes, paulatim non ut aliqua marceſcunt & diſſoluuntur.*

37 *Motio & ægritudinis latio ſtatũ iudicij diem qui exacte præfinire poßint? Ita res habet. in ſynochis quidem febribus (ita enim eas appello quas ſanguinis plurimum copia inauctus gignere conſueuit, quæque nullas nec exacerbationes nec*

irritationes habent, ſed æqualiter ſemper infeſtant) quartam diem potius iudicaturam expectare oportet, cum per proprias periodos natura ad iudicationes perueniat. eſt autem hæc dies decretoria ſuapte ſpõte, & in iis præſertim, qui per q̃ acuti ſunt morbi. Atq; hoc ſic acceptum uolo, ſi nihil circa ægrum delinquatur. In cõtinentibus autem febribus (quas ſynechis uocant) quæ continuis quidem diebus urgent, ſed alternis acerbius, cum fermè à bile generentur, quæ per impares acceßiones factitat, tertã uel quintã diẽ iudiciũ facturas magis ſperare decet. Iudicationẽ quippe cum acceßione concurrere utiq; ſummũ opus eſt, ſed quintã quidem ſi mitior ſit morbus & ægre motus, tertiã autem ſi uehementior ſit, & uelociter citatus. atq; hic plurimus eſt iudicãdarum ægritudinum modus. plurimæq; in imparibus decernuntur. nam ſynóchi haud ita ſunt frequentes, & raro non delinquit æger, quo circa iudiciũ in die quarta factũ bis dumtaxat per uitam Archigenes ſpectauit, Galenus autem ſe, id tantum modo ſemel uidiße teſtatur. ꝙ ſi aliquoties quarta dies iudicare reputetur, id ea ratione fit quia in tertia iudicium inceptum ſequentis quoq; diei particulam occupauerit. In totum ſane ſic habendum eſt. qui celeriter & feſtinato mouentur morbi, cito item iudicantur, qui autem cientur ſegnius, tardiores iudicationes ſortiuntur. Adiuuant autem uelotiorem ægritudinis motum, ut citius iudicium conſequatur, ætas laborantis adoleſcentior, & temperies calida, & totius corporis habitus bilioſus, & ſi regio & anni tempus, & præſens ſtatus caleſcãt, quæ ſub aeris conſtitutione comprehenduntur, ut qui ab illis affici & alterari conſueuerit. ſed & uictus in eſuritionibus & inediis exactus, & labores, & laßitudines, & uigiliæ præcedentes, & furor, & alia id genus calculum ad celerem morbi motionem addunt, & de cita eius finitione ſubſcribunt. Quin & ſi plures ex iis quos curandos ſuſcipiat medicus, tertiani magis q̃ quintani iudicentur, non modica ſpes eſt conſimilem ut exitum noſter hic æger habiturus ſit & ſortiatur. Ingraueſcens autem & tardior ætas, & aeris rigores, & frigidum temperamentum, & otia, & ſaties, & quies, & ingurgitationes præcedentes, & ſi quintanæ paßim magis iudicationes contingant, in eam potius diem (q̃uis morbus magnus ſit) recaſuram iudicationem hæc omnia oſtendunt.

38 *Sunt né alia ex quibus ſuffecturum uel deffecturum ægrum anteq̃ ſuperet morbum habeamus? Minime gentium. ſed ex magnitudine morbi & uirium robore, & tempore ſtatus duraturum uel moriturum qui laborat, omnino coniectare opus eſt, quæ prorſum eadem iis quæ diximus poßunt: Nam ex iis que morem exponere ſunt nata, quædam ſalutem certißimam minitantur, ut facilis exempli cauſa ſpiratio, & facies ſanis ſimilima, maxime uero ſibi ipſi. & cõcoctio in lotio,*

in excreatu, in alui deiectione apparens, & facultatum naturalium & uitalium & animaliũ (quas uocant,) robur. extreme uero mala ſunt ſpiratio difficilis, & inſpiratio expiratione maior, ſublapſa tempora, oculi caui, in acutum deſinens naſus, aurium extremæ partes retrorſum reflexæ, color plumbeus, aut uiridis liueſcenſue, ſi oculorum alba dormienti appareant, ſi alter altero maior obtutus ſpectetur, ſi lachrymæ inuito per oculos effluant, ſi dẽtibus ſtrideat, ſi ſupinus ſenſim non reductis cruribus dormiens iaceat. Hæc omnia quæcũq; ipſorum contingant, extreme mala arbitrari oportet, ſed attendẽdũ in uultu illo eſt, nè propter uigilias, aut mœſtitiã aut cauſam aliquam quæ mœrore affecerit, aut inediam, aut excretionẽ aliquam cõſpicuam talis euaſerit, nãq; quodcũq; horum fuerit, minus exitiale putãdum eſt. q̃uis ſatius utiq; eſſet, nè adeo imbecilla eſſet uirtus facta, ut quacunq; ex occaſione labaſceret.

39 *Quidnam eſt quod robur naturalis facultatis declarat? An ſitis modica quoad fieri poſſit, & bona ad epulas quæ offeruntur promptitudo, & concoctio tandem in excrementis quæ per corporis exeunt meatus.*

40 *Quid autem eſt quod ualere uitales uires redarguat? An probus faciei color, & facilis minimeq; impedita reſpiratio, & pulſus ordinẽ quẽdam rythmũq; & conſonantiã habentes. Nam in pulmonia laborantibus, uenuſtus quidẽ & elegans in uultu color adeſt, maxillarumq; in iјs rubor quidam ſpetioſus hilariſq; uiſitur, ſed deprauatum tamen obtinent anhelitum.*

41 *Quid eſt quod potentiam animalem ualidam eſſe declarat? An perſeuerans ratio, & mens, & memoria nequaq̃ læſa, & decubitus bene cõpoſitus. Pernitioſum eſt ſi narium pinnulæ in conuellendo aere enitãtur, & ſi muſculi pectoris tãq; laborãtes in cõſtrictione thoracis non paulatim redeant, ſed feſſi concidant & decidere ſubito thoracem patiantur. Motus quoq; facilitas & prompta conuerſio, & leuis inceſſus maximum argumentum eſt eam facultatem ualidam eſſe, quæ à cerebro profluẽs per neruos muſculis ingrediẽdi munus largitur. Cõtra pernitioſum extreme ſignum eſt, ſi habitum corporis difficulter permutet æger, & diu in eodẽ poſitu perſeueret, & doleat, ſi quopiam artus mouere oporteat. Nam corpus noſtrum ex ferente & lato conſtitutum eſt. Fert uirtus: fertur corpus totum. Ergo cum facultas imbecillis eſt non ſine labore mouet, ſed corporis pondus ferre nequit, & fatiſcit, ubi autem robuſta eſt facile & ſine negotio trãſfert artus, quocunq; uelit. Vnde à principiјs in ſalubribus morbis tã uenæ ſectio q̃ purgatio quæ minuat materiam morbi, aut ſi quod aliud medicamen ex re fuerit, adhibenda ſunt: cum adhuc uires ſunt ingenuæ & ualent, ſibiq; conſtant, ut onere depoſito quod naturam*

grauabat, quod reliquum eſt natura facilius concoquere & ſuperare poßit. In ſtatu autem cũ tunc coctionibus natura maxime incũbat, minime eam abſtrahere ab opere decet. Hijs adde ꝙ uirtus animalis (q̃uis tã uitalis q̃ altrix facultas fortes perſeuerent) defeßa maxime & imbecilla tum temporis eſt, ut non ſuſtineat remedia. Atq; etiã iudicationes impedirẽtur, ſi quicq̃ tum forte admoueas. Caſus prætereа omnes tum cum uiget morbus fortiores ſunt, q̃uis affectus ipſe quem nominamus morbũ, multo ſit melior. Deſperatis autem & correptis à ui morbi admoliri manus non expedit, nec quicq̃ præſidiorum admouendum, nec à principijs, ſed ſolum prædicere & præſagire fati neceßitatem oportet, nè male audiant, quæ multis & q̃ plurimis remedia profuerunt.

42 Qua nã harũ facultatũ ualẽtißima in morbis egemus? An animalis quidẽ nullũ uſum præſtat, nec enim diſputare, aut currere, aut loqui, aut ratione quidq̃ agere ægros neceſſum eſt. Vitalis autem in quantum uitam tueatur, in tantum neceßaria eſt. Robuſtißimas autem eſſe naturales uires ſumme operæpretium eſt, ut concoquant, & alterent, & expellant cauſas committentes morbos, & omnino uitioſitatem humorum emendent & permutent in melius.

43 Quo potißimum tempore criſis id eſt iudicatio accidit? In uigore aut parum ante uigorẽ quæ tanto deterior cenſenda eſt, q̃to hũc præuenit. mors autẽ in omnibus tribus temporibus contingere poteſt, declinante uero morbo nullus occidit, niſi ſi magnus aliquis error circa ægrum committatur.

44 Quot ſunt modi quibus ab ægritudinibus homines liberantur? Tres. nam aut per copioſum totius corporis ſudorem, aut urinarum irruptionem, aut uehementer diſruptam & profuſam aluum, uel ingentes ad aliquam particulam abſceßus, uel aliam deniq; excretionem inſignem, qualis in uiris per hæmorroidas aut in fœminis per menſtruam purgationem eſt, ex integro & perfecte remouetur morbus. Aut affatim multumq; per illam ſubitam inuaſionem diminutus eſt, aut tandem paulatim ſenſimq; tollitur quoad nullæ reliquiæ mali in corpore ſuperſint. Primã criſim perfectam, ſecundam imperfectam dicunt, tertiam uero ſolutionem nominãt, ultra hos nullus eſt modus: quo in priſtinam ſalutem incolumes uiri redduntur.

45 Quot ſunt maneries quibus ex morbis ægri intereunt? Totidẽ. Nam aut aliquibus excretionibus ſuccedentibus ſubito ægrotus lœto traditus eſt, aut affatim & euidenter ab ijs in deterius relabi cœpit, aut ſingulis momentis & in horas corpus tabeſcit, quoad ex uita recedat. quam ſane abolitionem maraſmon id eſt tabem appellant. Eſt & aliud moriendi genus cum ſine iuditio & ſine euacuationibus ullis ſubitam pernitiẽ affert morbus, porro huic nullus ſanationis modus correſpon

BIBLIOTECA NAZ. MANUELE

det, multi namq́ſ ſine iudicio repente diem obeunt, nullus autem ſalutem & mali fugam ſubito non iudicatus conſequitur.

46 Quotuplex eſt modus quo nullo iudicio dãnati, legem fati ſubire ſubito coguntur ægri? Triplex. nam uel in principijs acceſſionum intereunt, obrutis à copia intro confertim confluentium humorum: aliqnibus inflammationibus internis, uel extincto natiuo calore ab humoribus multis, & lẽtis &, craſſis. uel in uigore uiolentia morbi ſuperati intercipiuntur, uel in augmento ratione ſtatus. aut deniq́ſ in particularibus acceſſionum declinationibus morti concedunt. Nihil namq́ſ mirum eſt, ſi qui durare in reliquis acceſſionis partibus potuerint coacto & conſtricto habitu totius corporis, ijdem ad finem morte minores euadant digeſto atq́ſ reſoluto naturali calido, cum eo qui præter naturam eſt, & ab alto ad extrema & fines procedente. Vnde ij omnes melius quidem mox ſe habere uidentur, & ad declinationem ab ſtatu q̃ par eſt trãſire ocyus, ſed uel frigido quodam & pauco ſudore per artus ſuborto confeſtim pereunt, uel ad trullam inſurgentes, animo deffecti ſubito momento uitam reliquerunt.

47 Quæ eſt diſtinguẽdi ratio eos qui in mortem ſoluti leuiores tamen apparẽt, ab iſs qui re uera diſcuſſa dumtaxat febrili caliditate melius ſe habent? Non alia ſane q̃ ex pulſu melior. hic namq́ſ in hiſs ualidus & uehementiſſimus eſt, & bene ordinatus, & æqualis, ut qui talis à uirium robore proueniat. contra autem obſcurus ſuffitienter, & inæqualis, & nullum ordinis decorem & cultum habens, quibus in foribus interitus adeſt.

48 Anne omnes qui pereunt iudicati moriantur? Non. quippe ſine certamine & contentione iudicatio non fit, non pugnat autem nec expugnare morbum aggreditur facultas cum imbecilla eſt, ſed uicta aduerſario manus porrigit & digitum (quod aiunt) tollit.

49 Quæ criſis potiſſimum mala eſt? Ea in qua aduerſus morbum natura quidem inſurgit, ſed tamen uicta in duello ſuperatur.

50 Quæ eſt cauſa. cur non expectata digeſtione ante tempus ad dimicandum cũ morbo natura incitatur? Magnitudo & uelox morbi motus & uiolentia ad certamẽ naturã prouocãs, & tanq̃ calcaria & ſtimulos præbẽs, ut prodire in cõgreſſũ uelit. Nã ſimile quid circa uẽtrẽ & inteſtina cõtingit, cum in eorũ cauitatibus uellicans aliquis & acris ſuccus continetur, non ſuſtinent nãq́ſ: ſed mox protrudere à ſe quidquid tunicis adhæſit nituntur. non laceſſita autem ſtatũ hoc eſt cõcoctiones ſemper natura expectat, cuius rei illud maximũ argumentũ eſt, q̧ eo tẽpore ipſa ſua ſpõte ad iudicium progreditur, & pugnam appetit, q̃uis nullis irritantibus urgeatur.

51 *Qualia ſunt ex quibus ſine criſi moriturum ægrum cognoſcemus? Si facultas alicui labaſcit, & imbecilla eſt, (hæc namq; à principio pedem conferre, & mutuo conſerere, obuiãq; palam prodire non audet) & ſi nè minimum concoctionis ſignũ appareat, & ſi magnus quidem & malignus ſit morbus: non autẽ celeriter moueatur, hæc omnia ſine iudicio læto addicendum ægrum oſtendunt. coctionis uero aliquibus apparẽtibus notis: ſi uires omnino non ſint ægræ, & morbus ſit bene mobilis, iudicio impoſituram eſſe manum multum utiq; ſperandum eſt. Contemplari autem & adhibere mentem ſummopere decet, ꝙ non ſi uirtute ſuperior eſt morbus: protinus uirtus imbecilla eſt.*

51 *Eſt nè ut diem certum præſagire medicus poſſit: quo è uita migrandum ſit ægro? Nimis quidem profecto, ſi grauiores paroxyſmos & acceſſionum circuitus & proportionem exceſſus uirtutis à morbo ſecum exacte perpenderit. Nam ſi multum excedatur proximum exitium eſt, rurſus in qua die grauior recurrit morbus, in eadem interitum ægri pertimeſcere iuſtum eſt.*

53 *Vnde diem certam quà moriturus eſt æger exacte accipiemus? Ex natura dierũ, & celeri motu morbi aut tardo: nam ſi per pares magis ægritudo irritatur, & ueloci gradu citetur, ſextam potius fore lætalem metuendum eſt, ſi uero per impares accreſcit: & nõ æque citato motu rapitur, ſeptimã necem allaturam ſummũ periculum eſt.*

54 *Quibus potiſſimum notis ſi de aliqua die ſit incertum: an in ea morbi contigerit decretum, ambiguitas hæc diluatur? Ex acceſſionum proportione & dierum natura. Nam ſi ex intercipientibus ſit morbus, aut ex continuis quidem ſed qui per uices uehementiores redeunt, impari magis dieĩ iudicatio ſi cõtingat, aſcribenda eſt, per quae morbus is irritari conſueuit, ſi uero ex iis ſit: qui æquo pariq; tenore procedunt, in diem parem refferetur. Ex dierũ uero natura facile adhũc modũ ratiocinari quis poſſit. nona dies ad iudicandũ præſtantior eſt, decima minus probe decernit, ſi inter has lis & certamen ſit, utra morbũ iudicauerit, leui periculo ſic queſtio dirimetur. Inſpicere oportet ſi à iudicatione melius habere incipiat æger, nonã oĩo iudicaſſe dicemus: ſi uero minus bona facta fuerit iudicatio, in decimã reiiciemus.*

55 *Quot conditiones habere debet iudicatio quæ optima cenſenda eſt? Sex. primum ea quæ per excretionem, ꝙ eà quæ fit per abſceſſum multo eſt potior. deinde operæpretium eſt ut humor noxius qui morbum faciebat euacuetur, & tandem ut in die iudicatoria contingat, ut ſit iudicata, & ſecundum rectitudinem loci patientis, ut poſt ſigna concoctionis manifeſta.*

56 *Horam interitus an etiam nun prædicere poſſibilis eſt medicus? Per Iouem*

facile, nam qua acceſsionis parte grauius agere ſolent ægri, eadem lætum afferet. & prorſus.ad hæc multi in principijs morbi interimunt, multi in ſtatu, pleroſq; etiam uideas qui tum occidunt, cum declinare acceſsiones uidentur.

57 *Vnde criſis id eſt iudicij nomen tranſlatum eſt? à tribunalibus & forenſibus locis in quibus cauſæ aguntur: nam ueluti illic de uita & fortunis omnibus hominis interdum lis eſt, ita & hic de capite nonnūq; periclitantur ægri. Sed cum ſint quatuor iuditiorum modi. nam quædam ſubito ſanitati reſtituũt ægrum, quædam in eam magnum momẽtum faciunt, alia uel affatim perimunt, uel magnam mutationem in deterius capiunt, priores abſolute criſes id eſt decreta nominant, ſecundas cum adiectione malarum. Porro utriſq; cõmune & tralatitium eſt, ꝙ cum aliquibus ſenſibilibus excretionibus exercentur, uel per aliquos effatu dignos abſceſſus, depoſito affatim in aliquam particulam omni humore qui faciebat morbum. Soli uero pueri per ſomnum longum interdum in priſtinam ualetudinem refferuntur. hoc tamen ſanationis genus nullus criſim nominare cœpit.*

58 *Qui ſunt dies quas decretorias uocare mos eſt? Primi & principales ſunt ſeptimus, decimus quartus, & uigeſsimus, & deinde quadrageſsimus, ſexageſsimus, & octageſsimus qui ſcilicet per ſeptẽnarios procedũt, ita tamẽ ut priores duæ hebdomadæ per diuiſionem, tertia per coniunctionem cõputetur, ut in uigeſsimam recidat ſupputatio, quæ in decernendo morbo ꝗ uigeſsima prima potior eſt. deinde ſingulis ſeptimanis in binos quaternarios diuiſis, dies medij hoc eſt quartus, undecimus decimusſeptimus ſecũdas obtinere partes in iudicãdis morbis cẽſentur. intercidũt inter has tertia, & quinta dies, & nona. ſexta quoq; ubi malignior eſt morbus plerũq; decernit, ſed peſsime, & cũ ſeuis caſibus, nec ſecurũ reddit quĩ reuerſurus ſit morbus.*

59 *Subſidentia in urinis unde deriuatur? Eſt quidquid chyli fugit concoctionem epatis, nec fuit in ſanguinem tranſmutatum, hoc enim ſubſidet in lotio. hæc autem media eſt inter humores naturales, & pus, hoc nãq; tam à calore natiuo ꝗ extraneo alteratum eſt, & utriuſq; ueſtigia ſeruat. Vnde pus optimum candidum debet eſſe, quia tales ſunt tunicæ & membranæ uaſorum quæ ex genitura ortũ & nutritionem ſortita ſunt, quibus omnino ſanies ſimilis fieri debebat, ſi perfecte à natura tranſmutaretur. ſubſidentia autem nec humorum naturalium naturæ penitus familiaris euaſit, nec quidq; à cauſa præter naturam habet impreſsum.*

FINIS.

EROTEMATVM NVMERI
TERNARII LIBRI SEX.

LIBER PRIMVS EROTEMATVM

numeri ternarij Antonij lodouici medici Olyſſipponenſis, in quibus maxima & optima pars medicinæ totius, & anatomes, & librorum de uſu partium, & multa philoſophica continentur.

QVot ſunt medicorum ſectæ? Tres. empirici qui uni tantum experientiæ tribuebant, dogmatici (qui & logici) qui ratione morbos curabant, & methodici qui has duas communitates, aſtrictum laxandum eſſe, & laxum aſtringendum profitebantur.

2 Quot ſunt quæ præclarũ medicum ſpectare oporteat? Tria ut breui tempore quoad poſſit, & citra dolorem, & ut tuto curationem peragat, quod maxime fiat ſi adhibeat diligentiam, ut finem conſequatur, quod ſi facere non poſſit, attamen ut nihil lædat, & ut morbus ſubinde iterum non reuertatur.

3 Quot ſunt medicinæ partes? Tres. diætetice, chirurgicé, & therapeutice, hoc eſt quæ aut uictu, manu, uel medicamentis curationem aggreditur.

4 Quot ſunt artis curatiuæ partes? Tres. diagnoſtice, prognoſtice id eſt quæ cauſas morborum & ſymptomatum dignoſcit, uel quæ futura circa ægrotantes, multo ante præſagit, & tertia huic ſuccedit quæ medicatur.

5 Quot ſunt doctrinæ quæ per ordinem aliquem cõtinuum traduntur? Tres. reſolutiua (quam analyticẽ uocant) quæ a notione finis ortum habet, quo ſemel percepto omnia ad illud requiſita inuenire conatur. Atq; per hũc modum omnes ſunt artes inuentæ. Alia eſt compoſitiua quæ ea quæ per reſolutionem ſunt inuenta, prout ad uſum ueniunt, docet. Vnde ea in tradẽdis ſcientijs artifices utuntur. Alia eſt diffinitiua quæ uniuerſali diffinitione à principio poſita, cuncta deinceps totius diffinitionis capita, & particulas proſequitur.

6 Quot ſunt ea quæ curãt morbos? Tria. natura, & medicus, & inſtrumenta, uel adminicula ſine quibus ſcopum & propoſitum finem non aſſequitur medicator.

7 Quot ſunt ea de quibus ſcientia medicina eſt? Tria. ſana, neutra, & morbida.

8 Quotuplex horũ unũquodq; eſt? Triplex. corpus ſcilicet, & ſignum, & cauſa. Nam ſana dicuntur, & cauſa quæ inducit ſanitatem, & corpus quod ſuſcipit,

& ſignum quod eam prædixit. Eadem de neutris & morbidis partitio eſt. & dignitate ſane & doctrinæ traditione corpora ſunt priora, opere autem & cum ægris manus admouentur, cauſarum tractatus eſt præmittendus.

9 Quotupliciter corpus ſanum dicitur? Tripliciter. aut ut ſemper, aut ut multum, aut ut nunc. nãq; uel a principio quando infans naſcebatur, tam ex ſimplicibus optime temperatus, quàm ex organicis ægregie cõformatus eſt, aut maxime accedit, & parum quid defficit, & relinquitur, aut nunc id eſt tempore præſenti tale nuncupatur. Sic & quod morbidum eſt corpus, uel ab ipſo iam ortu infœliciter eſt natum tam quo ad partium tẽperiem, quàm quoad formationẽ corporis, uel modicum abeſt, uel ad præſens taliter affectum eſt. Similiter de ſignis & cauſis cenſendum eſt.

10 Quot ſunt partes in quas tota ſanitatis latitudo diuellitur? Tres. ſani etenim uocantur, & qui maxime repugnant morborum cauſis, & qui tam fluxam & labilem ſanitatem obtinent, ut uel leuis quæcũq; eos alteratio redarguat, ut ab ægritudinibus occupẽtur (quos noſódis uel noſerùs id eſt morbidos appellare nihil obſtat) & medij inter hos poſiti, qui non tantum reſiſtũt, nec tam facile patiuntur, qui neutrorum nomine cenſentur.

11 Quotuplex eſt neutrorum differentia? Triplex. neutra quippe uocantur, & quæ nullo extremorum participãt, & quæ ambobus, & quæ uiciſſim utrumq; hoc eſt in diuerſis temporibus habent.

12 Quot ſunt ſignorum genera? Tria. aut enim præteritorum memoriam ſuggerunt, quæ rememorantia nominare merito quis poſſit, aut dignoſcitiua ſunt, ex quibus preſens corporis ſtatus dignoſcitur, aut prænoſcitiua uel præſagientia ex quibus futurorum euentus demonſtratur, quod ſane medico nouiſſe multò magis operæprecium eſt.

13 Quot ſunt cauſarum genera quæ filij conſiderant medicorum? Tria. primitiuæ uel præincipientes (quas procatarcticas uocãt) & antecedentes quas (proægu ménas Græci appellant) & continuæ uel continentes (quas ſynecheis Græcis nominare mos eſt). Et præincipientes quidem cauſæ ſunt ſicut ira, furor, balnea, gaudium, labor, ebrietas, inſolatio, & ſimiles. Antecedentes ſicut plethora hoc eſt omnium humorum proportionale augmentum, & cacochymia id eſt unius alicuius præcæteris uitium. Continuæ autem cum aliqua ex toto portio uel ſanguinis uel bilis uel pituitæ putreſcens, præſentem iam excitat morbum.

14 Quot ſunt ex quibus membrorum ſanorum dignotiones habentur? Tria. ex ijs quæ ſecundum ſubſtantiæ hoc eſt tẽperamenti rationem inhærent, ſi ſimilarium partium miſtura in nulla primarum qualitatum plus iuſto uel excedat, uel euariet,

& ſi inſtrumentariæ partes, tum ſitum ægregium, tum reliquam conformationem omnem habuerint. deinde ex colore, aſperitate, & leuitate partium, & mollitie, & duritie, ſi nihil in iis ſit, quod uel uiſum uel tactũ immoderatum exiſtens offendat, quæ omnia ipſas homœomerias id eſt ſimilares particulas cõſequũtur, & poſtremo ex operationibus & pulchritudine eleganti totius organi, quæ quidem organicorum ſunt propria.

15 Quot naturas in unoquoq; membro eſſe operæpretium eſt? Tres. primo opus eſt ut adſit bona ſimilarium temperies, ſecundo proba in organicis compoſitio, quæ tam figuram ꝙ magnitudinem, & ſitum, & numerum includit, & utriſq; cõmunis natura unitas, cui ſolutio continuitatis oppoſita eſt.

16 Quot ſunt res præter naturam uocatæ à medicis? Tres. affectio uel diſpoſitio à qua per ſe primò membrorum munia obleduntur, quam ægritudinem eſſe dicimus, & huius ipſius diſpoſitionis cauſa, & ſymptoma quod ueluti umbra morbum conſequitur.

17 Quotupliciter operationes membrorũ lædũtur? Tripliciter. aut enim omnino aboletur functio, aut diminuta fit, aut uitioſa. Vt circa uentrem, aut cibus omnino non alteratur, quod in leuitatibus inteſtinorum contingit, aut longuo & diuturno temporis ſpatio tardè concoquitur, aut in uitioſam & prauam, aut acidam, aut acrem qualitatem permutatur.

18 Quotuplex eſt ſymptomatũ genus? Triplex. in primo functiones læſæ cõtinẽtur, in ſecundo qualitas corporis mutata, in tertio ea quæ excernuntur.

19 Quot ſunt cauſæ facientes dolorem? Tres. uitioſa intemperies, & unitatis diuortium, aut certè utrumq; ſimul.

20 Quot ſunt intemperies uitioſæ quæ dolore affici particulas faciunt? Tres. calida, & frigida, & ſicca cum modum exceſſerint. Humida autem ſe ſola ꝙuis intendatur, dolorem non generat.

21 Quot modis principij nomen apud medicos uſurpatur? Tribus. primo pro illa tabili & uix perceptibili momento in quo incipit morbus, ſecũdo pro ſpatio trium dierũ, tertio pro toto eo tempore quo nulle concoctiones apparent.

22 Quot ſunt febrium ſpecies? Tres. hecticæ ſcilicet quæ ſolidas particulas corripiunt, & diariæ quæ à ſpiritibus plus nimio calefactis procedunt, & quæ ab humorum putrore ortum habent.

23 Quot ſũt febriũ genera ex putredine natarũ? Tria. alia pituitoſa eſt, alia bilioſa, & tertia ab atræbilis incẽdio procedit. Sãguis aũt nullã febrim cõmittit, quĩ protinus cũ putruerit, ſubtile eius ĩ flauã bilẽ trãſeat, quod craſſũ ĩ atrã cõuertatur.

24 Quot ſunt febres intermittentes? Tres. tertiana, quartana, & amphemerina quæ cotidie corripit. Atq; eæ cum rigore, frigore, & horrore acceſsiones faciunt. Totidem quoq; ſunt cõtinuarum febrium differentiæ ab eiſdem humoribus genitæ, quæ q̃uis nunq̃ non inſint, incrementa tamen per circuitus tanq̃ auctarium capiũt.

25 Quot ſunt febrium (quas Synóchus uocant) differẽtiæ quæ nullas adiectiones recipiunt? Tres. epacmaſticæ quæ uſq; ad ſolutionem ſemper augentur, homótonæ quæ æquali uigore perſeuerãt, & paracmaſticæ quæ à principio uſq; ad finem decreſcunt.

26 Quot ſunt febrium hecticarum ſpeties. Tres. una cum humores cordis per febres ardentes conſumuntur, ſecunda cum humor ſubſtantificus qui in poris continetur, conſumi periclitatur, tertia cum partes ipſæ ſolidæ patiuntur. quippe niſi corde prius paſſo & affecto, febrim hecticam conſtare impoſsibile eſt. Et primæ quidem ſpeties haud abſimilis eſt, ut cum oleum in ellychnio affuſum exhauritur, ſecũda cũ liquor cõſumitur qui intus inter ipſius meatus latitans cõtinetur, tertia autẽ, ut cũ ipſum lychni corpus, uel fomes (quẽ thryallida uocãt) à flammis occupatur, quod immedicabile eſt, non enim oleũ aut pinguitudinem addere confert, cũ fomitis partes humoris innati glutino carentes diffluant ſuapte ſponte, & diſsotientur.

27 Quot ſunt quæ in urina pernotari debent? Tria. color & ſubſtantia hoc eſt tenuitas uel craſsitudo urinæ partium, & contenta.

28 Quot intra ipſum lotiũ conſiderãtur? Tria. nubes in ſuperiore regione apparẽtes, & henæorèmata hoc eſt ſuſpẽſa, & hypoſtaſes id eſt in fundo ſubſidẽtia.

29 Quot habere debet ſedimentum, & pus quod optimum putandum eſt? Tria. ut ſit candidum quia talia ſunt membra ſolida, quæ à genitura nutriuntur, & leue per omnia: quia æquale ubiq; dominium facultatis ſupra materiam ſignificat: & deniq; ut ſit planum hoc eſt æquale, & ſuis partibus adhærens, & non diuulſum, quia nihil flatuoſum oſtendit quod eius continuitatem diuellat.

30 Quot ſunt urinarum ſpeties exitiales? Tres. multum tenues: & atræ & craſſæ præſertim ſi habuerint per totum admixtum nigrorem, eæ enim tãto deteriores cenſentur, q̃to fuerint craſsiores.

31 Quot ſunt pulſus maximè in ægris pernitioſi? Tres. Hecticus qui perinde ac febres hecticæ quæ ſolidas corporis particulas corripuerunt, nullam conuerſionem ſuſcipit, ſed talis ſemper, & affixus, & inmutatus permanet. Et ſcolicoidès hoc eſt uermiculatus, per quem uermis ſupra ſummam arteriam reptantis opinio & emphaſis exhibetur, qui paruus ſatis, & obſcurus, & frequens eſt, & in eo differt ab undoſo q; hic eleuatior & altior eſt. Tertius eſt mermecizon id eſt formi-

cinus

cinus nominatus, qui extremè imbecillus eſt, adeo ut nec eius paruitas, nec frequētia nec obſcuritas, nec diaſtole id eſt diſtinctio tactu pernotari & uſurpari poſsit. utriuſq; autem commune eſt, quòd non uno ictu ſed multis lationibus arteria eleuatur.

32 *Quot ſunt mittendi ſanguinis ſcopi? Tres. Primo aduertendum eſt, ut uires ſint fortes, ut nè ſanguinem mitti prohibeant. Secundo magnitudo morbi quæ id auxilij genus depoſcat. Tertium eſt ut ætas puerilis non ſit, nec ad ſenium uergens, quorum ſi quippiam deficiat, ſuperſedere à ſanguinis miſsione ſatius eſt. nam ſi imbecillis fuerit facultas uitalis: differre uenæ ſectionem docet, quoad uires reficiantur, & quis ſit humorum in corpore incrementum, ſi morbus magnus non ſit, hoc uti auxilio non cogit, cum per frictiones, inedias, balnea, poſsit plenitudo tolli. Pueri autem & ſenes: alteri ob humorum tenuitatem qui citiſsimè exhalant, alteri ob imbecillitatem hoc remedium ſuſtinere non poſſunt. At uero tempeſtas uel ualde frigens, uel feruens hoc adhiberi præſidium prohibet, merito: cum uires proſternat.*

33 *Quot ſunt quæ ſanguinem mitti ad animi uſq; deliquium ſuadent? Tria. uehementiſsimus dolor, ingens uiſceris alicuius inflammatio, ardentiſsimæ febres. In his nullum aliud efficatius uel præſtantius auxilium ægris admouere poſsis.*

34 *Quot ſunt uenæ quæ in cubito ſecantur? Tres. humeraria quam in capitis & oculorum affectionibus ſecant, & alia quæ per axillas ad cubiti dearticulationem fertur, quam & iecorariam & internam nominare medicis conſuetudo eſt, & media tertia inter has (communis uel nigra dicta) quæ non magis ſupernas reſpicit partes quàm infernas.*

35 *Quot ſunt ſectionis in cubito uenarum differentiæ? Tres. aut enim recta ſecundum longitudinem fit ſectio, aut obliqua, aut tranſuerſa, ſed in ea quidem quæ ſecundum rectum exercetur, ſanguis haud ita decorè erumpit à uaſe ſecto, nec uulneris labra facilè coeunt, in obliqua melius & elegantius ſanè prodit, & cum ſaltu egreditur, in ſectione autem ſecundum tranſuerſum facta tum cruor pulchrè ſalit, tum oræ mox in ſe redeunt. quo circa tum adminiſtratur, cum iterum tundenda non eſt uena.*

36 *Quot ſunt corruptionis naturalis (quam mortem appellare placuit) cauſæ neceſſariæ? Tres. duplices internæ & altera externa. Siccitas ſcilicet in ſolidis particulis continuo uſq; ad interitum ſemper procedens, à qua perfectè operationes & membrorum munia impediuntur. Et excrementorum generatio*

D

& prouentus ab epulis, & poculentis, quibus fluorem ſubſtantiæ reparamus. à quorum qualitatibus membra affici operæprecium eſt. Et tandem aer nos ambiens qui aut immodicè frigibus, aut calidus, aut ſiccus, aut humidus noſtra corpora alterat, cui nunquam non obuiare nos næceſſum eſt.

37 Quot modis moriuntur homines in febribus ſine criſi? Tribus. Nam quidam in principijs acceſſionum pereunt, à multitudine, uel craſſitudine, uel lentore humorum ſuffocati, alij in declinationibus particularium inuaſionum obeunt, digeſto atque diſcuſſo ſimul calore natiuo cum eo qui eſt præter naturam. Sunt qui in ſtatu particulari, aut in aſcenſionibus ratione ſtatus intereant, ſuperante & tanquàm per uim expugnante naturam uehementiâ morbi.

38 Quot ſunt hebdomadæ quibus dies decretorij acutorum morborum continentur? Tres. Prima quæ in ſeptimam terminatur, cuius quarta indicatrix eſt. Secunda quæ initium à ſequenti hoc eſt octaua die capit, & in decimamquartam deſinit, & ab undecima indicatur. & tertia quæ à fine præcedentis incipit, coniunctimque computatur, & uigeſſimam habet extremum. quos dies qui morbi exceſſerint, non acuti iam ſimpliciter, ſed ex recidentia nominantur.

39 Quot ex exercitio commoda proueniunt? Tria. Primo ex mutua frictione & contactu muſculorum, & oſſium inter ſe, robur quoddam acquiritur membris & aptitudo quædam ad uix patiendum. Secundo ad multum aeris ingreſſum meatus totius corporis expurgantur, & excrementa tertiæ concoctionis, & reliquiæ digeſtionis particularum per inſenſibilem (quem dicunt) tranſpiratum digeruntur (in exercitijs namque ſpiritus tum frequentior ſe ipſo, tum uelocior redditur). Et tandem poſtremo nutritiones fiunt melius, calore nimirum adaucto. qui ubi plurimus eſt, ſentire & attrahere id quod aliturum eſt, elegantius poteſt.

40 Quot ſunt laſſitudinum ſpecies? Tres. Tenſiua quæ immodica copia pari modo omnibus humoribus inauctis procedit. ulceroſa quæ à ſuccorum uitio (quod cacochymiam uocant) ortum habet. & inflammatiua quæ ex utraque commixta eſt, & tam redundantem colluuiem humorum, quam ſuccorum prauitatem habet pro cauſa.

41 Quot ſunt tempora: quibus elementorum qualitates attribuuntur? Tria. æſtas calens & arida ignis modo eſt, hiems frigida & humida ut aqua, autumnus ſemper ſicceſcit, ut tellus (quamuis non perinde ſit frigidus) Ver autem temperatum eſt, & minimè ſimile elementis. quin ſi calidum

& humidum aliquando euaſerit, uarios ex putredine morbos committere omnino natum eſt.

42 *Quot ſunt ſcopi obſeruandi ut tutò quis balneum ingrediatur? Tres. Primus ut in balneo non rigeat, qui lauaturus eſt (febrem enim rigor accendit). Secunda intentio eſt, ut non ſit imbecillis particula aliqua principalis, (quippe ad hanc confluunt uicatim excrementa). Tertia ut non ſit ſuccorum crudorum in corpore copia congeſta, quæ omnia ſi affuerint, nihil eſt cur thermas ingredi æger uereatur.*

43 *Quot modis uictum tenuem operari poſſumus? Tribus. aut enim nihil exhibemus, ſed in fame & eſuritione ægros continemus, aut uomere à cibis protinus iubemus, aut ea dum dumtaxat cibaria propinamus, quæ nutrire neſciunt, ſed aut nullum aut exiguum corpori alimentum præbent. Vt ſunt ferme quæ inſignem aliquam qualitatem ſaporemue habent, & quæ lentoris ſunt expertia, quo participare omnino debet quod nutriturum eſt.*

44 *Quot ſunt hominum ætates in uniuerſum? Tres. augmenti, & uigoris, & decrementi.*

45 *Quot ſunt affectiones quibus malè agens epar cauſa eſt, ut icteros morbus hoc eſt regius uel arquatus conſequatur? Tres. obſtructio, & inflammatio, (quæ uel ſubito momento euenire poteſt) & ſcirrus hoc eſt tumor durus indolorius reſiſtens tractui (hic autem diuturnior eſt). Horum itaq; aliquo impediente ſanguis quidem per ſolitos meatus non expurgatur, bilis autem tendens unà cũ cruore per corpus faciem decolorat, & ceruleam reddit, (quod in oculis præcipuè denotatur), & iecoris ſanè cum hæc eueniunt eſt morbus, coloris autem hæc in citreum uel ceruleum mutatio, ſymptoma ſolum id eſt caſus eſt, qui ex uitio uiſceris contrahitur. Contingit autem frequenter nihil epate patiente, ſed natura biles ex alto per iudicationes expellente, ut talis cutis defedatio fiat, ſed ante ſeptimam fieri decretum impoſsibile eſt. poſt autem ut ſit decretoria expulſio nihil uetat, præcipuè ſi nihil durum ſub dextras partes appareat.*

46 *Quot ſunt hydropum hoc eſt aquarum intercutem differentiæ? Tres. aſcites in qua uenter utris in morem aqua pleni tumefactus cernitur, & tympanites per quem ſecundum tympani legem pulſata aluus reſonat, & hypoſarca cum multus ferme pituitoſus humor ſub carnem collectus eſt.*

47 *Quot ſunt Ramicum differentiarum modi? Tres. alia quidem enterocela eſt, quando in oſcheum hoc eſt in ſcrotum rectum inteſtinum cęcidit. alia autem epiplocela uocatur, cum in teſtium uaginam omentum defluxit, & tertia eſt ſarco-*

céla cum ſub teſtes adnata caro hernioſos uideri facit.

48 Quot ſunt quæ obſtructiones in corpore uiarum (quas empbraxis Græci nominant) moliuntur? Tria. humores in aliquam particulam confertim influentes, uel multi, uel craßi, uel lenti, hoc eſt participes uiſciditatis.

49 Quot ſunt inditia ſuppurationis quæ aliqua ex parte rumpi debet? Tria. Rigor à puris craßitudine contractus, & febris uehemens quæ ferme ad purulentias quæ per halitum non reſoluuntur, magna ex parte conſequitur. & grauitatis ſenſus, uniuerſo pure affatim in particulam collecto.

50 Quotuplex eſt cauſa, quod per aliquas pleuritidas hoc eſt morbos laterales & uel pulmonum uel thoracis affectus, nec ſputa nec ullæ ſcreationes eunt? Triplex. Prima eſt denſitas loci patientis, (ab hoc enim nihil exhalat). Secunda. humoris uel craßitudo uel lentor. Tertia. Ipſius facultatis expultricis imbecillitas non potentis ſcreare quod contentum intus eſt.

51 Quot ſunt liquidorum corporum maneries quæ in abſceßibus ut plurimum reperiri conſtat? Tres. nam aut melli, aut pultibus, aut ſeuo adipiue, humor qui intus, conditur, proportionalis & ſimilis eſt, quod genus omne inde accepto uocabulo meliceridas, & ſteatomata, & atheromata nominant. Interdum autem & corpora ſolida, ut ungues, teſtas, crines, & alia id genus abſceßus cum diuiduntur: oſtendunt, ſed rarenter hæc accedunt.

52 Quot ſunt principales ſcopi quos in abſceßuum curatione habemus? Tres. aut enim per halitum digerimus cum licet, aut putreſcere facimus, & in pus ſaniemue conuertimus, aut ferro tandem ſecamus, quoties nec diſcuti materia nec maturari concedit. Illi igitur abſceßus in quibus tenuis humor recipitur, omnes tres has intentiones ſubire poßunt, ubi autem paulo craßior materia eſt. digeri non poßunt, ſed ſuppurari aut ſecari poßunt. Steatomata autem quæ ſeui pinguitudini aßimilem humorem includunt, dumtaxat manuum officio præſidium ſibi poſtulant.

53 Quotuplex eſt tumorum qui præter naturam conſtant differentia? Triplex. alij renixum faciunt, & inferunt dolorem, quos præcipue inflammationes appellant. alij ſunt molles & dolore priuati, quos œdémata uocant, tertium genus eorum eſt, qui & duri ſunt & doloris expertes, quos ſcirros uocari conſuetum eſt.

54 Quot ſunt lumbricorum ſpecies? Tres. quidam enim ex eis ſunt tenues, aſcarides dicti, qui in fine craßioris inteſtini generantur, quales multos in ſubiugalibus genitos cernere eſt, quando cruditate laborant, quod ex fœtore excrementorū demonſtratur, & teretes uel rotundi, qui in ſuperioribus & tenuibus inteſtinis

gignuntur.in pueris præſertim, ut interdum ad uentriculum aſcendant, & ſtomachum acri morſu lancinent, & uellicent. Non eſt ita frequens uermis uel tineæ latæ generatio, quæ per tota interim inteſtina protenditur, ex eorum tunica ambiente nata, modo eorum animalium quæ à putredine ortum habent, ex quo genere cucurbitæ ſeminibus uideri ſimiles exhibentur, cum in partes multas diuiſam eſſe contigerit materiam ex qua conſtant.

55 *Quot ſunt quæ podagricis maximè nocent? Tria. Venereorum uſus, & uina, & balnea.*

59 *Quot ſunt quæ in omni raucedine & uocis deperditione conueniunt? Tria. pedes animalium, & præcipue bubuli, & iſchades ubi ad ignem paululum ſudauerint, & ſuccus caulium expreſſus ſi ſolus uel cum melle lingatur.*

57 *Quot ſunt uerrucarum ſpecies? Tres. quædam enim ſunt ſeſſiles & expanſæ, quæ mirmetiæ uocantur, q; ſimiles formicarum morſibus dolores afferant, quas nonnulli oris ſuctu à radice primum euulſas, & circunſcriptas dentibus extrahere inuenerunt. ſunt & uerucæ penſiles quæ minima ſui parte cutem attingunt, in ſummo latiores. ſunt aliæ albæ & rotundæ capitibus clauorum ſimiles quas hêlus id eſt clauos nominant.*

58 *Quot ſunt liquida quibus in omnibus oculorum morbis uti conueniens eſt? Tria. lac præſertim cum recens ab ubere expreſſum eſt, & ex fenugræco decoctū, (mirifico namq; modo prodeſt) & oui candidum quod luteo circunquaq; appoſitum eſt. hoc enim præterq; q; dolorem ſoluit, & aſperitates lenit, etiam ſuo lentore affectæ partis tunicis adhæreſcit, quod uel maximè in omnibus ocularijs medicamentis adeſſe oportet.*

59 *Quot ſunt res quæ oculis maximopere nocent? Tres. fumus & frigidi uentorum flatus, & lachrymæ.*

LIBER SECVNDVS PONIT EROTEMATA DE GENITVRA, DE CONCEPTIbus, de humoribus, ſpiritibus, facultatibus, & membris.

QVot ſunt cauſæ immodicæ uoluptatis qua incita animalia ad coitus & uenerē furioſè mouentur? Tres. Prima eſt humiditas quædam ſemine paulū magis tenuis, acris, & ſeroſa, titillans, & pruriens ut excernatur, quæ tum à renibus ad teſtes, tū uero à glandulis quibuſdam quæ utrinq; collo ueſicæ adiacent, in penem emittitur, & uoluptatem tum auget, tum ad concubitus exagitat. Secunda eſt multus ſpiritus gignitiuus in genitura cōtentus tendens particulas, & querens egreſſum. Tertio ſummum adeo in id confert partium genitaliū ſenſus, qui tantus ſanè eſſe perhibetur, ut morſu ſcorpij icta, poſt mortem in ſe contrahantur, & perhorreſcant.

2 Quot ſunt commoda fœminei ſeminis quod mulier habet? Tria. Primum eſt, ut fœminæ ſtimulos præbeat, ad ſentiendam ueneris uoluptatem: qua ſanè ratione & appetat marem, & generationis opus propagetur. Secundum quia ex eo maſculinum alitur ſemen. Tertium eſt ut ſua conſperſione uuluæ collum diſtendat & patefaciat, ut rectà mas genituram eiaculetur, ut ad internum matricis alueum perueniat.

3 Quot in partes diſtribuitur dū fœmina genituram intus ſuſcipit, ſanguis qui per ora uaſorum ad uteri alueum progreditur? In tres. Ex ea quæ purior & defæcatior eſt tum gignitur, tum alitur conceptus. Secunda parum ante partum ad mammillas confertur, quo loco tum cordis calore quod prope ſubiacet, tum uiæ ambagibus atq; aſſidua thoracis mobilitate in candidum lactis liquorem tranſmutatur. Tertia pars quæ impura & excrementitia eſt, ad parturitionis tempus reſeruatur, nè ſi ante excerneretur, cauſa fieret aborſus, & ut enixum faciliorem reddat.

4 Quot tunicas uel inuolucra habet embryon? Tria. Prima eſt agnós uel amniō quæ ſuſcipit ſudorem ipſius fœtus, ſecunda eſt alantoidès à farciminibus dicta, in

quam per urachòn id eſt urinariū meatum, qui in umbilico medio eſt, lotium expurgatur, tertia eſt chorion id eſt ſecūdina membrana duplex colligans & connectens uaſa, & acetabula omnia ab orificijs uaſorum, quæ ſunt in locellis exorta, per quā conceptus cum matricibus copulantur. Nihil uero opus etiamnum quarta tunica eſt ad ſuſceptionem ſtercoris. quippe affatim liquidum & humidum eſt, quidquid à lactis ſuperat alimento.

5 Quot ſunt cauſæ propter quas membranæ quibus tanꝗ faſcijs in utero fœtus obuoluitur, tenues adeo ſunt factæ, ut niſi diligēter quis inſpiciat, latere earū multiplicitas poſſit? Tres. Prima ut nè regionem intus occupent, quæ ferendo conceptui uacare debuit, ſecunda ut nè onus moleſtum ſint matri quæ uterum geſtat, tertio ut facilè in partu dirumperentur.

6 Quot ſunt utilitates humiditatum, quæ in inuolucbris fœtus cōtinētur? Tres. Prima eſt ut ſuperfluitates excrementorum à fœtu emundeutur, ſecunda ut in ijs humoribus innatans & ſublatus cōceptus minus uteros grauet, quod in tantum utile eſt ut non cotyledónes id eſt acetabula abſrumpantur. tertio quia multum opis & emolumenti conferunt in parturitionibus lapſum ſua lubricitate prebentes, & mollius laxiuſꝗ reddētes matricis colliū, quod peritæ obſtetrices imitatæ (ſi prædictæ humiditates effluxerint) oleis & unguinibus facere & aſſequi conſueuerunt.

7 Quot habent in utero fœtus quibus differunt à iam natis? Tria. Primo nāꝗ pulmo ruber exactè in ijs eſt, in ijs uero qui ſunt in lucem editi, albus & ſpumoſus tam ex thoracis impulſu, ꝗ ex proprio motu. Secundo. qui in utero adhuc geſtantur, per umbilici meatum lotiū ad tunicam expellunt, perfecti autem per porum urinarium qui ad collum ueſicæ eſt, mingunt. Tertiò. pulmo quidē exterius à corde nutritur, per uenam arterialem alimento delegato. in ijs autem qui adhuc in aluo manent, ex concaua uena, per germen magnū ad arteriam uenoſam pulmonis miſſum, quod uas nimirum ſanguineum in conceptibus eſt, ſpiritale uero in perfectis.

8 Quot ſunt res circa humanum corpus in quibus naturæ commentum, & induſtria potiſſimum eo artis peruenit, ut quæ nam ea ſit ex toto inueniri non poſſit? Tres. Primo namꝗ eſt matricum colli dilatatio tanta in partu, ut illac fœtus prodire poſſit, cum reliquo tempore quo uterus portatur, eius ita cōniuent, & coeant ſibi mutuo ora, ut ſpecilli tenuiſſimus mucro nequicꝗ pertranſeat. Secūdo eſt palpebræ ſuperioris motus, cum attollitur, cuius nullus muſculus per anatomas hoc eſt diſſectiones cernitur, qui dux ſit & auctor. Tertio eſt neruus concauus ab oſſibus pubis exortus, qui ad pudendum peruenit, quo ſpiritu impleto tendi colem contingit, cum ab oſſe ligamentum non cauum, ſed durum & forte enaſcatur.

a carne epatis. Secundam in plexu mirabili quem retiformem nominãt. Et tertiam in uentriculis cerebri.

25 Quot ſunt concoctiones? Tres. Prima quæ fit in uentre coctio, & ſanguifica tio quæ à iocinore exercetur, & nutritio quæ fit in membris.

26 Quot ſunt quæ faciunt, ut cibi alioquin duri & difficiles bene cõcoquantur? Tria. Venter calidus, in hoc enim leuia edulia, & concoctu facilia corrumpuntur, & in fumoſos ructus abeunt. Et profundus ſomnus, & labor uehemẽs. Hæc nãq; uel multum pertinaces uinci & ſuperari epulas compellunt.

27 Quot ſunt cauſæ propter quas mulieres coeũtes ſanguinẽ tamen nõ expuant, quod uiris frequenter accidit? Tres. nempe quia habitum totius corporis humidiorem habent, ut minus facilè arteriæ diſrumpi ob ſiccitatem tunicarum periclitẽtur. & quia minus in lecti certamine laborant, & deniq; quia per imas partes mẽſtrua ijs purgari conſueuerunt. Viri autem qui coitum frequentant, cruoris ſcreatus ſubeunt, tum propter tenſionem uehementem, tum propter communionem arteriarũ quæ à thorace ad teſticulos perueniunt.

28 Quot ſunt à quibus perficitur attractio? Tria. Ut inane q̃ſtum fieri poſſit euitetur. & calidi ratione quod ſibi pabula petit, & à proprietate, quæ quod ſibi familiare eſt, attrahit. Ut in fabrorum follibus, & lucernarum flammis, & magnete lapide qui ferrum ad ſe latente ui cõuellit, conſpicuum cuiuis facilè eſſe poteſt.

29 Quot modis attractionum cor utitur? Omnibus. Namq; & calidiſſimũ eſt ut flammarum inſtar ad ſe aſciſcat alimẽtum. Et plurimum dilatatur, ut folliũ more nè inane ſequatur, ſibi ſanguinem attrahat. Et perinde ac magnetis lapis ferrum rapit, quia familiare ſibi eſt, ita & cor ſanguinem ut pote ſibi familiariſſimum trahit. Unde ſi animal quodcũq; fame perire compellas, non tamen cor, nec epar tabida aut macie confecta reperientur. alterũ quia fons ſanguinis eſt, alterum propter uehementem attrahendi uim qua donatum eſt.

30 Quot ſunt facultates uel uirtutes quibus totum corpus regitur atq; diſpenſatur? Tres. Vitalis uel iraſcibilis quæ in corde poſita eſt. naturalis, uel altrix, uel uegetatiua, uel concupiſcibilis quæ iocinoris ſolium ſibi uendicat, & animalis uel princeps uel rationalis quæ in cerebro collocatur.

31 Quot ſunt mẽbra ad uitam neceſſaria? Tria. cor, cerebrum, & iecur. dydymi autem ad generationis perennitatem accommodantur.

32 Quot ſunt uaſa à principalibus orta quæ illorũ defferũt facultates ad membra? Terna. dorſalis medulla (quam rachiten appellant) à cerebro ceu truncus quidam prodit. ab epatis gibbis uena caua omnium maxima exoritur. ex cordis ſiniſtro

ſpecu arteria magna(quam & adortam nominant)producitur. à quibus germina & uitulamina paßim,& emanationes quædam in proximas particulas deriuãtur, quibus totum corpus irrigatur,& accipit quod ad uitam tuendũ neceſſarium eſt.

33 Quot ſunt in humano corpore particulæ ſimilares à ſe non multum differentes? Tres.chartilago intus ſubungẽs oſſa, & neruus qui ſenſum præſtat,& ligamẽtum ab oßibus natum,oßium articulationes uintiendo colligãt.ex quibus in inas hoc eſt fibras tenuißimas deductis:& mutuo cõplicatis, muſculus generatur, inſtrumentum uoluntarij motus.Tendo autem muſculi quædam deneruatio eſt, cùm ſcilicet ligamentorum & neruorum fibræ per muſculum minutim diſperſæ, rurſus in unum tendonem coeunt,qui mouẽdæ particulæ implãtatur,atq; huius gratia muſculus factus eſt.

34 Quot ſunt quæ muſculi propriam ſubſtãtiam componunt? Tria. Nerui,& ligamenta ſubtilißimè diuiſa & corrupta ad generationem tertij, ex quibus muſculus reſultat medium extremorum, nec tam ſentire aptum ut neruus,nec tam durum & uix patile ut ligamentum. Ineſt illi & caro quæ ceu faſciculus quiſpiam è lana aut penicillus,eius replet inanitates. Venæ autem & arteriæ non ſunt de muſculi ſubſtantia, ſed riuuli quidam communes, & canales qui paßim defferuntur per totum corpus,ad portandum alimentum.

35 Quot ſunt intentiones ipſi naturæ cum mittit ad particulas neruos? Tres.ut ſint ſentiendi organa,& fiant motionis uoluntariæ inſtrumenta,& ut ea quæ triſtitiam inducunt, ſi quid nocuerit, dignoſcantur. Vnde ad quinq; ſenſus & muſculos qui inſignes aliquas motioues obire debent, notabiles mole neruos natura demandat,ad uiſcera autem ut cor,epar, renes, pulmones, exigui & uix uiſu perceptibiles perueniunt,in tantum ut differãt à plantis & animalis particulæ fiant. Nam ſi omni carerent ſenſu,quo diſcernant quod noxium eſt, facilimè eorum ſubſtantia corrumperetur.

LIBER TERTIVS EROTEMATA CONTINET DE SIMplicibus, & partibus maximè communibus totius corporis.

QVot in lacte ſubſtantiæ reperiuntur? Tres. ex alia ſerum exprimitur, ex alia preſſi copia lactis cogitur, ex tertia pingue butyrum coaleſcit.

2 Quot ſunt lactis opera? Tria. abſtergere & mundare propter ſeroſam humiditatē quæ in eo eſt. àſtringere & cogere propter caſealem partem quæ optimè uulnera recentia glutinat, & deniq; celerrimè nutrire propter tranſmutationis facilitatem. Quam ob rem ab ulcere pulmonis tabidis, accōmodatiſſimum eſt: abſtergit enim & expurgat illis ulcus, & glutinat, & in breuiſſimo tempore alimoniam præſtat, qua maximè egent toto conſumpto corpore.

3 Quot inter oui putamen partes genere diuerſæ cōtinentur? Tres. humor albus & leuis quo paſſim ad lippitudines & ophthalmias occulorum medici utuntur. & lecythos à Græcis appellata, hoc eſt luteum uel uitellus. & membrana ſubtiliſſima quæ dictos humores ambitu ſuo comprehendit.

4 Quot in uuæ acino partes inſunt? Tres. primum quod eſt ueluti caro uuæ, & ſuccus inter carnem contentus, & unus aut plures nuclei qui non cōcoquuntur, ſed nullam alterationem paſſi, deijtiuntur & ſubeunt per imam aluum.

5 Quot ſubſtantias in citreo hoc eſt malo medico pernotamus? Tres. Primo adeſt exterior cortex pallidus & flaueſcens, qui concoctiones adiuuat comeſtus, & calidus eſt. deinde quædam ſubſtantia alba, quæ tanq̃ caro eſt inſipida, & pituitoſa, quam ex garo comedunt emendātes fatuitatē ſaporis. & id poſtremo quod ſemen continet (cuius uis ingens contra uenena traditur) ad omnia ferme inutile, præterq̃ ꝙ acetum exacuit, ſi in illud infundatur.

6 Quot ſunt medicinarum gradus qui ſenſu percipi poſſunt? Tres. unus qui manifeſtè & euidenter ſuum opus operatur, ſecundus qui uehementer nimis hoc facit, ultimus particulam perurit & æſcharas hoc eſt cruſtulas producit, uel in infrigidantibus, qui tanq̃ mortuos reddit artus, ſenſumq; omnem adimit. Humiditas ad hunc ordinem non extenditur. quæcūq; uero in quarto ordine deſiccant, omnino item

& comburunt. Primus autem gradus à temperato euidens & manifeſtus ſenſibus non eſt, ſed rationis demonſtratione & manuductione eget. quæ eius officium conſequatur.

7 *Quot ſunt partes quas habet roſa? Tres. unam amaram calidam quæ in ſubſtantia aerea & tenui conſiſtit. aliam aſtringentem frigidam quæ cum craſſitudine ſuſtantiæ eſt. aliam deniq; aqueam facile in uapores ſolubilem; quæ in parte reperitur media inter illa duo extrema. Tantus uero & tan admirabilis connexus & nodus partium in roſa eſt, ut nec per deſtillationem, nec quocunq; alio modo odor ab ea remoueri poßit, quod reliquis herbis cum ab illis latex deſtillando ad ignem extrahitur, contingere cernitur.*

8 *Quot ſunt partium modi in coriãdro? Tres. partim nãq; in eo multa pars amara eſt, quæ tenuem ferme ſubſtantiam ſibi comparat. non modica item eſt aquoſæ & terreſtris humiditatis portio, quæ ad teporem uergit. habet & parum quid aſtrictoriæ qualitatis, ob que omnia diuerſimode in corpore operatur, & porrò à frigefaciendo abeſt, ut pote quod cum lomento fabarum illitum, chœrádas hoc eſt ſtrumas digerat, qui caloris eſt effectus.*

9 *Quot ſunt ſuccorum excrementa? Tria. unum eſt candidum, tenue, in ſummo natans quod uini florem repreſentat, aliud craßum in imo conſidens, quod amurcã & feces refert. tertium eſt quoddam ſuperfluum aquoſum ratione cuius ſucci repoſiti putreſcunt, niſi prius per decoctionem extraria humiditas conſumatur.*

10 *Quot ſunt papaueris ſpecies? Tres. album, & atrum, & ſpumeum ſiue erraticũ nigricante capitulo inter ſuaue rubentia folia (quod nonnulli anemonem nominant) cuius ꝗ plurima inter ſegetes, & compaſcua arua copia naſcitur.*

11 *Quot ſunt aluminis differentiæ? Tres. quorum omnium uehementißimum in aſtringendo eſt opus. ſcilicet fiſſile, quod tenuium magis quodammodo partium eſt & ſtrongylon hoc eſt rotundum, & liquidum uel laterculariũ, uel placites à placentæ figura nominatum.*

12 *Quot ſpecies differentiaſue hyoſcyamos ſub ſe habet, quam herbam appollinarem uocant? Tres. una quippe ex iis quæ tum ſeminis tum floris candidi eſt, quæ in citinis occluſa continetur, qui perfecta maturitate dehiſcunt. ex duabus reliquis altera ſpecies quæ ad uſum deterrima comprobatur, tam flore ꝗ ſemine nigrioribus conſtat, media inter utraſq; præcellit tertia quæ ruffeſcit.*

13 *In quot ſpecies intubum diſtrahitur, quod tum ſerin, tum picrida ꝗ amaris fibris ſit præditum, nuncupant? Tres. una quippe cichorium eſt quæ holerum modo in cibis eſtur, alia eſt latifolia, quam endiuiam herbarij nominant, tertia ſpecies*

lactucæ ſimili folio per ſũmam tellurem porrigitur, quam corrumpentes ſcariolam proſcriolam diminutionis uocabulo appellant.

14 Quot ſunt ſatyrionum differentiæ quos teſtes uulpinos nominant? Tres. qui omnes radice bulboſa, in qua ceu quidam candidus globus ut oui eſt, & folijs uel lilij, uel rumicis paulo breuioribus conſtant, ſed proximo quoq; anno præcedens hic bulbus radicis marceſcit, moxq; ei alius adiũctus in loco extuberans adnaſcitur, qui Veneris ſtimulos maxime incendit.

15 Quot ſunt piperis ſpeties? Tres. album quod robur & tenorem præceteris uentriculo apponit, tenuiſſimo eius ſcobis puluiſculo in patinas iniecto, & longum quod facilè teredinem ſentit, ſed flatus promptè reſoluit, & coctiones maturat, pellitq; infernè quicquid in uentre moratur. & atrum cui tertia bonitas. ex quibus tribus generibus ea grana potiſſimum probantur, quæ maxima ſunt, & grauè pondus habentia, & minimè rugoſa.

DE COMMVNIBVS QVIBVSdam particulis corporis pulchra quædam.

QVot ſunt uillorum genera? Tria. alij ſunt longitudinales, uel recti per quos fit attractio, tranſuerſi per quos excernitur, obliqui qui tum operantur, cum quippiam retinendum eſt. ex quibus inteſtina tranſuerſos dumtaxat ſortita ſunt. Ventri, autem & cordi, & ueſicis nullum eſt uillorum genus denegatum.

17 Quot ſunt inteſtina tenuia? Tria. exortus quem duodecim quoq; digitorum appellant, & quod ſemper ieiunum reperitur, & ileon hoc eſt tenue. totidem item ſunt inteſtina craſſa, cæcum, & colon, & rectum quem ſphinctéra nominant.

18 Quot tunicis uentriculus præditus eſt? Tribus. unam enim habet internam neruoſam, fibras ſortitam ſecundum longitudinem porrectas, qua mediante ſenſus eſuritionis ei adeſt. alteram externam carnoſam fibris in latum procedẽtibus textã, cuius calore dapes in uentriculo concoquntur. reliqua eſt tertia nullas quidem fibras conſpicuas habens, ſed rara & tenuiſſima qualis arachnearum ſtamina, quæ per omnia uiſcera interna communi diſtributione protenditur.

29 Quot ſunt ſuperfluitates in corpore utilis & benigni alimenti? Tres. genitura quæ in uaſis ſeminalibus cõtinetur, & lac quod in mammillis laboratur, & medulla qua magna & ingentia oſſa intus ſunt plena.

20 Quot ſunt carnium diuerſitates? Tres. quædam namq; eſt muſculoſa per to-

tum corpus diſperſa, alia eſt uiſcerum caro quam parénchyma id eſt affuſionem nominare conſueuerunt. tertia eſt ab ijs diuerſa ut ſtomachi, ſplenis, ueſicæ, inteſtinorum. Quidam etiam nun glanduloſas numerant quales ſunt mammillarum.

21 *Quot ſunt cutium differentiæ? Tres. alia quippe cutis eſt frontis, quæ ſubiectis muſculis unita eſt. alia in pedum & manuum interioribus uiſitur muſculos adnatos habens, tertia eſt totius corporis tegmen cuticula, quæ ſubiacentes quidem habet muſculos, ſed eis tamen nec unita nec adnata eſt. quæ uero labiorum eſt non propriè cutis nominatur, ſed nec muſculus, ſed quædã ex utriuſq; corruptione facta commixtio & congregatio.*

22 *Quotuplex medulla in corpore eſt? Triplex. nam quædam in oſſibus reperitur à qua illa nutriri contingit: & dorſalis qua mediante à cerebro cunctis particulis nerui communicantur. Cerebrum quoq; medulla eſt: licet ab alijs longè multumq; diuerſa: unde non ſimpliciter medullam, ſed cerebralem medullam quidam ipſum nominant.*

23 *Quot propter utilitates dorſalis fuit creata? Propter tres. Prima ut eſſet uia ſpinalis medullæ quæ tanq; alterum cerebrum, & ceu riuulus eſt à fonte enatus, omnibus particulis corporis ſub capite diſtribuẽs ſenſum, & motum mediantibus quinquaginta octo neruis: in quos (ſicuti ſtipes in ramos) cõſumitur, unde hac ratione ſpondyli caui intus ſunt facti, & magis ſuperiores quoniam hac parte medulla craſſior, & amplior eſt. Secundo ut hæc tuto cuſtodiretur, quam pati æquæ ingẽs malum eſt, ac ſi cerebrum pateretur, ut apparet in tauris qui ad primos ictus concidunt percuſſi ſub huius medullæ exortum. Atq; ob id ſpinam ex medijs ſpondylis productam, inſtar cuiuſdam teſtudinis, & fornicis extrorſum incubantem appoſuit, ut prima periculis eſſet obnoxia. Tertio dorſum fabricatum eſt tanq; propugnaculum & uallum uiſcerum ſubiacentium, & ceu carina quædam & crepido totius corporis ſine qua recti incedere non poſſem us, nec coſtæ thoracis haberent quo cum compingerentur.*

24 *In quot partes diuiditur ſpina dorſi ab imo collo uſq; ad extremum? In tres. in metaphrenon hoc eſt partem ſepto tranſuerſo oppoſitam, quam duodecim uertebræ componunt, & in oſphym id eſt lumbos, quæ pars ex quinq; ſpondylis conſtat, & in os ſacrum ſiue amplum quod ex quatuor ſolũ ſpondylis uerticilliſue eſt factũ.*

25 *In quot partes totum hominis corpus diuiditur? In tres. in thoracem qui uiſcera ſpiritalia cõtinet, & partes ſub umbiculo poſitas, & caput in quo animalis facultatis & rationis eſt ſedes.*

26 *Quot ſunt propugnacula membrorum principatum obtinentium? Tria.*

prorſus uario ſe habentia modo. ad cuſtodiam cerebri craneum oßoſum dumtaxat comparatum eſt, ad epatis munimen partes quæ ſub uentrem muſculoſæ ſolum & carneæ proponuntur, cor medium à thorace defenditur, qui ex coſtarum oßibus mutuo dearticulatis & muſculis pariter componitur.

27 *Quot utilitatibus thorax commodus conſtitutus eſt? Tribus. ad uocem, ad reſpirationem, & ut cor & pulmones ſuſcipiat, quorum magnitudinibus proportionalis factus eſt.*

28 *Quot meninguas id eſt membranas habet medulla dorſi? Tres. una eſt mollis quæ colligat & firmat, & texit uaſa nutrimenti. alia eſt craßa huic proxima ad cuſtodiam & tegumẽtum, quia hæc medulla immobilis eſt (quuis in cerebro diſtent, ut eius diſtinctionibus locus concedatur). eſt tertia alia fortis, & dura, quam maioris defenſionis gratia naturam comparaße manifeſtum eſt.*

29 *Quot ſunt genera neruoſorum corporũ? Tria. nerui à cerebro orti, & ligamenta duriora, quæ ab oßibus in oßa prodeunt, & tendines fines muſculorum.*

30 *Quot ſunt in corpore articulationes multum laxæ à natura factæ? Tres. Prima eſt oßium bregmatis hoc eſt ſuperioris partis capitis, quorum motum in nuper natis, oculis pernotare poßumus. Secunda eſt humeri articulatio flexilis & bene mobilis ut prompté brachium quaqua uerſus moueatur. Tertia eſt iſchij hoc eſt coxendicis uertebra, quæ facilè nimis rotatur, & conuertitur, propterea ꝙ in magnam cauitatem (quam cotylam nominant) rotundum oßis caput inſeritur.*

31 *Quot ſunt particulæ corporis quæ excoriari non poßunt? Tres. interna manuum & pedum (quæ côla Græci communi appellatione nominant) & tota cutis frontis, & labiorum, propterea ꝙ in iis partibus muſculi cum cute ita corrumpuntur, & commiſcentur, ut neutrum à neutro auelli aut ſeparari poßit.*

32 *Quot ſunt propter quæ neruos molles uiſcera omnia dumtaxat habuerunt? Tria. Primo quia nullam actionem uoluntariã, aut ab electione procedentem, obire debebant. unde nec muſculis, nec neruis duris eguerunt. Secũdo. quia omnia ea ſunt molli carne prædita, quod autem molle eſt, facilius unitur & conglutinatur. Tertio ut nocentia facilè magis perſentire poßent. mollia namq; ita ut pati, ita & ſentire melius ſunt nata. Vnde ori uentris (quod ſtomachum medicis appellare conſuetum eſt) duo paria neruorum mollium magnorum à cerebro demandantur, ut per inedias eſuriret, & ſenſu famis afficeretur. Nam primum eſt, ut prauam affectionem, uel qualitatem uentriculus ſentiat, deinde appetentia eſt comes.*

Liber quartus

LIBER QVARTVS IN QVO SVNT EROTEMATA DE PARtibus communibus omnium animalium, & de oculis, & quædam alia.

QVot ſunt animalium ſpecies hominum maximè ſimiles in compoſitione, & figura, uſuue mēbrorum ? Tres. Simia ex ijs quæ dentes caninos habēt paruos, & rotundam faciem. Et ſimijs ſimilia animalia, & ſus. cumq́; ijs quæ ſerratiles habent dentes, & urſus. Et tandem nonnulla ad hominem ſimilitudine accedunt, quæ manus in digitos diuiſas obtinent.

2 Quot ſunt organorum genera quæ in omnibus animalibus communia natura fecit? Tria. alia quippe ſunt organa ad ſuſceptionem, & cōfectionem, & diſtributionem alimenti per totum corpus parata. alia ad expurgationem, & reſeruationem ſuperfluitatum. tertia ut eæ excernerentur à corpore. Ex prima intentione uenter, epar, & inteſtina, & uenæ facta fuerūt. Secundum ſecundam rationem pori bilem ſuſcipientes, & ueſica fellis, & lien, & renes, & urinarij meatus, & ueſicæ uaſculum ſunt creata. Vltima cura fuit, ut muſculi in finibus uaſorum producerentur, qui intempeſtiuum exitum ſuperfluorum probiberent, & ut cum opus eſſet, in tempore excrementa deijcerentur.

3 Quot ſunt quæ omnibus animalibus ruminantibus inſunt præ ijs quæ non ruminant? Tria. Dētibus ſuperioribus carēt, qualia cornigera fermè ſunt omnia, toto in ſuperis partibus in cornua exhauſto alimento. Et plures habent uentres. Et feſtuceo utuntur alimento.

4 Quot ſunt mēbra quæ adſunt omnibus aīalibus quibus eſt epar? Tria. lien & meatus bilem ſuſcipientes, & ueſica fellis ſub maximo ex lobis iocinoris poſita.

5 Quot ſunt animalium ſortes in quibus iocinus (quod in dextris partibus ſolet eſſe) multū quid de ſiniſtris occupat? Tria. Lepores, & quæcūq́; animalia in tellure ſerpunt, & quibus hoc uiſcus magnitudine proficit. timidis autē & uoracibus cunctis magnum omnino eſt iecur.

6 Quot ſunt quibus differūt urināter ſub aquis piſces ab aīalibus quæ ſpirāt ex aere? Tria. Nec enim pulmones habēt, ſed per brāchias multis ſubtilibus foraminibus pertuſas refrigerātur. nec cordis folliculum dexrum, (hūc nāq́; pulmonis gratia natura fecit) & collo deniq́; carent, quod propter arteriā uocalē cōſtitutū eſt.

DE OCVLIS.

QVot ſunt tunicæ internæ oculorum? Tres. ceratoides à dura mēbrana procedēs. rhagoides à molli. amphibliſtroides ex ipſa cerebri ſubſtātia facta, quas corneam, & uueam, & reticularē interpretari quis poſſit.

8 Quot ſunt humores in oculo? Tres. unus ouorum albo ſimilis, alius chryſtallo puro & ſplēdido (quem & phacoidē hoc eſt lenticularem ab ſpetie uocant) in quo uiſio potiſſimum perficitur. tertius hyaloides uitro fuſo & liqueſcenti eſt compar, unde chryſtalloidi nutrimentum.

9 Quot utilia exhibet humor albū ouorū refferens, in uueæ foramine inter corneā & chryſtallinū affuſus? Tria. Primū quæ ſuo interiectu chryſtalloidē deffendit, nè cū cornea cōmunicet. Secundo quia hæc cornu ſimilis tunica per eum accipit alimoniā. Tertium quia tā chryſtalli humorem, quàm rhagoidis partem internā molli aſpergine continuò & frequēter humectat, nè ſiceſcat. Quo fit ut occecari pericli tentur, quibus glaucedines accidūt, quæ non aliunde ſanè, quàm ob chryſtalloidis ſiccitatem ab humoris huius inopia proueniunt.

10 Quot commoda exhibet rhagoides tunica, hoc eſt uuea, quam & ceruleam item nominant, inter corneam & humorem chryſtallinum poſita? Tria. Primum eſt ut per eam ex traditione nutritionem accipiat cornea, quæ nullas propter duritiem habuit uenas. Secundum ut ſua mollitie & ſpongioſitate interna (quàmuis exactè extrinſecus ſit lenis, quod uuæ acino contingit, cui meritò hæc tunica aſſimilata eſt) humorem chryſtallo ſimilem corneæ à contactu deffendat. Ad hæc cum ſit ceruleo colore infecta hæc ſola pars corporis, operatur: ut nè diſcutiantur ſpiritus uiſorij & uis cernua quæ ad oculum uenit. Quippe quod ceruleum & fuſcum: cogere & congregare eſt natum, ut diſcutere & digerere per halitum, quod album & ſplendidum eſt factum.

11 Quot ſunt quæ fecit creator, nè chryſtallinum tangeret cornea, quæ qua parte pupulæ foramen eſt, nulla tunica mediante diſtant? Tria. Primum quia corneam longè magis & magis abduxit in eo loco. Secundo quia totam eam regionem humore albo, & puro, & ſubtili (qualis reperitur in ouis) impleuit. Tertio quia ſpiritum multum, lucidum, & ſplendidum circumfudit ad uiſiones maximè næceſſarium, quo affatim ueniente pupula dilatatur, & uno clauſo alter ſanè oculus euadit maior: qui cum ſpiritus defficiat in ſenibus, cornea in ſe concidit, & conduplicatur, & pupulam anguſtiorem reddit, ut nihil mirum ſit, ſi imbecillius & ægrè cernant, qui ad ſenectæ limen peruenerunt.

12 *Quot ſunt particularum genera in quas nullus cõmittitur neruus & non ſentiunt? Tria. Oſſa, & chartilagines, & ligamẽta. illa enim ſuſtinent totius corporis põdus. chondrus autẽ id eſt chartilago oſſium cauitates intus tanꝙ pix quædã ſublinit. copulæ autem tanꝙ funiculi quidam nexibus dumtaxat uinciendiſq; oſſibus ſunt aptæ. dentes uero ſoli neruis mollibus non caruerunt, ut guſtum aliquem haberent eorum quos diuidunt ciborum, & ut ne à uehementer imprimẽtibus quibus obuiant eorum ſubſtantia corrumperetur.*

13 *Quot ſunt adenon id eſt glãdularum differentiæ? Tres. aliæ nãq; in extremis mẽbranarum & neruoſorũ corporum ſunt natæ, ex ſanguinis pinguedine tãq; oleũ craſſum. aliæ uaſorum hoc eſt uenarũ uel arteriarũ ſciſſiones replent. tertiũ genus eſt factum, ut producãt, & regurgitẽt utilẽ humiditatẽ, quale in radice linguæ, & uberibus ad ſputi & lactis generationem cernitur. priorum utraq; caret ſenſu. poſtremis ut nec arteriæ, nec uenæ, ita nec nerui deffuerunt.*

14 *Quotuplices ſunt ſenſus qui utrũq; genus neruorum tã durorũ ꝙ mollium habẽt? Tres. Oculi, & lingua, & aures. alterũ ut ſentiant in proprium ſenſiterij organum mittitur, alterum ut moueantur durius, in motores muſculos implantatur.*

15 *Quot inſunt peculiaria neruis opticis id eſt uiſorijs? Tria. ſunt etenim maximi, & molliſſimi, & inſignem ſoli cauitatem habentes, per quã ſpiritus lucidus & ſplendidus ſemper deffertur, qui ad uiſiones næceſſarius eſt.*

16 *Quot ſunt particularum nomina ſub facie ad quas ab ipſo cerebro nerui nullo interuentu ueniunt? Tria. uiſcera hoc eſt cor, epar, & uenter. Principia namq; ut ſe ſubaudiant, & mutuo ſint unita (ut inquit Plato) oportet. & inteſtina, & uocalia organa.*

17 *Quot ferme eſſe ſolent propter quæ nonnulli improbè & deterius cernunt? Tria. aut ſcilicet quia humor cãdidus medius inter chryſtalloidẽ & corneã, multũ nimis exhauſtus eſt, aut quia pupula naturæ uitio breuior eſt, (quod malũ in altero dũtaxat oculo fermè accidit) aut quia ob ſpirituũ inopiã ueniẽtium (qui corneã diſtẽdunt) ea tunica corrugata, & in ſe cadens id foramen coarctat (quod pupulã uocant) quo breuiori facto lædi uiſionis ſenſum omnino næceſſarium eſt.*

18 *Quot ſunt cauſæ propter quas ſpiritus nõ demãdãtur, qui corneã intentã ſeruãt, quibus deffitientibus corrugatur: in ijs qui ſenio detinentur? Tres. aut quia obſtructio habet ſenſibiles poros per quos ueniũt, aut quia propter imbecillitatem non mittuntur, aut quia pautiores & exigui prorſus ſunt facti.*

19 *Quot ſũt uſus propter quos uiſorij nerui à diuerſis cerebri partibus orti modo litteræ. x. Græcæ ſimilimo obliqui eũtes, primũ quidẽ coeũt, deinde rurſus à ſe inui-*

cẽ digrediũtur? Tres. Prima ne facilè rumpãtur, ſi ſecundũ rectitudinẽ procederẽt,
ſed ſint tutiores, eorum obliquus poſitus eſt inuentus, quod in neruis quoq; ad ſtoma-
chum uenientibus obſeruatum eſt. Secundo quia hos neruos uniri oportuit, ut eſſent
in eodem plano nè unũ duo uideretur, quaſcũq; autem duas lineas, ſi ſe inuicem cõ-
tingãt, & tertiã quæ has clauſerit, & triangulũ rurſus omnẽ in eadẽ eſſe ſuperfitie
plana prorſus neceſſariũ eſt. Tertio. ut ſpiritus à cerebro delatus nõ partim per
ſingulos poros cõfluat, ſed in totũ & in uniuerſum per utrũq; demãdetur, ut ſi unus
aliquis eorum obſtructus fuerit uel clauſus, per reliquum ſpiritus qui per ambos
fuerant mittendi, tradantur. Vnde nonnunq; quod utriſq; oculis obiecto aliquo an-
te uares impedimento, exactè non uidemus, altero dumtaxat cernere contingit me-
lius: uniuerſo in idem & affatim ſpiritu confluente.

20 Quot prominent in uultu partes mobiles? Tres. oculi, & inferior mandibula,
& ſuperior palpebra uel gena.

21 Quot ſunt capillorum ordines certis limitibus ordinibuſue ſeriatim dyſpoſiti?
Tres. capitis. & palpebrarum, & ſuperciliorum, quibus ut æquales, & non aucti,
& parui ſemper perſtarent, creatoris prouidẽtia chartilaginoſam ſubſtantiã ſup-
poſuit (hij namq; ut cernere poſſis, tanq; ſulcis & lineis quibuſdam in tramites ſunt
digeſti) reliqui uero totius corporis pili, ut qui in axillis & pectine exiſtunt, ex
materiæ neceſſitate, prout multa, uel modica, uel calens, uel algioſa, uel humida, uel
arida, uel mollis, uel dura fuerit, proueniunt.

22 Quot ſunt ſcopi curatiui ex quibus intentio & indicatio in curando accipi
debet? Tres. Primus eſt aer nos ambiens, qui talis & talis redditur, ſecũdum quod
ex regione, uel ex tempore anni, uel ex præſenti cõſtitutione alteratur, alij duo ſunt
morbus, & præſens corporibus temperies, cum curatio adhibetur, hoc eſt affectio
naturalis, & ea quæ præter naturam eſt, ſed à morbo potiſſima & maximè prin
cipalis indicatio aſſumitur, quæ contraria adhibenda fore præſidia oſtendit. natu-
ra autem ſiue affectio quæ ſecundam naturam ſe habet, quatenus & quantum con-
trarijs utendum eſt, docet & demonſtrat.

23 Quot ſunt ſcopi in febribus indicatiui eorum que facere conueniat? Tres.
ipſa febris, & cauſa committens febrim, & uires ægri quæ uel ſolæ ad indica-
tionem habendam ſufficiunt, ſi uiciſſim illis & febris, & cauſa eius comparentur,
ut potiori aduerſum eatur. namq; uel febris ipſa curanda eſt cauſa neglecta, uel hanc
abſcindere debemus reſpectu non habito ad febrim, uel ad id quod magis urget, inten
tio referenda eſt, altero non neglecto, hoc autem longè facere præſtat. Quippe ſi
febrim ſolam curare uelis, hoc utiq; uanum & temerarium eſt, cum maneat cauſa,

quæ talem producere poſſit. ad cauſam autem reſpicere, & animum habere, q̃uis aliquando ex uſu ſit, ſi uires ualeant, non tamen ſemper expedit, cum interdum periculum ſit, ne febris ægrum interimat. Ergo cauſam potiſſimũ, & maximè abſcindere decet, ſed extinguendæ febris cura deponenda non eſt, ſi quoad cauſa excindatur, æger ſufficere non poſſit.

24 *Quot ſũt quæ in corpore humano medicũ cõſeruare oportet? Tria. ipſã ſpirituũ ſubſtãtiam quæ tantũ nõ ſingulis mom&etilde;tis alteratur, & alia & alia eſt, & ipſas ſolidas particulas, quas ex ſemine ortũ habere palã eſt, & carniũ ſubſtãtiam naturãue quæ per m&etilde;bra interfuſa eſt. ſed ſolida quid&etilde; in iis qui adhuc aug&etilde;tur, numero totid&etilde; perſtãt, in iã perfectis magnitudine quoq; æqualia ſunt. carnea autem ſubſtantia, q̃uis animal augeri deſinat, increm&etilde;ta ſuſcipere poteſt. Horũ omnium ſubſtantiam tum in quali tum in quanto tueri operæpretium eſt.*

25 *Quot ſũt quæ extrinſicus curãt morbos? Tria. fortuna quæ ut in omni re alia dominatur, ita quoq; in medicina nõnullã part&etilde; ſibi u&etilde;dicat, & ars, & artifex, ſed hæc omnia mediante natura corporum agunt, quæ per ſe primò & principaliter malam quancunq; functionem extirpat, à qua uitioſæ functiones proueniunt.*

26 *Quot ſunt pulſuũ differ&etilde;tiæ in unaquaq; dim&etilde;ſione? Tres. ſecũdũ longitudin&etilde; quid&etilde; arteriæ lõgus, & breuis, & mediocris. ſecundũ latũ uerò latus, & cõmoderatus, & anguſtus. ſecundũ aut&etilde; profunditatis dim&etilde;ſion&etilde;, altus ſublimiſue, & medius, & humilis. Horum cuiuſq; dimenſionis differentiæ ſi ſingulis alterius componantur, uiginti & ſeptem pulſuum differentiæ naſcuntur.*

27 *Quot ſunt pulſuũ differ&etilde;tæ quæ att&etilde;duntur ex t&etilde;pore in quo arteria dilatatur? Tres. uelox & tardus, & medius, uelox quidem qui ocyus ſpatium decurrit, tardus qui lentè progreditur, & ſymmetros id eſt commoderatus.*

28 *Quot ſunt quæ in pulſibus cõſiderare oportet. Tria. diaſtolàs id eſt diſtinctiones cum arteria attollitur, ſyſtolàs id eſt contractiones cum demittitur, & quietem quæ inter dilatationis unum & alterum tempus capitur.*

29 *Quot ſunt pulſuũ differ&etilde;tiæ ex parte tenoris quo cũ arteria cietur? Tres. uehem&etilde;s cũ uiol&etilde;tius icit, & tãg&etilde;tis manũ pulſat, amydròs hoc eſt obſcurus, cũ imbecillius, & quaſi ſine ictu moueri dignoſcitur, & ſine ui ferit, & ĩter utrũq; medius.*

30 *Quot ſũt pulſus in quibus contingit, ut ſyſtolé id eſt contractio arteriæ intro ſe recipi&etilde;tis perſentiri poſſit? Tres. qui maximi ſunt, & qui uehementiſſimè feriunt, & duriſſimi quatenus fieri licet. ii namq; ſi tarditatis aliquantulum accedat, ut ſcilicet pulſus non ocyus feratur, multum adeo manifeſtas contractiones habent. In cæteris qui tales non ſunt, uanam in dignoſcenda contractione (quam*

ſyſtolen uocant) impendas operam.

31. Quot ſunt pulſuum differentiæ cōſideratæ ex parte tēporis quod inter quietē & motum impenditur? Tres. rarus, & frequens, & medius. rarus cum multo interpoſito ſpatio temporis ad diſtinctiones arteria redit. creber cum exigua quiete media, mox arteria diſtinguitur, & inter unam & alteram diſtinctionem modicum abſumitur, medius nec multum tardat, nec properat, ſed maturè reuertitur.

32. Quot ſunt pulſuum differentiæ qui tunicam arteriarum reſpiciunt? Tres. durus, & mollis, & medius, cum uel arteriæ membranum durius uel mollius eſt, uel medio modo ſe habet. Sunt aliæ tres pulſuum differentiæ ex parte eius quod intra arteriam infuſum eſt, plenus ſcilicet cum arteria ueluti ſolidior, & plenior tactui exponitur, & uacuus cum inanis & caſſa tangentibus ſe ſe offert, & medius.

33. Quot ſunt quæ fugiūt in pulſu & ſub affectum uel ſenſum tactus non cadūt? Tria. diaſtolés primæ partes, & ſyſtolés poſtremæ, & quies inferior, anteq̃ arteria incipiat dilatari, quoniam cum nec ſyſtolè tota nec diaſtolè cognoſcatur, fieri nōn poteſt, ut quies ima quanta ſit, apprehendi poſſit.

34. Quot ſunt pulſuum qui rythmo uacant differētiæ? Tres. qui etenim à rythmo naturæ uel ætati debito ad alterum proximè conſtitutum deffleclit, parárythmos eſt, qui uero ad longè diuerſum conuertitur, eterorythmos dicitur, qui autem nullius naturæ rythmum reſeruat ecrythmus nuncupatur. Nullus autem pulſus eſt qui rythmum ex toto non habeat, ſed quemadmodum cytharædus mutus dicitur, qui uocis decorē non obtinet, pari modo pulſum rythmo carere dicimus, qui quem & qualem habere deberet, non habere cognoſcitur.

35. Bini muſculi in omni motu uoluntario corporis contrarium poſitum obtinentes eſſe neceſſarium eſt, quorum altero pereunte utramq̃ lationem aboleri, operæpretium eſt, quia ambæ ſe mutuo conſequuntur.

36. Binos cor habet uentriculos, & gemina omnium ſenſuum inſtrumenta habemus, ut ſi in altero læſio coutingat, alter ſeruetur incolumis.

37. Quot ſunt quæ committere dentium dolorem poſſunt? Tria. nerui quibus cum ab una radice ſubiectis colligantur, & ipſimet dentes. nam cum nutriri eos, & augeſcere conſtet, inflammatione quoq̃ tentatū iri operæpretiū eſt, dentes autem incrementum capere inditum eſt, quia oppoſitis exemptis, maiores ſubinde euadūt. Poſtremo gingiuæ inflmamatione laborantes ſunt cauſa, ut dentes intolerabili & impatili dolore torqueri ſibi uideantur.

38. Quot ſunt calidiſſima in corpore? Tria. ſanguis & ſpiritus & bilis flaua.

39. Quot ſunt dolores capitis qui in febribus acutis contingere ſolent? Tres. qui

omnes ſeptima ab initio die terminantur, quidam enim prima mox die infeſtat, qui ſeptima finem ſortitur, quidam alius tertia die incipit, qui nona uel undecima terminatur, alius ſexta die corripit, qui in decimamquartam exitum habere ſolet.

40 Quot ſunt ſigna ex quibus magnitudo capitis non ob multitudinem materiæ, ſed ob facultatis conformantis uires talis eſſe effecta cognoſcitur? Tria ſi egregiè & eleganter conformatum eſt (hoc enim ſemper ex bono eſt) ſi orta ab eo ut colli partes, & nerui, robuſta & fortia fuerint, & ſi oculorum lumina acre & acutum quid inſpexerint, ſi quod uero aliud eſt caput, cui eæ notæ non adſint, ob copiam materiæ tale conformatum eſt.

41 Quot ſunt quæ ex flatu retento prouenire conſueuerunt? Quatuor. uertigo capitis, ſurſum halitibus cõmeantibus, & cõuulſio muſculis flatuum plenitudine diſtẽtis, & colicus affectus deorſum non ſubeũte flatu quopiam, & hydrops tympanites in quo pulſato uentre tympani ſonus pernotatur.

42 Quot ſunt quæ uinũ intemperatè bibitum efficere imprimis cõſueuit? Tria. Primo nãq; ueneris excitat appetentias aucto calore. Ad hæc rationis uſum perturbat, cerebro uaporibus oppleto, & tandem ad iurgia & excandeſcentiam animos mouet, quam eſſe efferueſcentiam caloris circa cor diffinire ſolent.

43 Quot ſunt rigoris differẽtiæ qui ab interna diſpoſitione ſine extrinſica cauſa contingunt? Tres. tertianus quem qui habent ſiti ingenti in alto premuntur, & ſenſum obtinent acſi illis corpus ab acutis iaculeis pungeretur, alius quartanus eſt uehemens nimis, ſimiliſq; rigori, qui per hyemẽ maximè algioſam illis accidit, qui acri ſe ſe expoſuerunt. tertius eſt ad quem febris non ſequitur, ueteribus non ita frequẽs, qui ſubinde tunc locum habet, cum quis per otium uictu lautiori uſus eſt, qui humores pituitoſos, & lentos accumulare poſſit, atq; hij tales uel paululum moti, uel Soli expoſiti horrore tentantur, ſi autem uehementius moueantur rigeſcunt.

44 Quot ſunt humores ſimplices ex quibus ferme phrenitis id eſt delirium generari ſolet? Tres. ſanguis & bilis cum flaua, tum atra, ſed deliria quidem quæ à ſanguine fiunt, gaudium & riſus comitantur, quæ à bile ortum habent, cum audatia & cũ quadam temeritate cõſtant, qui uero cũ furioſa quadã & ferina inſania delirãt, atra bile uẽtriculos cerebri occupãte, eos delirio affici, maximè exploratũ habetur.

45 Quot ſunt cauſæ quas propter ſanguinem expuere conſueuerũt? Tres. uel ſcilicet propter rupturã uenarũ, uel propter anaſtomoſin id eſt oſcillorum apertionem, quando oſcilla uenarum hiant, & aperiuntur, quod fit cum quis calentiori & humentiori uictu uſus eſt, uel propter diábroſin id eſt eroſionem, cum acres & mordaces ſucci, tunicas & mẽbranas rodunt, & uellicant, hactenus ut ſanguis erũpat.

46 *Quot ſunt cauſæ quas propter uenæ diſrumpantur, ut ſanguis ſputo reddatur? Tres. una externa propter ictum, percuſsionem, caſum, clamorẽ, & propter multitudinem nimiam quam uaſa protegere non poſsunt, & frigiditas quæ uenas diſrumpendi uim habet.*

47 *Quot ſunt modi quibus ſanguis ſputo excernitur? Tres. uel per uomitũ, quoties in uentriculo continetur, quod expuitur. uel per tuſsim ualidam, cum uel pulmones, uel thorax excernunt. & per excreatum cum aſpera arteria demandat.*

48 *Quot ſunt cauſæ cur cicuta cum ſturnos nutriat homines ſi edatur interficit? Tres. ob meatuum latitudinem, per quos ad cor ipſum tranſitio eſt. ob multitudinem caliditatis quæ confringere & in tenuia minutaq́; partiri, & ueluti manuducere poteſt pharmacum quod frigefaciendo perimit. & ob arteriarum ingẽtem tractũ, quæ noxam ocyus, cum follium modo diſtinguũtur, ad ſe contrahũt. Vnde quæcunq́; pharmaca extinguendo, & ui frigoris uitam ſubuertunt, ſi in uenis amplius morentur, profectu tẽporis nutriẽdo eſſe poſsunt, quæ uero putrefaciunt, tempore deteriora reddũtur, & quãtò magis in corpore perſtãt, quia putrefactio magis augetur.*

49 *Quot ſunt componendi oxymelitis id eſt aceti mulſi rationes? Tres. nam uel ad mellis probè deſpumati portionem unam, aceti dimidium adijciũt, & iterum decoquunt, quoad amborum qualitates, in unum commiſceãtur. uel pondo unum mellis cum duplo pondere aquæ miſcent, & ubi efferbuerit, aceti ſubduplum apponũt, & iterũ efferuefaciunt. uel ex aceto, & duplo melle, & quadruplo aquæ mox à principio mixtis mulſum efficere acetum ſolent.*

50 *Quot ſunt olei roſacei (quod rodinon uocant) conficiendi modi? Tres. namq́; uaſculum oleo acerbo (quod omphacion nuncupant) & roſis rubentibus: quibus ungues ſummi detonſi ſint, oppletum, & probè obturatum, per quadraginta dies inſolant. uel in altos puteos per tantum tempus defodiunt, flagrantius etenim redditur ui frigoris aſtringente, uel tandem in telluris ſcrobes recondunt.*

51 *Tria ſunt quæ mortem accelerare dicuntur, balnea, uina, uenus.*

52 *Quot bona ex exercitio proueniunt? Tria. frequenti enim attritu membra ſolida duriora, & ad uix patiendũ prõptiora redduntur, ſecũdò calor innatus maiore copia inaugetur, tertiò ſpiritus frequentior redditur, & acceleratur, confertimq́; aeris magna uis ſubintrat, hoc enim omnibuus gymnaſijs peculiare eſt, ut reſpiratio crebrior euadat, unde meatus expurgantur. Quocirca cauere operæpretiũ eſt, nè digeſtionibus cibi non peractis, quis ad exercendum & fatigandum corpus ſe conferat, nè crudorum humorum colluuies ad artus propter calorem, cuius munus eſt trahere, conuellatur.*

53 Quot laudes in primis ouis aſcribũtur? Tres. Prima quòd celeriter & ocyus nutriũt, & in ſanguinem probum conuertuntur, ſecũda quòd minimũ excrementorũ relinquunt, tantum enim ſanguinis gignere dicuntur, quantum ponderis habent. tertia uirtus ouorũ eſt, quòd ſanguis qui ab iis, generatur benignus & familiaris nimium, ſubtiliſq; adeo atq; cognatus illi eſt, à quo cor ſentit alimoniam.

54 Quot ſunt morbi comitialis (quã epilepſiam uocãt) ſpeties? Tres. Vna eſt, cum cauſa committens morbum, in cerebro, uel in eius uentriculis continetur, & cerebrum primaria affectione laborat. Secunda eſt cum ob compaſſionẽ (quam ſympathiam uocãt) ad os uentriculi, cerebrum afficitur, & noxam ſentit. Vltima ſpeties eſt, cum ab una aliqua particula, ut manu, uel pede, uel utero in fœminis, aſcendens uapor auræ frigidæ cuiuſdam in modum, cerebri ſedem peteſſit, unde præcipites in terram cadunt, & conuulſione totius corporis tentantur. plæriq; etiam peſtilẽtia graſſãte, in hunc morbũ ex colico affectu deueneriũt, ſed omnes interieriũt.

55 Qui potiſſimum comitiali morbo capiuntur? Infantes primũ, qui ubera adhuc matris lactant, deinde pueri, ultimo adoleſcentes, & qui ætate uigeſcunt. ſenes autem rarum eſt, & qui pronam ætatem agunt, ut in hunc incidant morbum.

56 Quot ſunt melãcholiæ ſpeties? Tres. Prima eſt, cum atrabilioſus humor in cerebro contentus, inſaniam progignit. Altera eſt cum totum corpus perinde ac cerebrum ad atram bilem commutatum eſt. Tertia melancholiæ ſpeties eſt (quam tum hypocondriacam, tum flatuoſam nuncupare conſueuerũt) cum hypocondriis. qui ſtomacho adiacent, inflammatione affectis: & ad caput halitum quempiam uel humoris partem tranſmittentibus, melancholia procuratur.

57 Quæ ſunt ſigna maximè communia eorum qui melancholica affectione tenentur? Tria. timor, & animi mœror triſtitiaue & miſanthropria id eſt odium in homines, cum ſolitudines petunt, & hominum congreſſus, & ueſtigia deuitant & pati non poſſunt.

58 Quot ſunt difficilis inſpirationis nomina? Tria. aſthma cum crebro anhelant, dyſpnœa cum nimis difficulter ſpirant aerem externum, & orthopnœa cum non niſi recta ceruice ſpirare poſſunt.

59 Quot ſunt particulæ quibus dolores uehementiſſimi incumbere conſueuerunt? Tres. os uẽtris quod ſtomachum uocant, propterea quia maximè neruoſum eſt, & renes cum calculo meatuum anguſtias ſubeunte torquentur, & colon inteſtinum cum excrementa humoribus pituitoſis & lentis obſtruentibus exitum non offendiũt. oculi etiam nonnunq; intenſo maximè dolore infeſtantur, quia neruis maximis qui ad uiſiones faciunt ſunt præditi.

60 *Quot ſunt partes quibus præſidia aſſiduè permutari operæpretium eſt? Tres. oculi, uix enim quicquam illis adhærere ſolet, & nares cum uel polypode uel ozœna laborant, quia ob humorum à capite defluxum medicamenta obtunduntur, & affectus qui intra ſedem incũbunt, decurrentibus enim illac excrementis & alui ſuperfluitatibus, uis medicamentorum hebetatur, & exoleſcit.*

61 *Quot ſunt defluxionum differentiæ à capite? Tres. coryza id eſt grauedo, cum ad nares defluxio deriuatur, catarrhus cum ad fauces incumbit, & branchos id eſt raucedo uel arteriacus affectus, cũ in animæ citro, ultroq́; meantis iter affecta arteria fluxiones adueniunt & incidunt.*

62 *Quot ſunt morbi qui ſeorſum ſingulis inteſtinis adueniũt? Tres. ileos in tenui inteſtino cum adeo obſtructione obſeſſum eſt, ut per oris hiatum excrementa reddantur, & colicus affectus cum colon inteſtinum dolores uehementiſſimos committit, & tineſmòs id eſt tormina in inteſtino recto quod poſtremum eſt.*

63 *Quot ſunt uiſcera quæ ſitim ingentem committere ſolent? Tria. uentriculus, cum caliditas, uel ſiccitas, humidum ſubtile quod in ore uentriculi eſt, depaſcitur, unde & frigido irrigari, & potu cõſpergi exoptãt. & pulmones calidi, cum propter uiciniam humidum à uentriculo exhauriunt, ſed ſitis quæ à uentriculo oritur, potu extinguitur, quæ a pulmonibus ortum habet, aeris frigidi ingreſſu mitigatur. Sed & renes quoq́; ſitim faciunt, cum ea ægritudine (quam diabetem uocant) laborant, cum eorũ facultas attractrix ualida eſt, retentrix uero imbecilla, unde ſitim uehementem inducunt, quia humorem uentris exugunt, & nihil retinere nouerunt, unde dipſacòs id eſt ſiticuloſus hic affectus dictus eſt.*

64 *Quot ſunt loca ex quibus pus in urina ſanieſue apparens deriuari poteſt? Tria. renes & ueſica, & urinarij meatus, per quos urina ad ueſicam tranſcollatur, quos ob id uretéras uocant. Sed ſiquidem pus commixtum cum urina appareat, ex renibus effundi denotatur, ſi uero deorſum mox in fũdo matulæ ſubſiſtat, ex ueſicæ folliculo deriuari conſtat. Dolor autem inter renum & ueſicæ locum infeſtans, uretéras ulceratione affectos eſſe demonſtrat. Eodem modo ſi ſanguis per urinam effluat, diſtinguendum eſt, unde ueniat, nam ſi lotio commiſcetur, ex renibus effluere certũ eſt, ſi uero in imo uaſis ſubſideat, ex ueſica effunditur, ſi autẽ pus duntaxat mingatur, in cole ulcus conſiſtere, dubitandum utiq́; non eſt.*

65 *Quot ſunt malorum diſcrimina? Tria. alia enim ſunt acida, quæ oxéa uocant. alia acerba quæ auſtera à Græcis dicuntur, & tertia dulcia. totidem ſunt ceraſorum, & punicorum malorum differẽtiæ, quædam enim ſunt acida, quædam dulcia, & quædam acerbitatem cum dulcore mixtam oſtẽdunt. acida pituitam in uentricu-*

lo incidunt, auſtera ori uentris robur adijciunt, dulcia uentriculo inimica.

66 *Quot ſunt ſigna quibus dolor lateris ab inflammatione epatis diſtinguatur? Tria. dolor Pũgitiuus, & pulſus ſerræ modo ſtridulus, & tuſſis cũ excreatu eius humoris indice, qui committit morbum. Quibus autem iocinus inflammatione obſeſſum eſt, nec pungitiuum dolorẽ habent, nec pulſus ſerrinos, & tuſſis ſemper ijs arida & ſine ſputatione eſt. reliqua autem ut febris continua, ut difficilis ſpiratio, ut dolor ad ilia & claues perueniens, & tuſſis, utriſq; ex æquo accidunt.*

67 *Quot ſunt doloris capitis differẽtiæ in febribus? Tres. nam quidam in prima mox die accidit qui in ſeptima terminatur. alius in tertia corripit, cuius nona limes extremus eſt. quidam rurſus à quinta die capitis dolore tentantur, quem in decima quarta contingit ſolui.*

LIBER QVINTVS EROTEMATVM IN QVO PER SINGVLAS CORPORIS PARTICULAS PROCEDITUR.

QVot ſunt ad quæ uſus particularum quæ in homine habentur medico nouiſſe neceſſarium eſt? Tria. ad curationes, ad præſagia, ad dignotiones morborum, melius enim curabit, qui dignitates partiũ cognouerit. Vt enim qui nouit ambulationis quidem pedes eſſe organum, coctionis uero uẽtrem, ſi uel inceſſus uel cõcoctio lædatur, quarum particularum uitium eſt, & quibus, ſuccurrere præſidijs debeat, percepit. ita qui rationalem animæ uim in cerebro poſitam didicit, prõptius deliria, inſanias, obliuiones, ſtupores, & alios morbos per quos perit rationis uſus, aptius medicabitur, ſi negotium faceſſat membɹo in quo facultas principem magiſtratum gerens, dimoratur. Sed & certius præſagiet, qui q̃ſtum prodeſſe nata ſit quæq; pars, perpenderit. & rectius locum affectũ dignoſcet, qui partium intus poſitum ante habuerit perceptum. Non modicum item ad redarguendos ſophiſtas molimen utilitatum cognitio affert (qui nec coctiones, nec iudicationes, nec aliud quid prouide à natura fieri, quod medici emulari ſtudeãt, arbitrantur) ſi magnam feciſſe prouidentiam in conſtitutione particularum animalis natura demonſtretur.

2 *Quot ſunt in quouis mẽbro per quæ aucupari utilitatem poſſumus quã propter particula facta eſt? Tria. Primum craſes hoc eſt miſturæ uel temperamẽta, poſt hæc quæ neceſſario cõſequuntur, ut odores, colores, ſapores, leuigatio, aſpredo, mol-*

litics, durities, & deniq; quæ poſtremo neceſſario accidunt, ut ſitus, poſitio, cõformatio, complexus. Et membrum quidem frequẽtiſſimè propter operationem quæ à membri temperatura peragitur, neceſſarium eſt. Non raro autem propter aliquid eorum quæ de neceſſario ueniunt, ut oculus non quia taliter temperatus: ſed quia ſic coloratus, in tantum utilis eſt, & oſſa non q; quippiam agant, ſed quia duritiem conſequuta, in tantum uſum aliquem præſtant.

3 *Quot ſunt uentres cerebri? Tres. duo quidem molles anteriores, & alius durus poſterior, quem parencephálida hoc eſt cerebellũ Græcorum optimi appellant.*

4 *Quot ſunt utilitates quas cerebri anteriores partes animalibus præſtant? Genere triplices. Primum & principaliſſimum eſt inſpiratio. Secundum odorum dignotio. Tertium eſt ſuperfluitatum excrementorumue à cerebro purgatio.*

5 *Quot ſunt in capite ſuturæ? Tres. Prima coronaria per medium caput ſecundum latitudinem fertur. Secunda ad ſagittæ modum ex mẽdio tẽpore uſq; ad ſummum uerticem recta tendit, & primam ſecat. Tertia hinc incipiens dextra & ſiniſtra uadit, & lambde litteræ figuram emulatur.*

6 *Quot ſunt membranæ capitis? Tres. duæ quidem inter craneum & cerebrum (perinde ac inter ignem & terram bina ſunt elementa) dura ſcilicet meninx, id eſt mẽbrana. & choroidès, multis uenis & arterijs ut chorion id eſt ſecunda mulierum ſcatens, quæ tum extra cingit cerebrum, tum intro reticularem efficiens plexum, totum ipſum continet. & pericraneon uocata membrana, quæ ex dura meninge naſcẽs circum craneum undiq; (ut nomen indicat) obtenditur, & per ſuturas erũpit foras.*

7 *Quot ſunt commoda propter quæ capitis ſuturæ ſunt factæ? Tres. Prima ut illac effluant tenues & fuliginoſæ ſuperfluitates quæ aſcendunt, & uiã moliuntur ad cerebrũ. Secunda ut ſi uulnerari cõtingat caput, uulnus non per totũ diſpergatur, ſed ibi ubi craneon diuiſũ eſt, detineatur. Tertia ut uaſa ſubtilia, & quædã tenuia ligamenta per eas excidant, quibus cum craneo craſſa meninx copulatur.*

8 *Quot ſunt utilitates propter quas craſſa meninx in cerebro duplicatur? Tres. Prima ut inter plicationes uenas recipiat, quæ ad ſummitatem capitis perueniunt. Secunda ut cerebrum à cerebello diſtingat. Tertia ut inde oriantur ligamenta quibus cum craneo connectatur.*

9 *Quot ſunt foramina oſſium in craneo per quæ craſſæ cerebri ſuperfluitates expurgantur? Tria. duo ſpongiformia ad nares tendentia. unum cribro ſimile pertuſum uſq; ad palatum.*

10 *Quot ſũt in collo q̃ cerebrũ cũ corde cõnectũt? Tria. nerui, & uenæ ſphagitides id eſt iugulares, & arteriæ carótides q̃ à caro ſopore profũdo nomẽ acceperũt.*

11 *Quot ſunt in mandibulis muſculorum ordines? Tres. Quidam enim ſunt in ſuperna parte inferioris labri (quod ſolum mouetur) poſiti, qui os exactè claudunt, cum fuerint tenſi. Alij minores à poſterioribus capitis partibus procedentes ſub infernum mentum implantantur, qui tenſi aperiunt ualde & deducunt ora. Sunt & maſetéres id eſt maſticatorij nominati, qui oris rictus circunducunt, & uerſant, ut probius cibus ſubigatur.*

12 *Quot ſunt nerui in unoquoq; tempore? Tres. duo molliores, & unus durus admotum qui per foramen cæcum quod prope audutorium porum eſt, demandatur.*

13 *Quot commoditates exhibet columella oris (quam & gargareôna, & ſtaphylem cum inflammata eſt, id eſt uuam nominant)? Tres. Prima nè aer frigidus ſubitò & affatim ingreſſus, nullo aditum acceruatim prohibente, refrigeret cor & ſpiritacea mēbra. Secundo uocis inſtrumentum eſt percutiens tanq; plectrum palatum, refrigerantur namq; thoracem & pectus, & inuociles fiunt, quibus hæc abſciſſa eſt tota, quod cauere oportet. Et poſtremò in hoc utilis eſt, ut inſpirantibus per nares (ut nunq; non inſpiramus, & non per ora, niſi ſi magna urgeat næceſſitas) puluerem aliquem ſpirando attractum, qui ſuffocationem inducat, aut deſtillationē aliquā ſi à capite deſcēderit: prima ſuſcipiat, q; in uocalē arteriā decidat.*

14 *Quot ſunt corporis partes per quas tum inſpirant animalia, tum uiciſſim ſpiritum reddunt? Tres. Nares per quas dumtaxat ultro citroq; inſpiratio eſt, cum animal bene habet, & nulla maior næceſſitas urget. Et oris hiatus rictuſue quoties maius quid reſpirare coguntur. Et poſtremo arteriæ totum per corpus ſparſæ aerem externum circum, & undequaq; refrigerando calori corripiunt & per uices rurſus uapores fumo proportionales expellunt, per eam quam uocant adilon diapnóen id eſt inſenſilem tranſpiratum.*

15 *Quot ſunt laringis chartilagines quæ uocis organum principaliſſimum eſt? Tres. ſcutiformis quædam à circulo exacto aliquantum deffitiens, & alia illius orbem replens, & tertia quam cymbalarem nonnulli, aritenoidé Galenus nominat.*

16 *Quot ſunt uocis præcipua & maximè næceſſaria inſtrumēta? Tria. Larinx in qua uox conformatur, & palatum quod eſt tanq; quoddam tintinabulum, ad quod illiditur uox, & gargaréon hoc eſt columella tanq; plectrum quod tintinabulum percutit.*

17 *Quot ſunt uaſa ex quibus tota pulmonis ſubſtantia cōtexitur? Tria. aſperæ arteriæ quæ primæ ſpiritum inſpiratum ſuſcipiunt, uacuæ ſanguine exiſtentes. leues arteriæ per quas ſpiritus ad cor trāſumitur, & tandem uenæ duas tunicas habētes, quæ ſanguinē à cordis dextro uentriculo defferūt, ex quo pulmones nutriūtur.*

18 *Quot ſunt dentium ſeries? Tres. quidam tomis id eſt inciſiui dicuntur, qui cibos diuidunt, & cynodóntes id eſt canini à canibus nuncupati (in quibus ut & in cæteris animalibus quibus oblonga faties eſt, multi & acuti ſunt) & demum gomphij uel mylæ uocati id eſt molæ uel molares, aſperi, & duri &, ampli, qui ritu molarum in exactum leuorem uertunt alimentum.*

19 *Quot lobos hoc eſt pinnas pulmones habent in parte dextra? Tres. quorum duo ſpirationibus ſubſeruiũt. tertius ſubſternicculum & ſtragulũ eſt uenæ cauæ.*

20 *Quot ſũt ex quibus perfecta in uẽtriculo coctio dignoſcitur? Tria. fames hoc eſt uehemẽs cibi appetẽtia, & ructus quidã oris, & moles uentris compreſſior.*

21 *Quot ſunt partes in tota manu? Tres. Prima brachiũ, poſt cubitus, in quo radij & ulnæ inſunt oſſa, & ſumma uel poſtrema manus quã acrochira nominant.*

22 *In quot partes diſtribuitur ſumma manus? In tres. in carpum ſcilicet quem pulſum tangentes contrectamus, & metacarpium, & digitos. Hijs aliæ tres ſimiles in pede correſpondẽt. tarſos ſublimior pedis pars, & pedion id eſt planities, & qui ſequitur digitorum ordo.*

23 *Quot ſunt muſculorum genera quæ digitos mouent? Tria. alij namq; flectunt ab interna parte poſiti, alij tendunt extrinſecus locati, alij altrinſicus conſtituti ad latera conuertunt.*

EROTEMATVM NVMERI TERNARII LIBER SEXTVS IN

quo quàm plurima quæ ad moralia, & phyſica, & liberales artes concernunt, continentur.

QVot ſunt bonorum genera, ſine quibus perfecta, & exacta felicitas conſtare non poteſt? Tria. Bona animi, ut ingenium, memoria, & uirtutes omnes. Bona corporis, ut uires, agilitas, magnitudo, formoſitas, nõ enim omnino fœlix eſt, qui forma ſpetieue turpiſſimus eſt. Et bona fortunæ ut opes, famuli, ciuilis potentia, honores, & reliqua id genus: quæ ſi non adſint, inquinare fœlicitatem poſſunt: hijs enim bonis priuatus, & ſi infœlix iure dici non debet, fœlix tamen nullo modo nominari poteſt. Nam qui fœlicem ſapiẽtem in eculeo poſitum eſſe aiunt, uel uolẽtes uel nolẽtes omnino nihil ſapiũt.

2 *Quot ſunt potentiæ animæ? Tres. Intellectus, memoria, & uolũtas, hæ autem ſibi inuicem uice mutua reciprocantur. Quidquid enim intellectus intelligit, memoria meminit, & uult meminiſſe uoluntas, ſic uice uerſa de alijs dicendum eſt.*

3 *Quotuplex eſt bonum? Triplex. utile, ut algentem ueſtem craſſam habere. honeſtum ut ex purpura ſi locuples eſt. & iocundum, ut ſi mulctitia, & ſtolam muliebrem quis ſumat. Scire autem licet quód bonum pro utili, & pulchrum pro honeſto frequenti conſuetudine uſurpatur, ut optima ſanitas, pulcherrima uirtus, iocundiſſimum re amata potiri.*

4 *Quotuplex uita eſt? Triplex. Diuina, & humana, & animalis. Eſt enim in homine tum intellectus, tum ſenſus. Quando igitur intellectu magis utitur, diuinus eſt, & priorẽ illam uitam agit. Cũ uero ſenſibus dat operam, animalis, & belluinus redditur. Cum autem tum ſenſuum munia, tum intellectum exercet, planè hominem ſe gerit.*

5 *Quot ſũt partes ſciẽtiæ moralis? Tres. Vna eſt ethicè qua unius cuiuſq; hominis mores formantur. Alia eſt politicè quà ciues reguntur. Tertia eſt œconomicè qua domum rectè quis regere ſuam poteſt.*

6 *Quot uitas ſeu uiuendi rationes eſſe conſtat, quibus homines ſe immiſcere ſolent? Tres. Quædam enim contemplatrix eſt, quæ in inſpectione diuinarum & pulchrarũ rerũ uerſatur. Alia eſt politica ſiue ciuilis uita, uel actiua, quãdo agendo, patriam, &, parentes & amicos bene demereri officijs contendunt. Tertia eſt uoluptuoſa cuius finis & fœlicitas, in uoluptatum uſu collocatus eſt. Prima uiuendi ratio contẽplatioue regiæ adminiſtrationi compar eſſe dignoſcitur, quæ omniũ optima eſt. Actiua ariſtocratiam maximè referre uidetur, quæ à regio principatu ſecundas partes ſibi uendicat. Poſtrema quæ uoluptatem aſſerit, populari regimini affinis eſt, quando populi pro arbitrio cuncta diſponunt.*

7 *Quot ſunt næceſſaria ut aliquid agatur? Tria. inuentio & iudicium, & perfectio eius quod fieri habet. Imprimis enim inueniri oportet quod ſit agendum, deinde uero iudicare de inuẽtis operæpretiũ eſt. poſtremo requiritur, ut ex utriſq; quod ſit faciendum, præcipiatur. hoc ad prudentiam ſpectat, illud ad ſyneſim: id eſt intellectionẽ (quã Græci nocãt) pertinet. primũ eubulia uirtus à Græcis dicta facit.*

8 *Quot prudentiæ partes traduntur? Tres. preterita meminiſſe, præſentia rectè diſponere, & futurorum prouidentiam habere, uel ut alij uolũt, bene cogitare, bene dicere, & poſtremo bene facere. hinc Mineruam Tritoniam nuncuparunt.*

9 *Rerum aliæ ſunt abſolutè bonæ, ut deum reuereri, patrem colere. aliæ ſunt malæ in totũ ut furari, ſtuprum cõmittere. aliæ ſunt indifferẽtes, quas adiaphorus*

philoſophi uocant, ut diſputare, ducere uxorem, forum petere, tondere capillum. Sed enim quæ bona ſunt, noſtra ſponte ſequi, mala uero fugere nullo ſuadente, pro uirili debemus. In indifferentibus uero, tum amicis, tum parentibus gratum facere, & morem gerere poſſumus.

10 *Quot ſunt politiarum genera? Tria. Quædam enim eſt politia regalis, quando unus populum regit, & unius imperio cuncti ſubiecti parent. Alia eſt ariſtocratia, quando optimi res publicas gubernant. Poſtremo eſt ciuilis potentia, quam ochlocratiam, & democratiam Græci nuncupare ſolent, quod fit, quando plebis & multitudinis promiſcuæ (quam ochlon id eſt turbam uocant) arbitrio & libidine cuncta diſponuntur & procedunt.*

11 *Tres ſunt ſenſus quibus alia animalia non delectantur. Viſus, & auditus, & obfactus: ijs enim dumtaxat forte ex accidenti gaudere poſſunt, quia ſe epulas inde habitura ſperant. Guſtus autem & tactus ſenſoria communia, maximè cum brutis pecudibus habemus. Vnde intemperantes, & incontinẽtes, non qui plus uideant, aut audiãt, aut oleãt, quàm æquum eſt, ſed qui gulæ & Veneris uoluptates ſectantur.*

12 *Quot in hominum ſortes rem publicam ſuam quam inſtituit, Plato diſtribuit? In tres. In cuſtodes qui ſalutem urbis procurarent, & eam conſilio tuerentur. Et in epicuros id eſt auxiliatores, uel bellatores, qui ad bello defendẽdam comparati patriam eſſent, ſi quando res poſceret. Et poſtremo in thẽtas id eſt agricolas, uel opifices, qui artium munera exequerentur, & manuarias operas preſtarent, deq; næceſſarijs curam facerent. Primis rationalis animæ pars quæ princeps eſt, correſpõdet. Secundis uindex animi portio, quã iraſcibilem uocant, compar eſt. Concupiſcibilem autem particulam, ultimi hoc eſt agricolæ referunt.*

13 *Quotuplex iuſticia eſt? Triplex. Legalis. cum mores, & leges, & patriæ inſtituta ſeruantur. diſtributiua cum unicuiq; pro meritis ſecũdum geometricam rationem, quod iuſtum eſt diſtribuitur. Et commutatiua, qua ementes, uendentes, locantes, conducentes, in cõtractibus utũtur, qui ſolã arithmeticam æqualitatẽ attendũt.*

14 *In contractibus & rebus in quibus iuſtè facere poſſumus, quot ſunt hominum ſpeties? Tres. Quidam enim cũctis quod eſt æquum, pro dignitate diſtribuunt, qui iuſti appellantur, nec magis nec minus habere uolunt. Quidam plus retinere ſibi cupiunt, quod uitium pleonexiam appellant. Alij tandẽ deficiunt in minus habẽdo.*

15 *Quot ſunt uirtutes quæ toti animæ non ratione partium conueniunt? Tres. iuſticia, & magnanimitas, & liberalitas. Reliquæ uirtutes, ut prudẽtia, fortitudo, tẽperãtia, in tribus animæ partibus intelligibili, iraſcibili, & cõcupiſcibili reponũtur.*

16 *Quot ſunt iniuſticiæ ſpeties? Tres. Impietas cum quippiam aduerſus deum, uel*

uel dæmones, uel in uita functos, uel erga parentes, uel erga patriam indigne committitur. Secunda ſpecies pleonexia à Græcis uocatur, cum in contractibus quod potius & præſtantius eſt, ſibi uendicare nituntur. Tertia, iniuria dicitur quando cum aliorum damno uoluptates ſibi comparant.

17 *Quot ſunt auaritiæ ſpecies? Tres. æſchrocerdia id eſt turpe lucrum, quando undique quæſtum facere uolunt, & lucrum maioris quàm honorem pendunt. Phidolia quando in ea quæ oportet, ſumptus facere uerentur. Vltima ſpecies limbia dicta à Græcis eſt, quando inſumunt quidem, ſed parce & ſordide ut magis lædantur, quoniam non in tempore pecuniam prodegerunt.*

18 *Quot ſunt excandeſcentiæ quam orgelóteta Greci uocant ſpecies? Tres. acrocholia, id eſt ſumma bilis, & picria, id eſt exacerbatio, & rathymia id eſt tarditas deſidiaue.*

19 *Quot ſunt ea in quibus pueri uerſari debent, uſq; quo in uiros euadant? Tria. in gymnaſijs corporis, ut ad ſubeundos labores ſufficere poſſint, & in moribus, huius enim rei cura potiſſimum habenda eſt, & in artibus ingenuis quas eleutherias uocant.*

20 *Tria ſunt quæ potiſſimum in iuuenibus commendantur. auctoritas, ſi non niſi rogati & tria quod aiunt, uerba loquantur, ſic enim fiet, ut nec turpia, nec mendoſa, nec inania ipſi uerba proferant, quod iuuenum peculiare uitium uidetur. ad hæc pudor maxime iuuenilem ætatem decet, hoc enim ne inboneſta committere audeant, continentur. & hic imprimis colos uirtutis ingenuæ argumentum eſt, ſi facies rubore quodam ingenuo diffundatur. Poſtremo obſequium maxime conueniens eſt, & adeſſe oportet, ut cum ipſi uitio ætatis quid facto ſit opus, peruidere non poſſint, maioribus natu & recta monentibus, ſeſe morigeros præſtare uelint.*

21 *Quot modis circa pecunias ſe habere homines poſſunt? Tribus. nam uel liberales ſunt, & medium tenent, uel auari, uel prodigi quos aſotos uocant.*

22 *Quot modis in uſu ciborum quiſpiam ſe gerere poteſt? Tribus. uel enim temperatus eſt, & honeſtas dumtaxat uoluptates ſequitur, uel deficit quoniam inſenſilis, uel ſuperat, qui incontinens & intemperans eſt.*

23 *Circa timores qui ad mortem pertinent, quot modis ſe habere poſſunt? Tribus, Nam uel mortem honeſtam ſubire non recuſant, quando oportet. uel timidi ſunt, & quæ non ſunt timoris digna expaueſcunt, uel audaces ruunt in mortem.*

24 *Quot communitates requiruntur in domo perfecta? Tres. uiri ad uxorem. & domini ad ſeruum, & parentis ad natos.*

25 *Tres ſunt cauſæ quas propter uxorem ducere conuenit. Primo gratia prolis habendæ. Secundo ut ſtupra & uetitæ libidines, uenuſque non licita euitentur. Tertio ut alter alterius officio in uitæ muneribus præſidioque adiuuentur. diſtincta enim ſunt officia uiri & uxoris.*

26 *Quot ſunt uitia in quæ mulieres impenſiores eſſe ſolent? Tria. gloriæ, laudiſque cupiditas, qua qui carent, magis concupiſcunt. & intemperantia in uoluptatum fruitione, non enim tam rationis fræno quàm uerecundia nè turpia agant, cohibentur. & garrulitas ut uirorum ſecreta alijs mulierculis pandant. Gloriari enim uelle uidentur, quòd à uiris magis diligantur, cum ſibi animi abdita aperiant.*

27 *Quotuplex eſt appetitus qui cognitionem ſequitur? Triplex. Vnus eſt intellectiuus qui dicitur uoluntas, duplex eſt ſenſitiuus quorum alter eſt iraſcibilis, quo animalia quæ ſunt uitanda & noxia à ſe amoliuntur, alius eſt concupiſcibilis, quo proſequenda ſibi comparant, ut ignis quà leuis quidem eſt, ſupera loca conſcendit, caliditate autem frigiditatem repulſat. appetitus autem innatus qui ineſt plantis, nec per participatum nec per ſubſtantiam cognoſcitiuus eſt.*

28 *Quot ſunt mentis partes? Tres. tòlogiſticòn id eſt rationalis facultas, quæ in cerebro collocatur, tòphantaſticòn id eſt cogitatiua portio, quæ in fronte ſedem habere fertur, unde cogitantes frontem fricare conſueuerunt, quo melius meditata ſuccedant. & tòmnimoneuticòn id eſt quæ memoratur, quæ medium utriuſque partis locum ſibi uendicat, unde & ad utrumque communionem ſortitur, eſt enim ueluti penus & promptuarium quoddam, in quo memoria eorum reſeruatur, tam quæ una pars animæ meditatur, tam quæ altera mentis portio raciocinatur.*

29 *Quot ſunt permutationum genera quibus homines uti conſueuerunt? Tres. Namq; uel res rebus ut Homeri temporibus fieri ſolitum eſt, uel nummi pro nummis, uel pro rebus nomiſmata commutantur.*

30 *Quot ſunt peruerſi regendæ reipublicæ ſtatus? Tres. Primus eſt tyrannis qui regiæ adminiſtrationi oppoſitus eſt, cum unus cunctarum rerum arbitrio pro libidine potitur, & non ad ciuium commoda, ſed ad priuatam utilitatem omnia refert. Secunda inter uitioſas adminiſtandi rationes oligocratia eſt,*

quæ ſit quando pauci ſed non optimi adminiſtrationes ſortiuntur, atque hæc ariſtocratiæ id eſt optimorum gubernationi ex diametro aduerſatur. Poſtremo inter uitioſas & prauas adminiſtrationes rerum publicarum ochlocratia refertur, quando penes turbam uulgi & indoctam plebeculam, rerum gerendarum arbitrium & ſummum ius eſt.

31 Tria ſaluberrima ad ſanitatem tuendam iam olim eſſe commemorantur, cibis non ſatiatum iri, impigrum eſſe ad labores, & naturalis ſeminis ſubſtantiam nequaq; libidine frequenti exhaurire.

32 Quot ſunt philoſophorum ſectæ? Tres. ſunt enim quidam qui de plæriſq; aſſeuerant, & certiores pronunciationes faciunt. alij de omnibus quidpiam aſſerere, uel affirmare uerentur, ſed de cunctis æquè ambigunt. Eſt etiam nun mixta eorum hæreſis, qui licet de nonnullis conſentiant, plæraq; tamen ſub dubio relinquunt. Prioris ſectæ Epicurus & eius emuli fuere. Secundam Zenon Eleates excoluit, & Pyrrhon qui exactiſſime dubitandi de omnibus rationem excogitaſſe creditus eſt. In ultima Xenophanes & Democritus connumerantur, ille ſolum omnia eſſe unum aſſeruit, hoc autem deum eſſe, cætera dubitauit. hic alter de atomis, de uacuo, de infinito opinionem reliquit, in cæteris anceps fuit.

33 Quot ſunt doctrinæ acquirendæ neceſſaria? Tria, natura, & inſtitutio, & exercitatio. Nam fruſtra quis non bene natus literis ſe addicat, & ingenium ſine doctore deterius redditur, & temere addiſcuntur quæ non frequenti exercitio ruminantur.

34 Quot habere debet qui alios apte docere poteſt? Tria. ut ſit prudens in rebus agendis. ut ſcitus in ijs quæ ad intellectum attinent. ut uita & moribus probus, ut exemplo perſuadeat, quod uerbis docuit, magis enim mores quàm admonitiones præceptorum pueri emulantur.

35 Quot habere debet ſciens? Tria. ut ſit inuentiuus, ut propoſito medio facile conſtituat quid inde ſequatur. ut aliorum dicta acute intellectu aſſequi poſſit, plærique enim cum ipſi inueniant, non facile alios intelligunt. & ut de inuentis & acceptis, quæ ab alio edoctus eſt, decernere & ſententiam iudiciumq; ferre ſit potens.

36 Quot modis ſcire aliquam rem poſſumus? Tribus. Quia uel res per ſe ipſam explorata eſt, ut totum parte eſſe maius. Vel ipſi querentes inuenimus. Vel didicimus à docente. Vnde deum Græci theologi incomprehenſibilem uocant, ut capi non potentem, & inſcrutabilem, quia querentibus nobis indagari non poteſt,

& minime veſtigabilem, quia nullus doctoris veſtigia ſecutus de deo exacte edoceri valet, nulla enim ſunt veſtigia per quae deus comprehendatur totus.

37 Quotuplex eſt modus quo res corrumpantur? Triplex. aut enim per diuiſionem, cum aut totum in partes diſtribuitur, aut id quod ex pluribus coagmentatum eſt, in ea ex quibus conſtat, diſſoluitur. aut per internitionem qualitatis, ut cum ignis in humorem euadit. aut per confuſionem, ut cum in tetrapharmaco medicamento ſimplicia in aliam formam diuerſam à primis rediguntur.

38 Quot ſunt rationes principales quibus nonnulli philoſophi mundum genitum poſuerunt? Quatuor. Primo quia plaeriq; ſunt montes, & alta terrarum faſtigia, omnia autem oportere eſſe plana infinitis aquarum illuuionibus inundata. Secundo quia mare defeciſſe pernotatum eſt, cum inſulae quae in mari latebant antea, emerſerunt, unde ſequi uidetur, quod & ſit quando eſſe coepit, & quando ſit ex toto defecturum. Tertio quia ſingula mundi elementa ſubire corruptionem uidentur. terra ab aquis diluitur, aquae immotae putreſcunt, tabeſcit aer, ignis pabulo deſtitutus extinguitur. Ergo cum corruptionem & interitum ſingulae partes ſuſtineant, & tota quoq; debere corrumpi neceſſarium apparet. Quarto quia artium inuentionem dijs ueteres aſſignarunt, mundo autẽ exiſtente aeterno: artes item coaeternas eſſe neceſſarium eſt. ſine illis etenim uita hominum ſtare non poteſt.

39 Quot corruptionis modos res ſubire poſſunt? Quatuor. aut enim per ſubtractionem, ut cum quaternio uno adempto in triada migrat, uel per appoſitionem, ut cum addita unitate binarius in ternarium tranſit, aut per tranſpoſitionem, ut cum hoc nomen amor tranſpoſitum in Romam uertitur, aut per alterationem, ut cum quidpiam uel incalefactum, uel humectatum, uel deſiccatum interitum patitur.

40 Tria ſunt rerum naturalium principia ſecundum Platonem, materia, quam & formae capedinem uocat, & idea, & opifex, qui omnium architectricis cauſae rationem ſubit.

41 Quot ſunt principia rerum naturalium? Tria. materia (quam Graeci tum hylem tum hypocimenon id eſt ſiluam & ſubiectum uocitant) & forma, quã entelechiam id eſt perfectionem appellant, & ſtereſis id eſt priuatio.

42 Quot appellationibus naturae nomen accipi conſueuit? Tribus. Namq; & quod ex ſpirituum ſubſtantia, & carniformibus, & ſolidis particulis conſtat, naturam uocare auctores conſueuerunt. Eſt cum ipſa ſimilarium mẽbrorum temperies quae à primordijs ex calido, frigido, humido, & ſicco conſtituta eſt, naturae nomenclationem ſortitur. Natura quoq; appellatur tempore acquiſita complexio.

43 *Quot ſunt hominũ genera, qui plurima inſomnia intueri ſolent? Tria. garruli & melancholici, atræq; bilis uitijs obnoxij. (horum enim natura polyphantaſtos, & polyoniros eſt) & ſapientes, horũ enim mens interdiu plurimis cogitationibus fluctuans, eaſdem noctu decoquit, & ſubinde uerſat.*

44 *Quot ſunt potiſsimum hominũ genera, qui interdum uera ſomniare ſolent? Tria. Inſani qui mentis exceſſum ecſtaſimue patiuntur, horũ enim anima nequaquã proprijs imaginibus impedita, facilius ab externis & peregrinis affici & alterari poteſt. Ad hæc atrabilioſi ſomnia plærũq; ueratia intuentur propter atræ bilis naturam, cogitationes enim uehementes, & nimium intenſas habent, ut ſubinde collimare poſſint, ut qui de longe ſaltant. Poſtremo quorum natura loquatior eſt, cum plurima ſonient, interdum ueris obuiare uiſis conſueuerunt. Nam plurima iacientes perperam, ut unum nonnunquam recte iaciant, operæprrtium eſt.*

45 *Quæ ſomnia potiſsimũ uerũ ſignificare conſueuerunt? Tria. Quæ non ſunt in principijs acceſsionũ febrium, tum enim cõtingit ut æger grandines, & niues, & pruinas cogitet, cum humor qui cõmittit rigorem, ad muſculos demãdatur, non autem in toto corpore frigidos eſſe humores putare certum eſt. Somnia quoq; quæ ab aſſumptis epulis fiunt, non uerum iudiciũ habent, fit enim ut cibis in uentre morantibus, talia ſomnientur, quales humores aſſumptæ dapes generare poſſunt, non tamen uera conectatio eſt. Rurſus uon recta uident inſomnia, cum uehemens cogitatio præceſſit. natura enim humana, quod uigilans cupit, uel ſperat, in nocturnis uiſis imaginatur. Ergo tunc ſomnia uera dumtaxat uidere poſſunt, cum quis nec crapula grauatus eſt, nec morbo preſſus, nec ſomnium uehemens cogitatio præcepit.*

46 *Quot ſunt differẽtiæ poſitionis in corporibus? Tres. ante & retro, ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum. Vt in cælo oriens dextrum eſt, quia ab eo incipit latio. occidua pars ſiniſtra, quia ad eam motus finitur, & tendit. meridies ante eſt, quia per meridiem ſol fertur. poſterior pars eſt quæ ad aquilonem pertinet. ſurſum uertex antarcticus cenſetur, deorſum hic noſter uertex qui nobis impendet.*

47 *Quot dicendi ſunt characteres (quas etiam figuras nũcupare ſolent? Triplex. ſublimis quo ſubinde philoſophi uti cõſueuerũt, quoties de deo, de ſeparatis mẽtibus, de diuinis omnibus, de ijs quæ ſunt ſupra nos, loquũtur. medius cũ de uirtutibus, & earũ munijs res agitur ab illis. & humilis ſiue tenuis & gracilis, cum de mercimonijs, contractibus, agro colendo, & alijs id genus ſermonem haberi contingit.*

48 *Quot genera doctrinarũ homo addiſcere poteſt? Tria. aliæ enim ſunt intellectuales, aliæ morales, aliæ ſermocinales.*

49 *Quot ſunt diſciplinæ quæ circa ſermonem incübunt? Tres. Grãmaticè quæ circa cõgruũ negociatur, dialecticè quæ de uero & falſo eſt, & rhetoricè que eſt ceu quædam craßior dialectica, & eſt de ornato uel inornato.*

50 *Quotuplex eſt doctrinarum genus, quæ ad intellectum pertinent? Triplex. aliæ enim de rebus tum materia tũ motu præditis pertractant, quas phyſicas id eſt naturales uocant. aliæ de rebus ſunt quæ tum à materia tum à motu ſunt ſeparatæ, quæ metaphyſicæ id eſt ſupernaturales nuncupari cõſueuerũt. aliæ à motu abſtrahunt, ſed non ſunt de ijs quæ materia uacant, quas mathematicas appellant.*

51 *Quotuplex eſt ſyllogiſmus? Triplex. demonſtratiuus, qui ex primis, ueris, & immediatis, & notioribus, & ipſius concluſionis cauſis conſtat. dialecticus qui ex ijs quæ omnibus, uel plurimis, uel ſapientibus probabilia ſunt conficitur, eſt deniq; ſyllogiſmus ſophiſticus, uel captioſus, qui non ex ij quæ ſunt probabilibus, ſed ex ijs quæ talia uidentur argumentum connectit.*

52 *Quot ſunt ad quæ ſophiſticæ conſiderationes potißimum conferunt? Tria. Primum ad theologicas facultates, ſi cum quopiam de diuinis ratiocinari proponas. Nam cum de rebus ſenſui non ſubiectis, & diuinis habeãtur, quæ nec ſermone, nec ulla uoce explicari poßunt, ut plurimũ in ijs ambiguitates in uerbis, & dictionum multiplici uſu ſuboriri ſolent, quas facile effugias licet, ſi in dißerendi arte qua captioſæ à ueris argumẽtationes diſtinguuntur, probe fueris inſtitutus. ad hæc ad philoſophicas tractationes accommoda talis commentatio eſt, ſi tecum ipſe quampiam dubietatem inueſtigare uelis. Tertio utilis ad hoc eſt, ut quis in quàmplurimis rebus exercitatus eſſe uideatur, & exiſtimationem ſui prebeat, quòd in quàm multis fuerit edoctus.*

53 *Quatuor ſũt per quæ ad quæſtionẽ quid eſt de ſubſtãtia factã reſpõſio exhiberi poteſt, genus, ſpecies, diffinitio, & differẽtia. propria autẽ & accidentia non recte cum de ſubſtantia quæritur, adhibẽtur. Vt ſi quis hominem eſſe riſibilem & impennem reſpondeat, non recte dixerit, hæc enim ſubſtantiam præſupponunt, & poſtea adueniunt. non enim carere pennis & riſu diffluere hominis ſubſtantiam componunt, ſed poſtq̃ hoc eſt, contingit eum non habere pennas, & ſubinde ridere poße. Pari modo ſi quis deum ingenitum eße diffiniat, nõ recte fecerit. negatiuæ non quid ſit, ſed quid non ſit res declarant.*

54 *Quot ſunt quæ habere debet unumquodq; artis cuiuſq; theorema? Tria. ut ſit uerum, ut utile, ut conſentaneum tum principijs poſitis, tum reliquis theorematis. Nam ars non eſt aliud quàm conſtitutio quædam plurium comprehenſionum ad unum finem utilem & commodum uitæ tendentium. Falſa autem non cũprehen-*

duntur. Et non conſentanea minime conſiſtunt, unde nec theoremata.

55 Quotuplex eſt diuiſio ſcientiarum quæ de rebus habetur? Triplex. Alia quippe ethice hoc eſt moralis dicitur, quæ de hominis tota uita diſponit. Alia phyſice id eſt naturalis quæ uniuerſi ordinem & cauſas totius contẽplatur. Et enoptice id eſt inſpectrix, uel metaphyſice id eſt ſupernaturalis, quæ intelligẽtias & entia ſenſu ſuperiora rimatur. Diſertatiua uero uel rationalis quartum genus non conſtituit, ſed conſerta quædam & communis ſcientia eſt, qua ceu adminiculo & organo reliquæ omnes utuntur.

56 Quot ſunt differẽtiæ formarũ? Tres. Aliæ namq; penitus à materia ſeparãtur, quas tum nóas hoc eſt mentes uel intelligentias, tum angelos id eſt internuntios theologi Græcorum appellant. Aliæ in totum in materiam intruduntur, ſuntq; prorſus inſeparabiles ut brutorum ſpiritus. Aliæ in horizonte & confinio ſunt ſuperiorum & inferiorum, ut anima noſtra quæ tanq̃ uinculum quoddam dei & mundi exiſtens, ſibi extrema pariter determinat.

57 Quotupliciter mentes illæ deo proximæ & animæ rationales intelligunt? Tribus modis. Nam aut uel in ſuperiora, & maxime in ipſum primum opificem rerum & uniuerſi architectum per intellectum conuertũtur, aut in ſubſe res poſitas per prouidentiam deffleclunt, ut inferiorum gubernacula & curam fatiant. aut deniq; in ſe & naturam ſuam tanq̃ circulo contemplando redeunt, cognitione quæ in propiam eſſentiam extenditur & terminatur.

58 Quotuplex eſt eſſendi modus? Triplex. cauſalis, formalis, & communicatus. ut in ſole quidem calor tanq̃ in cauſa eſt quæ illũ producere poteſt, in igne per formam, lignum autem quod combuſtioni ſubiectum eſt: calorem communicatum habet, cuius ſe participem ignis precario fecit.

69 Quot ſunt contradictionis cauſæ q̃ quidam dictis non aſſentiuntur, ſed contendunt? Tres. Prima eſt uincendi ſtudium, & gloria, & propriarum opinionum quas ſibi quiſq; condidit, fauor. Secunda difficultas & magnitudo ipſarum rerum, quas propterea q̃ nimium difficiles, non aſſequãtur, nec comprehendant, repugnare illis non dubitant, ſed contraniti audent. Tertia eſt imbecillitas intellectus aliquorum, fieri enim non poſſe credunt, quæ intelligere non ualent.

70 Quot ſunt cauſæ obſcuritatis quæ in legẽdis auctoribus inuenitur? Tres. aut enim auctor dedita opera dicta obſcurius inuoluit, aut exprimere ſatis quod ſenſit non potuit, aut res ipſa de qua agitur, ardua & per ſe difficilis ſuapte natura eſt.

ANTONIVS LODOVICVS
IERONYMO MEDICO.
S.

EDidi opus de difficili ſpiratione, doctrinā Galeni ſequutus, quem uirum colui, amaui, & admiratus ſum ſemper, ubi (ni fallor) breuibus & q̃ lucidiſsime quæcũq; ille de hac re diffuſiſsime (qui ſuus eſt mos) in pluribus locis ſuorum librorum tradidit, ſum complexus, q̃uis nouo & inuſitato modo tradendi ſcilicet res medicas per erotemata, hoc eſt interrogatioues, quem tamen ego maxime ſequutus ſum, ꝙ aptior docendo eſſe uidebatur, & ut memoriæ facilius doctrina ab addiſcẽtibus commendetur, quod ſi qua alia in arte, in appolinea hac noſtra facultate fieri operæpretium eſt. Chryſoloras unus apud Græcos inſtitutiones grãmaticas hac uia compoſuit, rogãdo ſcilicet & mox reſpondẽdo, nec mihi diſplicet hæc forma ſcribendi, quod ſic intellectum uolo, ſi tibi etiam applacuerit, cuius ego iudicium exquiſitiſsimum tanti facio, ut te unum ex multis deligerem cui hanc ingenij noſtri fœturam nuncuparem. Tu namq; in operibus artis conſenuiſti, & ad mirificam eorum quæ rei medicæ incumbunt, cognitionem: experimenta & theorematum exercitationem per omnem uitam adiunxiſti, quam rem ita fœliciter tractaſti, ut nullus hac noſtra ætate reperiatur, qui dignius hoc in albo poſsit reponi. Nam multi cum & philoſophiam, & medicam facultatem profiteantur, in neutra tamen quicq̃; ratione dignum conſequuntur, quoniam & ſi nonnulli ſint bono à principio ingenio ad literas nati, optimoſq; illis contingat habere præceptores, quod neſcio, an quiſpiam hac noſtra tempeſtate conſequi potuerit, plæriq; tamen omnes ad politicas & ciuiles actiones ſe transtulerũt, nec quicq̃; curæ habent minori, q̃ ut quod didicere, iugi, & frequenti exercitatione diiudicent. at princeps medicorum Galenus ad cuius nomen omnes quicunq; medicinæ ſtudio ſe iactant, aſſurgere deberẽt, nequicq̃; ſe profuturum fuiſſe narrat, niſi quæ à præceptoribus facilius ipſe q̃ alij acceperat, quæq; maximo ingenio fretus inueniſſet, frequenter ægros inuiſendo comprobaſſet, q̃uis quintumdecimum agens annum, muſica, arithmetica, geometria, diligenter & eleganter inſtructus ad unam dialecticam ut philoſophiæ ſolum uacaret, ſe cõtuliſſet, moxq; nondum ſeptimo poſt decimum exacto anno, patre per noctis inſomnia monito, medicinam exercere cœpiſſet, & melius ingenium natumq; ad muſas ſortitus eſſet, ut è ueſtigio quidquid à docente traderetur, cõbiberet. Noſtri uero huius tẽporis medici quos plurimum præ alijs auctoritate pollere uideas, cum ſalutem alijs

polliceantur, ipſi (ut nē quid turpius dicā) Chironijs Telephijſq; ulceribus ſcatēt, nec ullos facile repērias, qui deterius palleant, q̃ ij qui aliorum medicos ſe dicunt, ut pote qui tribus literulis contenti perlectis ſcilicet miſeris cuiuſpiam barbari ſchedis paginiſue, nec diſcere bonos auctores, nec exercere artem quam profitētur, aut opere ipſo inſpicere unq̃ ſunt meditati. Miſeri homines qui poſtulāt, ut illis credamus, ab eis alijs ſanitatem dari poſſe, quam ſibi ipſis preſtare non potuerunt. Stranguria urinæq; difficultate Chriſippus atq; A Epicurus qui medicū nominē ſibi temere arrogabant, male perierunt. Sic Cleanthes tetris tuberibus per corpus erumpentibus extinctus eſt, nec q̃uis medicæ opis profeſſor auxiliarem manum ſibi porrigere potuit. Quintus quoq; q̃uis melior medicus eſſet omnium qui ea ætate uixerūt (ut de eo teſtatur Galenus) ignominioſe ciuitate pulſus eſt, tāq; interficiēs ægros, qui (credo) ſi plurimum experimentis tribuiſſet, meliori fuiſſet fortuna uſus. adeo ut non iniuria Platonis illud in id generis medicos (ut nūc ſumus fere omnes) accōmodari poſſe uideatur. Si apud pueros (inquit) diſceptent medicus, & coquus, quis potior. Plura feret coquus q̃ medicus. Nam & Galenus noſter nonnunq; de renū ueſicæq; officio diffinituros melius coquos exiſtimat, q̃ Heraſiſtratus fecerit, qui renum excrementa lotium eſſe putabat. Sed de hijs in parergo hæc nūc dicta ſunto, q̃uis nō ſint parerga. tu uero doctiſſime Ieronyme q̃uis barbæ iā promiſeris talentū, (nam liceat mihi tecū iocari) & canam ſenectutem nunc agas, quæ auctoritatem aliquam conciliare apud populum, & optimos quoſq; tibi poſſet, eo tamen nomine plurimum commendaris, & acceptiſſimus es, ꝙ opera artis ingenue pertractas, ꝙ iudicio quodam mirifico, quod eſſe difficile dixit Hippocrates, nullus tibi certet, ꝙ deniq; præſidia tua quæ ægrotis admoues, non minus ſalubria q̃ deorum manus ut in prouerbio eſt cūcti, experiantur. Illud uero mirari me non taceo, ꝙ cum tantum annis proceſſeris, adeo ſtudiorum percipias uoluptatem, ut perinde ac ſi iuuenis robuſtiſſimus eſſes, nunc literas tractes, ut nihil ſit quod tu inguſtatum relinquas, ſed per omne librorum & auctorum genus tranſmiſſo ſpatio decurras, ut iam nihil ueteres plaſtas admiremur, qui omnes titulo ſapiētiæ præſignes calua cæſarie effingebant, quia uigeat in ſenibus intellectus: tu itaq; leta, & exporrecta, non triſti nec caperata frōte, hoc noſtrum opus ſuſcipito, ut ſi à te fuerit comprobatum, in hominum ora prodire non erubeſcat.

EROTEMATA ANTONII *LODOVICI MEDICI IN QVI-*

bus comprehenditur, quidquid de difficili ſpiratione dixit Galenus.

*Q*Væ nã eſt ſpirandi utilitas? Eadem quæ pulſuũ. uidelicet cõſeruatio innati calidi, & ſpiritus animalis enutritio, per inſpirationes refrigerato feruore. per expiratum autem emiſsis quibuſcunq; fumoſis excrementis, quæ calor reſoluerit.

2 *Ex quot partibus ſpiratio conſtituitur? Ex quatuor. ex duabus ſcilicet motionibus, quarũ altera quæ ſyſtole in pulſibus hoc eſt cõtractioni reſpondet, dicitur expiratio, fitq; contracto pulmone, quæ uero diſtinctioni proportionatur, inſpiratio uocatur, & tunc fit, cum thorax & cum hoc pulmo ſimul commotus dilatatur. Inter utramq; uero motionem duplex quies recipitur, quarum ea maior eſt, quæ expirationem conſequitur, quod & pulſibus commune eſt.*

3 *Quot ſunt difficilis ſpirationis ſimplices differentiæ? Sex. quatuor attenduntur penes motiones, duæ uero penes interualla media inter utrãq; lationem, quibus organum quieſcit. Cum enim motionem omnem in loco & tempore fieri neceſſum ſit, ſecũdum tempus quidem quo cietur, tarda aut uelox, inſpiratio uel expiratio dicetur, ſecundum autem ſpatium magna uel parua, quãdo ſcilicet in magnam molem conſurgit thorax, uel parum diſtenditur. at quando inter utrumq; motum paruum interſit interuallum, uel longum, rara uel frequens talis latio dicitur.*

4 *Quis in hac parte optimus procedendi modus? Vt poſitis affectionibus cauſas earum alteratrices inueniamus, rurſuſq; ueluti retexẽtes propoſitis cauſis, quam difficilem ſpirationem ſequi par ſit, inquiramus.*

5 *Quæ cauſæ ſpirationes efficiũt celeres? Tres. fortis ſcilicet uirtus & urgẽs neceſsitas, & organorũ aptitudo, atq; hæc eadẽ & magnas item cõſtituũt, ꝙ ſi aliquid horum deſit, ut ꝗ uirtus quidẽ ſit ualida, ſed nihil ſit opus, aut urgeat ſane neceſsitas, ſed tenor uirtutis ſit diſſolutus, uel inſtrumenta ſatis non pareant, tardæ & paruæ ſpirationes edentur. Obſeruaſſe uero id cõuenit, uirtutẽ ſemper fortem, aut mediocrem ſaltim requiri, ad hoc ut ſpiratio uel pulſus magnificetur. facultate enim imbecilla exiſtẽte, celer ex magno redditur, ꝗ ſi ne ad celeritatem æqualis eſt, tunc denſitate & frequentia, quod illis deerat, adimpletur. frequentia etenim ad*

ſupplendum, uel magnitudinis, uel uelocitatis deffectum, intenditur.

6 Caliditas inaucta quam ſpirationem efficere poſſit? Si paulo à naturali exceſſerit, ꝗuis magnam reſpectu ſpirationis quæ ſecundum naturam ſe habet, non tamen uelotiorem. ſin uero calor multo ſit maior, magnam, & uelocem, & frequentem efficere ſpirationem eſt natus. Porro frigiditas paruas, & tardas, & raras ſpirationes conſtituit. uerum parum quidem naturali minores, multo autem tardiores, & magis adhuc multo rariores. Sin uirtus ſit fortis, & modica aut nulla næceſſitas, ſpiratio maxime rara, & modice tarda, ſed parum paruitate declinans ab ea quæ eſſe debuerat connectitur.

7 Spiritus animalis mutatus qui uariat ſpirationes? Eo pacto quo calor, ubi enim multum de ſpiritu cõſumitur, & impenditur, magni, celereſq́;, & condenſi inſpiratus gignuntur, at cum parum de ſpiritu prodigitur, ſufficienter tardas, & paruas raraſq́; ſpirationes efficit.

8 Quo pacto ea quæ dixti, experientia rationi conſentiente cõprobantur? Quia uidemus ita omnino rem ſeſe habere, quibus enim calor redundat, ij ut magnas, & frequentes, & celeres aeris inſpirationes obtineant, uidere eſt, ut quibus modicũ eſt innatum calidum, contrarium. Sic & quibus ſpiritus animalis multus uacuatur, ut celeriter reſtitui ſit opus, magnæ, & ueloces, denſæq́; fiunt ſpirationes, quibus modicũ de ſpiritu excedit, omnia ſunt cõtraria. Quòd ſi hæ duæ cauſæ ſcilicet caloris intenſio, & ſpiritus inopia conueniant. tunc maximos omniũ, & celerimos, & frequentes inſpiratus uidebis. Sicut ſi utraq; harũ cauſarum minuatur, ita ꝗ nec calor exuperet, nec ſpiritus deficiat, rariſſimas, & tardiſſimas, minimaſq́; inſpirationes pernotabis. Ita & in ætatibus contingit, nam eas quæ increſcunt, & magnum & frequens & ocyus inſpirare conſpicimus, decreſcentibus cõtrarium euenit, quoniam illis & calor maior eſt, & ſpiritus cum corpore inaugetur, ijs uero hebetior calor & ſpiritus (quem nihil augeri oporteat) inſit. Ob eam cauſam in regionibus, temporibus, & aeris nos circunſtantis conſtitutionibus calidis, ad hæc curſibus, luctis, gymnicis certaminibus, cæteriſq́; actionibus quas pro uirili homines exercẽt, magnũ quid, & denſum, & uelox inſpiramus, quia in ijs agitationibus calor quidẽ augetur, ſpiritus uero cõſumitur. Quietis autẽ & ijs qui immobiles loco non cedunt, calidũ utiq; cõtabeſcit, parumq́; aut nihil omnino de ſpiritu diminuitur. Eodẽ pacto balneæ thermæq́; calidiorũ aquarũ, & morbi qui cũ febri precipue infeſtãt, magnos, & celeres, & frequentes cum pulſus, tum inſpiratus perficiũt, at quibus perfrixit calidum innatum, parumq́; de calore circa cor eſt coactum, ij adeo paruos pulſus & raros & tardos obtinent, & ſpirationes adeo conſopitas, ut perijſſe

uideri poſſint. atq; hæc omnia non minus pulſibus quàm ſpirationibus cõueniunt, ſicut & quod neutra harum actionum ſtante uita ex integro poteſt deperdi.

9 Quibus hominibus expirationes magnæ & frequentes & celeres euadunt? In quibus multum de fumoſis ſuperfluitatibus atq; ueluti fuligine colligitur. Vnde & qui creſcunt, quia calor fortior, & digeſtio per halitum maior quàm ſeneſcentibus, & qui dormiunt, quoniam tunc nutricationes impenſius exercentur, expirationes tales obtinent. Verum qui ſomno dant operam, & ſyſtolẽ arteriarũ, & expirationẽ quàm ſit diaſtole, aut inſpiratio habẽt maiores.

10 A qua facultate ſpirandi, & pulſuum functio perficitur? A uirtute quidẽ uitali arterijs pulſandi munus conceditur, ab animali autẽ omnino uis ſpirãdi preſtatur. Vnde & hanc aut ſiſtere prorſus, & detinere, aut minorem & tardiorem facere licet, quàmuis & organum ualeat, & uſus exigat, & facultas ſit fortis, quod ſatis opus ab electione procedere in totum, ſeruus quidam barbarus declarauit cũcto ſpiritu intercepto, ſuapte ſponte peremptus. at uero arteriarum operam impedire nihil quàmuis enitamur, poſſumus. Vnde & inflãmatæ partes uehementi dolore torquentur, quia motis particulæ confricantur ad inuicem, & fluore implentur, & dolent maxime, quod ſi minuere arteriarum in partibus phlegmone obſeſſis pulſus poſſemus, minus doloribus laborarent.

11 Si thorax edoleat, quam nam ſpirationem efficit? Paruam, & tardã, & frequentem, uerum minorem multò quàm tardiorem, quia non æque doloroſa & moleſta eſt thoraci dolore affecto celeritas, ſicut magnitudo, nimium enim dolet cum multum attollitur, quia partes inflammatæ diſtenduntur. In celeritate non ita grauis eſt labor, quia & ſi aliquis dolor ſubſit, ad quietem ad quam gliſcit deuenire, cito perueniat.

12 Quare in doloribus thoracis parum & ſegnius ſed frequentius ſpirant? Parum quidem, & tardũ, quia non ſuſtinet dolens thorax multum attolli, aut celerius cieri, atq; eadem ratione frequentius aerem conuellunt, ueluti qui non poſſunt uice una alimoniam ſufficientem aſſumere, multis uicibus eſſe cõpelluntur. Semper enim magnitudinis deffectũ, aut uelocitas, aut certe quidem denſitudo repenſat, atq; hæc ſunt intelligenda, quando in proprijs limitibus calor cordis permanet.

13 Quando præter dolorem etiã caliditas modum excedens adſit, qui ſpirat animans? Paruum quidem & ſic, uerũ multò frequentius, & paulò celerius. Quibus autem caliditas dumtaxat maior eſt, magnum (ut dictum eſt mox) & denſum, & uelox ij tales inſpirãt. Cũ autem frigiditas eſt in cauſa, parui, & tardi, ſed cum raritate fiunt inſpiratus, cum dolentibus frequentes inſint, licet parui.

14 Quandò uel ob cruda & incocta tubercula, uel duros tumores, aut craſſorũ & lentorum ſuccorum copiam, ſpirandi inſtrumenta in arctum coguntur, quæ fiunt ſpirationes? Paruæ & tardæ & frequentes, ad hæc & inæquales. Scire tamen utiq; licet, q; ſi ſpirãdi difficultate animal laboraturum ſit, ut ad pulmones & ad eius precipue aſperas arterias quæ aerem ſuſcipiunt, anguſtiæ lociq; coarctatio perueniant, oportet: q̃uis affectio à qua prouenit ſpirandi paruitas cum tarditate & frequentia coniuncta, nonnunq; in pulmone dumtaxat, aut thorace ſolo, aut amborum loco medio, primario conſiſtat.

15 Si igitur & qui anguſtias & obſtructiones patiũtur, & quibus dolent ſpirandi munere fungentia organa, utriq; tamen tenue & paruum quid reſpirant, quo modo ad inuicem ſunt diſtinguẽdi? Per uelocitatem. qui enim dolẽt dumtaxat paruam & frequentem, non tamen celerem adeo ut obſtructi, obtinere uidentur ſpirationem. Si uero cũ dolore febris cõiungatur, ſpirationes q̃uis in celeritate & paruitate pares, ſpiſſitudine tamen diſtinguũtur, pene enim ad ſummam denſitatem illis ſpiratio peruenit, & ſpiratio multò eſt maior, & celerior. obſtructi autem & anguſtijs laborantes, q̃uis cum paruitate denſas ſpirationes faciant, multum tamen denſitas à ſumma denſitudine relinquitur.

16 Spiratio igitur parua & frequens quid ſignificat? Eſt ſignum doloris omniũ animalis particularum quæcũq; ad motum thoracis commouentur. Non enim quia thorax dolore afficitur, parua efficitur ſpiratio, ſed quia illi animalis facultas præſidet, quæ dolori temperãs, paruam ſpirationem facit. Non igitur ſicut in obſtructis, anguſtia pulmonis requiritur, paruumq; relictum ſpatium, thoraci, aut pulmonibus ut commoueantur, ad hoc ut ſpirationem paruam & frequentem habeant, ita & thoracem dolere cõuenit, ut ſpiratio parua fiat, ſed ſat eſt quodcunq; membrum dolorem habere, quod motis inſpirandi inſtrumentis commouetur ad hoc ut ſpiratio parua perficiatur.

17 In quibus ergo affectionibus paruum & denſius ſpirãt? In tumoribus præter naturam conſiſtentibus circa uentrem, aut ſplenem, aut epar, aut colon, aut ijs uicinas partes propter ſepti tranſuerſi anguſtiã. Grauidis præterea aut mox, aut poſt tempus à conceptione, & ijs qui aqua inter cutem laborant, & nimium ſaturis, & uentricoſis, quibus tremit omento popa uenter, & orthopnoicis, qui non niſi ceruice recta ſpirare poſſunt, ob craſſos & lentos ſuccos collectos in aſperis arterijs, & quibus thorax pulmoue obſtructus eſt, aut induratus, aut molles habens tumores, uel quomodocũq; dolorem inferentes, ad hæc & pleureticis, & ſuppuratis, quibus ut plurimũ tales ex pleuritide fieri contingit, & nõ ijs ſolum uerũ & ijs qui-

bus dolet uentriculus, aut aluus, aut peritoneum, aut colon, aut inteſtina tenuia quæ ſuperius inſident, aut præcordiorũ muſculi laborãt. Omnibus (inquã) hijs unica doloris ratione talis ſpirationis ſpecies accidit, quia moto thorace hæc quidem ab organis ſpiratorijs dependentia, illa uero connata eiſdem cõcutiuntur, unde & ægre feriũt, minuſq; dolent in paruis thoracis diſtinctionibus, magis autem in maioribus. Eodem pacto & qui multum de cibo ingeſſerunt, uel abundius epotarunt, frequentius inſpirant & paucum.

18 Eſt ne aliud diſcrimen inter uirtutem uitalem à qua pulſus prodeunt, & animalem à qua ſpiratio? Eſt permagnum, nã uitæ facultas ſemper operi indeffeſſe incumbit. nec unquã ſegnius agit, aut intermittit. at uis animalis ſi aliorſum cõuertatur, eſt quando negligentius ſe gerit, atq; ab opere diſtrahitur, ut ſi quando aliquò proficiſcamur, deinde per uiam aliquid meditabundi rerum cogitemus, multum de intenſione greſſus remittimus, atq; tardamus ueſtigia, nec ante perſentimus minus de itinere eſſe confectũ, quàm ubi aduertentes moras caſtigemus, & tũc ueluti è ſomno excitati, iterum uiam properamus, atq; pergimus quò mens fuerat, quod non aliunde prouenit, quàm quia mentis intenſio nimia animum à corporeis ſenſorijs aliò abducit. ad eum modum & uecordes amenteſue occupati circa phantaſmata, & uiſa, cogitationeſue, quæ illis obuerſantur, nihil aliorum meminerunt, nec cibum aut potum requirunt, ſed contingit ſepius, ut matelam in manibus habentes mingere obliuiſcantur, & cibos ori admouentes non aduertant, & ſupra trullam ſedẽtes ad aluum ſoluendam, ſe ſurrexiſſe amplius non reminiſcantur. Sic & in morbo comitiali eandẽ ob cauſam apertis oculis laborantes nihil cernunt.

19 Quænam eſt delirãtium in morbis ſpiratio? Rara quidem, quia habent animam imaginationibus & phantaſmatis intentam, ſed magna, & tanto maior, quãto rarior fuerit ſpiratio, nõ enim ſinit quieſcere, aut tantiſper feriari, ſed excitat ſubinde, & expergiſci, atq; reminiſci ſuorum operum facit ſpirationis uſus non adimpletus, eo quòd periculum promptum & immedicabile ſit, niſi de recẽti ſuccurratur. Confeſtim igitur ſuſcipit tantum atq; recuperat, quãtum per quietis tempus perdiderat. Quamuis itaq; animalis facultas alicui cogitationi locata, multum de opera remittat, atq; imminuat, ſpirandi tamen neceſſitas ne modicũ quidem quieſcere animans cõſentit, ſed admonet, atq; excitat ad ſpirationem præſtandã. Si enim aliquo dierum numero, ſine potu aut cibo maneamus, tueri tamen atq; proferre uitam datur, at uſus ſpirãdi prohibitus, mox internitionem operatur. Sic itaq; nõ raras ſolum, ſed & magnas ſpirationes delirio laborantes obtinent. Sic & ſuſpirantes amatorculi gemere pernotantur, quia ſpirandi functio minus expleta cogit, ut una uice re-

paretur, quod amiſerat quieſcendo, quod ſatis indicat non fieri ſpirationem à uitali uirtute, quia ne tantillũ quidem requieſceret, nec magna in delirantibus fieret. Nam nec pulſus urgente neceſſitate ingentes, & ſufficienter rari: ſed ueloces quoq; & frequentes fieri cum magnitudine conſueuerunt. Nec uero ſolum circa ſpirationes delirantes hoc patiũtur, ſed & circa potum, & res alias naturales. Nam rarẽter ſed ſemel multum bibunt, cumq; raro mingant, affatim uice una magnam urinæ copiam reddunt.

20 Delirantes an ſpirationem ſemper magnam obtineant & raram? Minime. ſed ſi ſpirationem quiſpiam magnam, & raram habeat, is omnino delirat, non tamen contra ſubſiſtendi cõſequentia cõuertitur. Eſt itaq; propria nota atq; ſignum delirantiũ magna raraq; inſpiratio, non tamẽ inſeparabile. Sicuti geometram eſſe, uel fabrum, uel philoſophari, uel uerſus facere, ſoli homini cõuenit, non tamen omni. Poſſiſq; dicere omnibus delirijs deberi magnã raramq; ſpirationem, nõ tamen delirantibus omnibus: ut pote in quibus conſiſtere poſſit affectio alia impediens ſpirationem quæ à delirio prodire debebat.

21 Qui affectus prohibere poſſunt ideam ſpirationis delirantium? Dolor, aut refrigeratio, uel anguſtia obſtructioue in ſpiritualibus organis cõſiſtentia, hæc enim contrariam ſpirationem efficere ſunt nata. Si igitur dolor aut refrictio uincat delirium ſocordiamue, ipſa inſpirationem ſuo modo figurabunt, ſuumq; characterа imprimẽt. Sin autem amentia ſuperet, ipſa ſpirationem effinget, excudetq;. Sin uero alter alterius affectus uicibus alternis uictor uictuſq; euadat, modo paruum inſpirabunt ægri, & ex longis interuallis magnum, aut magna ex parte ingentem ſpiritum trahent, paruo nonnunquã intercepto, ſuaſq; agente partes.

22 Delirantes qui magnum rarumq; ſpirant an tali ſpiratione indigeant? Non. inditium autem quòd non magna inſpiratione egeant, manifeſtum eſt, quia non frequenter inſpirant. Verum cũ immoderantius & inſpirãt, & ab eo munere ceſſent, hoc eſt mentis obliuioſæ argumentum, nec q̃tum diſtinguere oporteat, nec q̃tum quieſcere ſatis cognoſcentis, atq; ideo ultra modum utrumq; facientis.

23 An ex toto mens ſpiritum trahere poſſit obliuiſci? Nequaq̃. ſed quando maxime ægri ſine reſpiratione perſtare uidentur, tunc ſi digitum aut lanam diligenter impexã, uel pilum ante nares admoueas, eos inſpirare liquido cognoſces. Viris autem raro hæc affectio cõtingit, frequẽtius aut innuptis uirginibus, uiroq; non traditis, aut fœminis quæ ſuffocationem uteri patiuntur, aut ijs quæ longo tẽpore ſteriles, uel in uiduitate perſtiterunt, liberoſq; non procrearunt, euenire conſueuit propter ſemen retentum ad extrema mala compellens. Vocat autem eam ſpirationem

Hippocrates aſemon, hoc eſt nullius notæ quia difficulter percipiatur.

24 Quam ſpirationem habent pueruli dum uagiunt, & collachrimantur, quiq́; mœſtitudine & animi anxietate quoquo pacto ſunt affecti? Paruam ut plurimum ſicut illi qui alicuius particulæ dolorem ſentiunt, quia anima ad dolorem intenta uel triſtitiam, minus haurit de ſpiritu ſingulis uicibus, q̃ oportebat, quod tamẽ in unaquaq́; ſpiratione adimitur, proceſſu ſummã notabilẽ efficit, cũq́; iam prope eſt animans, ut ſuffocatione intereat, uiolentius cogit mentem uis ualentior, ut unica magna ſpiratione reſartiat, atq́; rependat, quod ſingularibus uicibus deceſſit. Sic ergo mœſti uel gemẽtes, magnas cum paruis ſpirationes uiciſſim commutant, quod etiam alia ratione faciunt, quoniam per mœrorem calor intus exeſtuans, & inauctus maiore copia, maiori inſpiratione indigere cõſtringit, cũ in ſtolidis nõ magis extrorſum q̃ introrſũ ſe calor cõuertat. Quin & ſtolidos febris infeſtat, ſubtriſtes etiã ſine febre perſiſtũt, quod utroſq́; ægregie diſtinguit. Ergo qui delirio ſuccumbũt, magnas ſemper & raras, paruas nunq́;, at qui alto animi dolore premũtur, paruas ſpirationes magna ex parte efficiunt, magnaſq́; ex interuallo reponunt.

25 Penès quid ſpiratio magna uel parua eſſe dignoſcitur? In hijs qui bene ualent, penes diſtinctionem thoracis, at quando naturæ legibus animans non gubernatur, aliæq́; affectiones intercidunt, in quibus pulmo nimis cõſtrictus nequit aerem ſufficiẽtem trahere, atq́; adeo cõtingit, ut thorax multum diſtinguatur, ſed modicus aer cõuellatur. at uero aſperiarum arteriarum diſtinctionem, in quas aer pertrahitur, cuiuſq́; diſpoſitionibus ſolis proportionabiliter magnæ uel paruæ fiunt inſpirationes, oculis intueri non poſſumus: atq́; ideo ſecundum multitudinem aeris inſpirati uel expirati, magnitudinem ſpirationis iudicare eſt optimum. Cum enim urget neceſſitas, multũ affatimq́; inſpiramus, rurſuſq́; ſi eadem neceſſitas poſtulet, multum item de halitu emittimus. atq́; ita cum expiratio aliquando fiat, thorace in ſuam ſedem reuerti ſolum & incidere permiſſo, aliquando autem fiat maior, muſculis ipſius fortiter comprimẽtibus, non oportet hominem nudantes, muſculos an ſint tenſi inſpicere, ſed ſat eſt ad efflationem aduertere, in qua cum fragore quodam aer expellitur, tũc enim fortis expiratio fit. Nec enim propter molẽ uentris alicuius, ideo ſtomachum multis refertum epulis iudicamus, (nam & qui hydrope laborant, tument, q̃uis nihil interdum ciborum habeant in uentre) ſed quia multa nimis ingeſſiſſe atq́; deuoraſſe uidemus. Ita & de inſpiratione ſentire decet.

26 Quot ſunt ſpirationes cõpoſite? Quatuor principales, uidelicet magna & uelox, magna & tarda, parua & uelox, parua & tarda. Poſſũt fieri & aliæ differẽtiæ cõparando inſpirationẽ expirationi, ſicut in pulſibus ſyſtolem ad diaſtolẽ,

aut enim

aut enĩ inſpiratio magna eſt, & expiratio parua. uel cõtra, aut deniq; utraq; æqua lis, eodẽ modo & utrãq; æquè celerẽ, uel tardã cõtingit fieri, uel alterã celerẽ, alterã tardã, penes autẽ quietes nulla difficilis ſpiratio componitur, quoniam in eis non ſunt duæ oppoſitiones ſicut in lationibus. Eſt & quædã ſpiratio inæqualis media inter ſpirationes ſimplices, & manifeſte compoſitas.

27 *Quã dicis eſſe ſpirationẽ inæqualẽ? Quãdo modo magnũ, modo paruum, uel nũc otyus: nũc tardius inſpiramus, uel principiũ ſpiratiõis citatũ eſt, finis cõtra ſegnior, aut ecõuerſo, uel quies aliqua ſingulas motionũ interſecat, atq; ueluti cõtinuitatẽ ĩterpellat ĩſpiratiõis aut expiratiõis. Id uero nõ ignorare cõuenit fieri ſpirationẽ nõnũq; ĩæqualẽ & inordinatã, nõ ſolũ ĩ motiõe una, ſed & ĩ collectiõe multarũ.*

28 *A quibus cauſis prouenit ſpirationis ĩæqualitas? Ab eiſdẽ à quibus pulſus cõtingit fieri ĩæquales. Nã ut ĩ illis anomalia fit, uel propter anguſtias, uel cõtuſiones, aut obſtructiões leuiũ arteriarũ, aut propter ĩbecillitatẽ uirtutis nõ potẽtis uice una diſtinguere arteriam, ſed interquieſcẽtis quale accidit ſenioribus ſedẽtibus per nias ſepius anteq; ad locũ perueniãt, ita & inæqualis ſpiratio cõmittitur, propter anguſtias trachæarũ arteriarũ à tumoribus in eis cõſiſtẽtibus, uel à pleuritide pernitioſa, uel à peripleumonia nõ expurgata, aut ab empymate ibi ſuppurato, aut propter ĩbecillitatẽ uirtutis, dũ modo mores diſtingamus. Vt enĩ reſpõſionẽ audacẽ in eo qui ſe comẽ, & urbanũ, ĩgenuũq; profiteatur, ptimẽdã, at ĩ eo qui ſit temerarius, & cõfidẽtior: ne delirationẽ quidẽ magnũ malũ portẽdere dicit Hippo. ita & ſi mi ſellus quiſpiã, & molliter educatus inæqualiter reſpiret: nõ proportionalẽ uirtutis oblæſionẽ ſignificat, quia uel leuicula de cauſa id facturus ſit, ſin autẽ generoſi animi aliquis qui uitã duriter ĩ laboribus exegerit, talẽ inſpirationẽ obtineat: uirtutis facultatẽ muſculis mouẽdi ſuppeditãtis, magna læſio portẽditur: in pulſibus autẽ tã in delicatioribus q; in uirilibus proportionalis ſemper eorũ læſioni uitalis uirtutis imbecillitas nũq; non demonſtratur.*

29 *Fit ne inæqualitas ſpirãdi, ab alia cauſa, q; in pulſibus accidit? Per Iouem fit propter motionem muſculorum peruerſam, in quos primum uirtus animalis motiuã uim tranſfundit, atq; ab illis deinde thorax, & cõſequenter pulmo cuius partes ſunt aſperæ arteriæ cientur. Porro uitioſe muſculi mouentur tripliciter, uel ſcilicet conuulſi, uel tremore affecti, uel dum palpitant.*

30 *Quinam inæquali ſpiratione laborãtes afficiuntur? Dolentes, & delirantes. qui enim dolent: paruam maxima ex parte ſpirationem obtinent: crebroq; admodum ſemper inſpirant, q̃uis magis & minus id faciunt, idq; tardius modo, nunc celerius, nonnũq; uero & magnas quaſdam ſpirationes reponunt, quas mox urgente atq; peruadente dolore dimittunt. cum enim id quod tollit dolorem, & gignit indolentiã,*

neceſſitatem coarguat, & adaugeat, quod uero neceſſitati ſuccurrit, dolorē excitet non perferendum: hæret mens tanquam nauis inter duos illiſa ſcopulos: rapiturque quo cumulus uehementior impellit, & modo dolori adeſſe cupit, modo ad neceſſitatem cōuertitur, ſpirationeſque efficit inæquales. Dolentibus quippe affectam particulā & magnitudo, & uelocitas, & frequentia, omnia ſunt moleſta, uerum magnitudo magis, deinceps reliqua, quare de magnitudine multum adimūt, de celeritate minimū, frequentiæ etiā quæ ſecundū naturā eſt, nonnihil addūt, ut quod indigū eſt, rependatur. ſed non id tantū eſt, ut neceſſitatem reſarcire ualeat unde ex interuallis magnū admodū ſpirare coguntur. Sic & quibus ratio peruertitur, magis minuſque uel magnas, uel raras, nunquam autem aut crebras, aut paruas inſpirationes faciunt.

31 Vnde prouenit inæqualitas ſeu anomalia? Ex deffectu æqualitatis in unica reſpiratione, quæ cum per circuitus deperditur, inordinatio dicitur.

32 Quid ſignificat ſpiratio inæqualis in qua ſpiritus in medio ueluti interceptus cōfringitur? Conuulſiones: ut in ſententijs uetuſtiſſimi ſcriptum eſt.

33 Quare diligentiſſimus Hippocrates in pernotandis omnibus quæ ægrotis accidunt, ſpirationis inæqualis in prognoſtco non meminerit, cum quæ de ſpirationibus ſcire maxime oporteret, proſecutus eſſet? Quia non erat peculiaris morbis acutis de quibus ſe ſolū in eo libro agere uelle ſepius innuit, atque ob eam cauſam nec de urinis, uel excremētis alui, aut mulierū affectibus, aut ætatibus, tēporibus, regionibus, aut cōſtitutionibus anni, alijſque multis, quæ per aphoriſmos tranſegit, quæ ad prædictiones multū conferre dignoſcūtur, aliquid in eo uolumine dicēdū ſibi cēſuit.

34 Quando magna ueloxque fit reſpiratio? Quando & organa obediunt, & uirtus eſt fortis, & uſus requirit.

35 In quibus magna tardaque inſpiratio exercetur? In quibuſdam delirātibus, atque in ijs non ſemper.

36 Quinam paruum tardumque inſpirāt? Quibus oppido nimis calor natiuus deffecit, exhauſtuſque eſt.

37 Parua autem & cita inſpiratio quando completur? Cum dolor & incremēti neceſſitas ſimul inceſſerunt.

38 Quibus magna & uelox ineſt expiratio? Si quis dixerit eos magnum citatūque reſpirare qui fumoſa multa excrementa, & acritudine fuliginoſa prædita collegerūt, quæ nullatenus á calore ſuperari euincique quiuerunt, ſicuti nec fumus ab igne, is mea ſententia nihil deliquerit.

39 Quinam maxime magnum quid & tardum expirare conſueuerunt? Illi quos deliria ſuſque deque dementant.

40 Qui ſolent paruam tardamq́; expirationem efflare? Quibus nihil aut perq̃ modicum de fumoſis ſuperfluitatibus collectum eſt.

41 Paruam uero & uelocem expirationem quando contingit fieri? Cùm & de fumidis illis excrementis nonnihil cumulatum eſt, & dolor alicuius particulæ, quæ ad motum thoracis protruditur, perurget.

42 Quid uocamus rythmum in pulſibus aut reſpiratione? Proportionem quæ ex collatione diaſtolês ad ſyſtolen, uel expirationis ad inſpirationem prouenit.

43 An hæ duæ reſpirationis partes inter ſe aliquoties euarient? Nonnunq́; d accidit, ut pote ſi calor innatus multus fuerit, at uero ſpurius & excrementoſus paucus, inſpiratio magna erit, ſed expiratio parua, rurſuſq́; ſi contrarium accidat, ut genuinus natiuuſq́; calor ſit imbecillus, apprime autem multum de excremẽtis accreuerit, nihil mirum, ſi cum minima inſpiratione grandior expiratio flat.

44 Sunt ne aliæ difficilis ſpirationis differentiæ compoſitæ? Sunt aliæ quatuor præter iamdictas omnium utilimæ ad quas omnes tam ſimplices q̃ cõpoſitas reducere eſt, uidelicet magna & frequens, magna & rara, parua & frequens, parua & rara, duæ quippe oppoſitiones ad ſe inuicẽ collatæ, quatuor differẽtias conſtituunt, ut nullus (opinor) non nouit, quarum prima caloris intenſionem, atq́; neceſſitatẽ cum uirtutis robore oſtẽdit. ſecũda in delirãtibus accidit. tertia dolentibus partẽ aliquã ſpirituoſam adeſt, quarta magnã neceſſitatis imminutionẽ ſignificat.

45 Harum quæ deterior eſt? Cum nulla difficilis ſpiratio periculo careat, illa omnium exitialis & peſſima eſt, quæ paruitatem cum raritate habet, propter enim refrigerationem cordis, & calidi innati abolitionem conſiſtit, quæ præſentaneum periculum ſolet afferre. at uero uel delirium, uel inflammatio in pectoris partibus, uel dolor ut mala ſint, leuiora certè ſunt, q̃ quæ malum præſentaneum inferant, ſicuti perfrictio membrorum à quibus uita oritur, quæ dictam iam ſpirationem molitur.

46 Spirationem paruam & frequentem quis affectus committere poſſit? Dolor & anguſtiæ. cum autem de dolore loquor, illum intelligo qui in partibus cum thorace dimotis conſiſtit. Porro qui propter coarctationem uiſceris talem inſpirationem obtinent, ij omnino & ſtertunt, & ronchos cum ſpirant, edere uidẽtur, & non niſi recta ceruice ſpirare poſſunt, quia propter directum poſitum atq́; figuram organa dirigantur, & particulæ ſpirationi deſeruientes aliæ ab alijs minus cõprimãtur, & aggrauãtur. quia uero propter loci anguſtiã non niſi modicũ de aere cõuellere poſſũt, ideo & frequẽtia additur. Sic dolor primo ſpirationis efficit paruitatẽ, quia præ dolore nequit in multũ diſtinguere thoracẽ, atq́; mediãte paruitate

frequētia additur, ut repenſet quod per ſpirationis exiguitatem fuerat fraudatum.

47 *Quam inſpirationē uocat Hippocrates: cū quibuſdā ægris affuiſſe ſpiritum aſſerit? Spirationem paruam & crebram. Sic ſpiritum ſublimen nuncupat ſpirationem paruam, quaſi quæ in alto hæſitet, nec deſcēdat in imum. ſpirituoſi uero uocantur ab eo tam qui parum & crebrius inſpirant, quam qui flatus multitudinem in corpore aggenerant.*

48 *Quare idem auctor inſpirationem raram, uel etiamnum magnam oſcitationum remedium ſanatorium, at uero paruam & frequentem utilem eſſe ijs quibus quæ circa cor & pulmones frigore obriguerunt: conſtanter aſſeuerat? Quia qui oſcedine diſtinentur inhiantq́ꝫ, ij uaporoſo craſſoq́ꝫ halitu in muſculis cōtento quem à ſe excernere nitūtur, crebro & frequēter inſpirare coguntur. Rara igitur ſpiratio ideo ijs utilis cenſetur, quia eſt ſignum paſſionis in contrarium permutatæ; & tanquam cauſa (ſi mihi credas) eius affectionis ſanatiua. Quādo enim ſpiritus diu retinetur (quod qui raro ſpirant, obtinent) omnes eiuſmodi affectus integre perſanantur. Sic & athletæ expugnare ui atq́ꝫ ulciſci uolētes aliquod humidū aut halitū in tenuibus meatibus exercitando accumulatum, ſpiritus cohibitionem uſurpant. ad eum modum & ſingultientes, & pandiculantes, & multum exercitatos retentus ſpiritus ad ſanitatem perducit, excernens quidquid inhæſerat. Porro crebra & parua inſpiratio, ut quæ euentilet crebro flatu, & excalfaciat refrigeratas partes, merito refrigerationibus uiſcerum prodeſſe dignoſcitur. Nec aliam ſane ob cauſam & algioſos, & tenues, & decoloratos ad iracundiam prouocari Hippocrates cōmendat quàm quia calor ſic excitetur. Faciendum uero id cautius eſt, & quomodo gymnaſia quædā quæ inſitā caliditatē uigorare ſunt nata, ex interuallis quibuſdā obſeruata temporis opportunitate iniungimus, ſic & prædictis affectibus medendis, crebram inſpirationem non paſſim (ut fertur) ſed conuenienti occaſione ſeſe commodum offerente, atq́ꝫ in debita menſura aſſumemus.*

49 *Nunquid magna, & parua, & frequens, & rara, & tarda, & uelox inſpiratio ſe ſolis ſingulæ denotare poſſunt, quod per illas quatuor ſpirationis differentias deſignatur? Minime diſtincte. magna ſiquidem, deliria, & neceſſitatis incrementa portendit. parua dolores alicuius ſpirabilis particulæ uel uirtutis imbecillitatem cum decremento neceſſitatis ſignificat, ſic rara hoc ipſum & deſipientias factas denūciat. frequēs dolores & facultatis augmenta atq́ꝫ neceſſitatis demōſtrat. uelox autem & tarda ijs qui deſipuerunt indifferēter adſunt. Verum diſtinguere oportet, quando unum, quando alterum ſignificent per illas utiles quatuor differentias à nobis prius redditas, quæ diſtinctiſſime dolorem & neceſſitatis augmenta,*

uel decrementa, & uirtutis diſpoſitionem, & organorũ ſignificant à quibus tribus completur reſpiratio.

50 Sunt ne aliæ differentiæ difficilis ſpirationis compoſitæ? Sunt aliæ quatuor uidelicet frequens & uelox, frequẽs & tarda, rara & uelox, rara & tarda. Hæ nobis parum utiles ſunt, quia aut nihil certum ab illis pronuntiatur, uel quidquid ab eis colligi poteſt, id ante per quatuor priores differentias cognoſcere præuenimus. Nam frequens uelox ꝗ ſuperãte frequentia, uelocitate autẽ parum ab eo quod eſt ſecundum naturam permutata, & doloris & neceſsitatis incrementum demonſtrat. Sin uero à naturali diſpoſitione quæ illi inerat, diſcedat, atq; remoueatur magis uelocitas ꝙ frequentia, ſolam neceſsitatem intentam eſſe ſignificabit, uerum hanc omnino magnitudo comitabitur, illã paruitas, ꝙ obrẽ nihil magis ex hijs habemus, ꝙ quod in ſuperioribus differentijs, ex magna & frequenti, & parua & frequenti præſagiri didiceramus. ad eum modum frequens & tarda uincente frequentia, dolorem ſolum demonſtrabit. ſi æqualis ſit tarditatis receſſus, dolorem & minutionem neceſsitatis indicabit, maiori autem exiſtente tarditatis ſuper frequentiam exceſſu, magis imminutam eſſe neceſsitatem, ꝙ dolorẽ moleſtare præſcribit. at uero rara uelox ꝗ inſpiratio quibuſdã qui à rationis orbita declinarũt, apparet, & ubi adſunt neceſſitatis augmẽta. Similiter & rara tarda ꝗ quibuſdã delirãtium ineſt, & neceſsitatis diminutionibus, quæ omnia cum pulchre per quatuor præaſsignatas differentias nouerimus, fit ut harum nihil opus habeamus.

51 Quid ſupra uirtutis animalis imbecillitatem precipue ſignificat? Ex inæqualitate ſpirationis difficulter hoc poſſumus uenari, aliter delicatis aliter firmis aerẽ & ſpirationem deſignantibus. Per narium tamen pinnulas certius hanc rem aucupari licet, nam ſi narium pinnulæ in aeris attractu cõuendicent, & auxilientur, atq; cõniueant, ſicuti quando diducto ore aliquid ſorbillant, id uirtutis imbecillæ ſignũ eſt non temerarium. Similiter & ſi cum thorax contrahitur, muſculi ipſius non cum paulatim conſtringant, ſed decidere ueluti emortuum permittant, id quoq; uirtutis animalis oblæſæ non pœnitendum argumentum eſt.

52 De quietibus quid ſcire operæpretium eſt? Quòd ſi inſpiratio eſt magna, quies eam præcedens eſt breuis, & uice uerſa. Sic & de reſpiratione ſentiendum, ita tamen ꝙ licet & inſpiratio & expiratio magna frequẽſq; effici poſsit, utraq; reſpectu alterius & alterius quietis talis nuncupatur.

FINIS.

ANTONIVS LODOVICVS DIDACO MEDICO. S.

MEmini me nuper tibi pollicitum eſſe: ut librum quem de ſpirationis uſu ex Galeni ſentẽtia cõpoſui, tuo inſciberem nomini. Et eſt ſane hic mos receptus apud eos qui ingenue, atq; ſincere philoſophiæ ſtudia pertractãt, ut ne furioſo quidem aut temulento gladiũ depoſitum abnegẽt, ne fidei quoquopacto uiolatæ argui poſſe uideantur, atq; hæc uel una cauſa ſuffecerat, ut tibi hoc opus dicarem; ſi modo quicũq; qui uir ſit bonus & honeſtus promiſſis ſtare teneatur. Sed accedit aliud multo ualentius, cur tibi imprimis hoc quidquid eſt libelli nuncupandũ cẽſui. Nullus tã alienus eſt qui celeberrimum didaci nomen nõ nouerit ob ægregias curationes quas paſſim per totã urbem à te fieri cõſpiciunt, ut non immerito paradoxopœus quidã perinde ac noſter Galenus appellari merearis, cũ paradoxa & peregrina preter opinionem factites, nec unq̃ laborãtibus manus non ſalubres admoueas, ſiſq; omnino (ut dicere audeamus) corporum princeps & medicator: qualem uult medicum Plato, ut in reſpublicas admittat, non autem nũmularium quẽpiam (ut ſic dixerim) & pecunijs congerendis auide intentum, qualem te nos omnes eſſe cognoſcimus. Quòd ſi is eſt optimus medicus, ut idem Plato in politijs ſcribit, qui plurimis & deprauatiſſimis corporibus fuerit conuerſatus, multoſq; cum ſanos tum ægros homines inuiſerit. Quis te iure melior habeatur? qui cũ ſis proſeuchæ pandocheiue præfectus ubi innumeris morbis, atq; omnigenis affecta: infinita pene populariũ multitudo recipitur, ut immedicabiliũ malorum à te auerſionẽ accipiãt, nullũ non indies ægritudinis genus inuiſas, atq; ueluti morbis propulſandis natus: omnia ſalutis impedimẽta, quæ debitas functiones obire prohibent (in quo cõſiſtere morbũ Galenus teſtatur) ſaluberrimis præſidijs remoueas, ut ſi recte ſupputare, nec ingrati eſſe homines uelint, quanto maiorẽ tibi laudẽ (q̃ apollini & aſclepio uetuſtas) detuliſſe debeãt? Nam aſclepio immortales habuerũt honores, ꝙ unũ hominẽ auro tamen (quod non tacebo) perſuaſus, iam lætalẽ uitæ reuocarit. Podalirius quoq; & Machaon huius proles, nõ aliã ob cauſã à Græcis ſũt celebrati, q̃ ꝙ egregiã in bello Troiano (ut Celſus apud nos, & Homerus itẽ referũt) ſuis cõmilitonibus operam nauarũt, cũ tamen nullos morbos depellerẽt, ſed tantũ ſpicula & teli aut ſagitæ emiſſæ cuſpides, ſi quæ uulneri infixæ remãſiſſent, ore ſugentes atrũ ſanguinem in particula cõtentũ extraherent, atq; ulcera delamberent, aut etiam pharmaci quppiam dolori leuando

mollis & accommodati aſpergerent, ſed nibilo tu illis inferior es, qui non unum aut alterum à morte liberas atq; reſtituis, nec uulnera tantum, ſed etiam qui in altũ atq; profundum incubuerunt, uiſceribuſq; imis ſeſe condiderunt, morbos medicaris, & unmodicos à funeſto interitu eripias, quæ quidem in cauſa eſſe potuerunt, cur te potiſſimũ hoc munere donaremus. Addidi in calce alia etiã nonnulla ut uariũ magis baberes noſtre in te obſeruantiæ argumentũ. Tu igitur hæc grato animo ſuſcipe, cũq; per negocia licuerit lectitato, felixq; & ſanus ſemper bene uale.

DE VSV SPIRATIONIS EROTEMATA ANTONII LODOVICI

in quibus à qua uirtute prodeat reſpiratio, & cuius muneris gratia ſit ſecundum Galeni ſententiam ſufficienter exponitur.

SPiratio cuia maxime intereſt? Ipſius uitæ, extemplo enim morimur, ſi ſpirandi officio priuemur, quo modo uidendi organis, aut ijs quibus audiendi facultas datur, fraudati: ijſdem ipſis functionibus lædimur, nec cernimus, nec audimus.

2 *Quo nam maxime ad reſpirãdum indigemus? Aeris externi flatu, ſicuti ignis medicis cucurbitulis occluſus, & uel quæcũq; flammæ exteriores, ſi frigidi aeris communione interminãtur, mox extinguuntur. Operæpretium itaq; eſt, ut ex ijs quæ flammarum globis externis accidunt, de inſita nobis caliditate ratiocinemur, atq; inde ſpirationis uſum aucupemur.*

3 *Quibus modis extinguntur flammæ exteriores? Vel calce circũlinitæ, uel balnearum æſtui, uel ſolibus feruidis, uel aeri immodice algido expoſitæ, uel uehementius uentilatæ, uel copia alimenti ſuffocatæ, uel inopia extinctæ atq; marceſcentes.*

4 *Quotuplici eget ignis motu ut ſaluetur? Duplici. alio ad ſuperna, & circunquaq;, alio ad radices ipſius, quod binc liquido cognoſcas, licebit. Nã ſi ingentis facis altam partem accendas, non multo interpoſito ſpatio, imas ardere & flagrare uidebis. Similiter ſi extinctæ lucernæ aſcẽdenti fumo, ad ſummum, alium ignem admoueas, iterum lychnus funguſq; ſuccẽdetur, quem extinxeras, quæ nullo acciderent modo, ſi ignis tãtum ad ſuperiora reperet, & non ad inferiora. Fuit autem neceſſarius bic motus ad intra, ut celerrime gigneretur. Nam cum ſemper in auras abeat, & in proximum aerem diſpergatur, niſi celerrimam generationem obtineret, minime ſufficere poſſet. Conſeruãtur uero flammæ in aere mediocriter*

habito, & cum non immoderatius euentantur, cumq́ fomentum non plus minuſue ſuperſit quo alatur. Nam calor immodicus, & motus uehementior ignẽ ideo extinguunt, quia lationem ad exteriora maiorem faciunt, frigidum uero & perflatus fortior, quia flammam intro condit, & internũ motum intendit, ideo extingui cogit. Par itaq́ eſt, ut innatum calidum refrigerationem ideo expoſcat, ut modice inſuffletur, moderatamq́ refrigerationem ab aere ſuſcipiat, intereat uero cum aut ſanguineo alimẽto deſtituitur, aut intro, extrauе ferri prohibetur. Sicut lampas uel oleo, uel aeris cõmertio fraudata, uel altera motionũ ſuarum expuncta. Motionum enim cõtrariarum ſibi inuicem ſuccedentium altera pereunte alteram quoq́ perire neceſſe eſt. Cor fungo umbilicoue lucernæ ſimile eſt, ſanguineam maſſam oleo comparem ponito, pulmo tanq́ organũ lychnuſq́ inſtar cucurbitæ medicæ cordi extrinſecus circũiacet, uerũ cum inſpiramus, expiramuſue cucurbitæ pertritæ. cum autem ſpiritum cohibemus imperforatæ conferre poſſis. Sicut igitur cucurbita pertrita ignem non extinguit, externum aerem inſpirare potentem, at uero ſarta concluſaq́ perimit. Sic & nos uitam finimus ſpiritu occluſo, quia pulmo nihil de ſpiritu admittit, quem cordi refrigerando tradat, ſicut cucurbita non pertuſa exiſtens.

5 Eſt ne alia ſpirationis commoditas? Eſt ut quidquid in ſanguine fumo, fuligini, fauilliſue eſt proportionale, excernatur, quod uel ex igne externo condiſcas. Nã caminum mihi cogita, quæ uiridibus multis lignis ingeſtis extingui periclitetur ob fumoſi excrememẽti multitudinem, qui exhalationem non habeat, hanc ſi aperias, ubi fumorum copiam expirauerit, multumq́ de aere frigido exhauſerit, late exardere, atq́ pandi, ſubitoq́ emicare ignem, non ſine animi uoluptate ſpectabis, qui iam fuerat periturus. Sic & in calore noſtro natiuo contingere haud diſſentaneum alienumue eſt.

6 Quo pacto reſpirationem refrigerandi caloris gratia inductam autumas, cum illi qui per hibernas niues iter fecerunt, refrigeratiq́ ſunt, inſpirare appetant, & tamen refrigerio non egeant, cum penè omnem corporis calorem ſufficienter habeãt refrigeratum? Reſpirãt ij quidem, ſed modicum quid, & per longum interuallum. Nam modicus afflatus non ſolum refrigerat, ſed accendit & ſuſcitat calorem, ut cum debiles flammas uentilabro ſumpto confouemus molli afflatu. Eſt autem non exiguum argumentum reſpirationem refrigerãdo calori cordis adhiberi, cum etiam in ijs qui frigoris iniurias ſenſerunt, ſit neceſſaria. Nam apud cor calor ſemper exæſtuat, cupitq́ efflari, q̃uis per reliquum corpus deffitiat.

7 Propter quid graue olens halitus, aut à lucernarũ extinctu, aut è domibus nuper incruſtatis dealbatiſq́ erumpens, aut à paluſtribus lacunoſiſq́ locis, atq́ ha-

rathris, feculentus odor ſublatus uitam præcipitet, cum non propterea reſpirationis uſum impediri ſit neceſſe?? An quia (ut putat Heraſiſtratus) aer in talibus diſpoſitionibus exiſtens tenuis, non poteſt in corpore cõtineri, nec in arterijs. An potius nugatur quidem ille, cum arteriæ non minus tũc plenæ ꝙ cum libere animãs reſpirabat, nulla noxia qualitate aere affecto, eius opinionẽ manifeſte redarguãt. Illud uero magis exiſtimandum eſt, eſſe quaſdam rerum proprietates, ſuapte ui occulta noſtro natiuo calori noxias atꝙ funeſtas, ſicut cõcedimus eſſe quaſdam qualitates, quæ frigus, uel congelationem, uel marcorem, uel membri diſſolutionem ſine aliqua ratione percepta inducere poſſũt. Nec hoc magis mirũ uideri debet quàm ꝙ torpedo immiſſo per tridentem gelu, manus piſcatorum torpore compleat. & marinus lepus à muliere grauida conſpectus, aborſus, nauſeas, redundantiaſꝙ ſtomachi efficiat, homines autem qui eo in paſtu utantur, intereant, & piſcem oleant. aut ꝙ paſtinaca maris illis quos mordeat, uitam adimat, eademꝙ ſi figatur in arbore querna, ſiceeſcat arbor, homo liberetur. quarũ quidem rerũ qualitates tota ſubſtãtia atꝙ ſpecie ut nobis ſunt peſtilentes & aduerſantur, ita aliarum rerũ natura, ut uini, ut frumentorum, ut leguminum, nobis amica & familiariſꝙ eſt atꝙ cognata.

8 Propter quid qui in balneis morantur diſſoluũtur, ſiꝙ amplius perſtiterint, uitam peruertunt? Quia calidiorem aerem inſpirant, cum frigidum oporteret.

9 Sed cur multi ægri cum pluribus diebus continuis ad balneas ſudoribus iudicentur, non tamen uitæ colophonem imponunt? Quia plus adiuuantur humore per ſudores excreto, ꝙ in ſpiratione lædantur.

10 Igitur ex pelui ſubiecta ſi quis calidæ aquæ aſcendentes halitus ore accipiat, perire eum an ſit neceſſe, uel ſi ſolium minime ingreſſus in aere balnearum diutius commoretur? Interibunt ij quidem, ꝙ ſi non contingat, id erit in cauſa, ꝙ multum interſit, ſi quis toto corpore male inſpiret, aut ore ſolo.

11 Quamobrem duplex ille motus calori noſtro natiuo fuit neceſſarius? Quia ſi exterius tantum tẽderet, facile diſtraheretur, diſcuteretur ꝙ. Nam motus ad extra diſſipare, extinguereꝙ eſt natus. Sin uero motum ad intra ſolum ſortitus eſſet, tãdem quieſceret. Vt igitur ſemper mobilis permaneret, uterꝙ ei eſt motus tributus. Nam mediocriter extinctus, & mediocriter accenſus ſemper talis permanet, iugiꝙ motu cietur. Porro motum illum interiorem propter frigidi portionem ex qua eſt contemperatus, obtinuit.

12 Quare quibus oris ſpiratio lodice obducta obuelatur, nõ omnes inter ſuperos deſinunt morari? Quia adhuc non nocetur ſpiritus. tales enim ſunt, quibus frigidus imbecilluſꝙ calor eſt, ſufficitꝙ iis modica, & rara inſpiratio, aſt ubi malum ſpira

data ſpiritu retẽto, intereunt. non ꝙ eius ſubſtãtia deſſiciat, ut mox dictũ eſt ante.

16 Cur autem ſi de aere in cor & arterias ad ſpiritus nutritionem tranſumitur, inſpirationi ſemper æqua eſt expiratio? Quia tãtus fumus egreditur exageratus, intus, ꝗ̃tum de aere decerptum eſt: ut digereretur in uenas.

FINIS.

LIBER DE CORDE ANTONII LODOVICI MEDICI Olyſſipponenſis.

DExtus mihi hodie clariſſimi uiri in hoc cõſeſſu repetẽdus Galenũ tertio artis medicinalis habet auctorem ad hunc modum dicentem. Partiũ quædam ſunt principales., quædam uero ab illis exortæ: nõnullæ autem nec alias gubernant, nec ab alijs gubernantur, inſitas habentes, quibus gubernãt ſe uires, aliæ uero inſitas habent pariter, & influxas. Pro cuius explicatione dicamus, ꝙ cũ ſcopus & intentio naturæ in productione conſtitutioneue particularum animalis fuerit, ut fœtus editus in lucem nutricationem, augmentum, & incrementa ſuſcipere poſſit, & ab omni quoad liceat incommodo, & nocumento ſeruetur incolumis, utq; finem ſuum debitum, ſibiq; conueniens attingere queat, qui quidem ſecundũ Ariſtotelis ſentẽtiam de anima tertio eſt, ut unumquodq; tale progeneret animal, quale ipſum quod procreat eſt, ideo ut decimoquarto de uſu partium Galenus inquit, artificioſiſſima ſimul & eruditione mirabili natura prædita ſatagens & ſollicita de animalium tutela, alias quidem particulas gratia uiuendi fecit, ſicut cerebrum, cor, & epar, alias autem ad ornatum, & opulentiam indidit, ut ſcilicet animal melius & locupletius ingruentia pericula de longinquo præſentire atq; proſpicere poſſit, atq; quæ infenſa pernitioſaq; ſint, auxilio fugæ à ſe amoliatur, quæ uero ſalutaria & commoda uidebũtur, proſequatur. Huic autẽ officio & ſpeculæ uiſus, auditus, & olfactus præfecti & delegati fuere. Rurſus uero natura ipſa inſtrumẽta & organa alia ad ſucceſſionẽ generis & procreationẽ prolis creauit, ueluti pudenda, teſtes & uteros. Temere enim atq; ludibrio ut pulchre Themiſtius ſcribit, tot & tantas animaliũ ſpecies formasq; natura feciſſe uideretur, ni ſuppetias & præſidia eis comparaſſet, quibus quodq; ad finẽ ſuũ peruenire poſſet. Quare ut Galenus primo de naturalibus facultatibus ait, admirationi cuiq; eſſe non debet inſtrumentorum numerus, quæ nutri-

tionis gratia natura condidit, alia namq́ idoneum cuiq́ particulæ nutrimẽtum alterando præparant, alia ſeparant excrementa, alia tranſmittunt, alia ſuſcipiunt, alia expellunt, alia ſalubrium ſuccorum in omnem partem ferẽdorunt ſunt uiæ. Cum ergo Galenus promiſiſſet ſcripturũ ſe notas & iudìtia inſalubrium corporum, nihil autem ſit quod ita bene ſanitatem & ægritudinem indicet & demonſtret, quantum functionum operationumue firmitas, aut læſio preter naturã, ideo & ſi plures aliæ membrorum diuiſiones effici conſtituiq́ poſſint, nunc tamen diuiſionem eam ſolum, quæ propoſito ſuo cõueniens eſt, ſumptam ſcilicet à uirtute membrorum, quæ precipuas operationes in corpore exercent, proſequitur, ex membrorum enim principalium operationibus facile dignoſcetur, ſanum ne an ægritudine aliqua corpus agitetur. Sed reuertamur ad penſum exoluendum. Medici ergo cum animaduerterẽt, ad diuerſa munia exercenda, uaria temperamenta requiri, quæ cum non poſſint in uno membro ſimul ſubſiſtere, propterea ꝙ functiones ab eis perficiẽdæ magno interuallo & interſtitio diſcriminarentur, ideo poſuere membra quædam, quæ propter peculiares temperaturas quas à principio ſortita ſunt, eſſent primordiũ, fons & origo uirtutum, quarum ad numerum, tot mẽbra eſſe principalia dixerunt. Sed in quo conſiſtat membri principatus, cur potius hæc ꝗ̃ illa ſibi dominium uendicarunt, fuit iuniorum ſententia, membrum ideo dici principatum obtinere in corpore, quia ipſum per ſe molitur organum & inſtrumentum, quod alijs à ſe membris impartitur, neceſſarium & requiſitum exiſtens, ſi indiuiduum ſpecieſue ſeruari debeat. Ita ꝙ (inquiunt) ad hoc ꝙ ſit principale requiritur, ꝙ fabricet, & cudat aliquod inſtrumentum, & ꝙ tale neceſſario per ſe & efficienter conueniat ad cuſtodiam animalis, aut generis permanentiã, & hoc pacto uentriculus non dicitur mẽbrum principale, ꝗ̃tũuis generet chylum cremoremue illum requiſitum, ut animalia nutricẽtur. Nam ſuccus ille non eſt organum actiuũ, quo particulæ functiones ſuas exerceãt, ſed ſolum materia nutritionis exiſtit. ad eum modũ pulmones, & ſi procreẽt temperamentum in aere, quẽ conuellunt, & tale ſit requiſitum, ut indiuiduum ſeruetur, ne calor ſcilicet marceſcat, tamẽ ob id non ſortiũtur mẽbri principalis nomenclaturã, quoniam id temperamẽtum non eſt per ſe productiuum ſalutis indiuidui, ſed ex accidenti primum ſcilicet affecto corde, hæc iſti. Nos tamen credimus, (quod & Galenum aſſeruiſſe palam demõſtratur) membra ob id principatum ſortiri, quoniam ad uiuẽdum ſunt neceſſaria, uitamq́ toti animali cuſtodiunt, & hoc ad literã ſexto de uſu partium ſcribitur in hæc uerba. ab utilitate quam corpori præſtat, particula principalis uel non principalis iudicanda & cenſenda eſt, quoniam autem ipſa partium utilitas eſt genere triplex, aut enim ad ipſam uitam aut ad beneuiuendum,

aut ad generis cõſeruationem pars pertinet, eas quidem quæ ad uiuendum ſunt utiles, particulas eſſe principales omnino exiſtimandum eſt, reliqua uero duo genera non principalia ſunt, & ignobilia, quibus tamen horum facile compatiuntur & cõſentiũt partes ipſæ principales, illa minus ignobilia ſunt cenſenda, quibus uero non compatiuntur: ea magis abiecta reputantur. Quod uero de uentriculo & pulmonibus nobis obtrudunt, leuiculum ſane & nullius momenti eſt. dicimus enim uentriculum non ſimpliciter neceſſarium eſſe, ſed ſi per longa temporis ſpatia duraturum eſt animal, quod in latentibus animalibus conſpicitur, permanent namq; & uitam diutius proferunt ſine ullo alimento per uentriculum elaborato. Cum enim imbecillus & pene emortuus calor eis inſit, & illud quod ab eorum ſubſtãtia per halitum digeritur, ferme inſenſile ſit, ob id modico etiam alimento tunc temporis indiguerũt, quod quidem à craſſuſculis quibuſdam humoribus in uenis cõtentis ſibi ſufficere, & parare poſſunt. accedente autem continentis ſtatu calidiore, cum diſcutiat ampliorem portionem ex eorum ſubſtantia, ad quam reſartiendam uenæ non poſſunt tantum alimentum ſufficere, ideo iam ni uentriculus adeſſet qui cibos conficeret, ad interitum animans properaret. Pulmones item non abſolute ad uitam conferunt animali, poſſet enim cor quando diſtinguitur, & dilatatur aerem trahere per aſperas arterias, unde ſibi refrigerium accerſeret, & quando conſtringitur, fumoſos uapores, fuliginoſaq; excrementa repellere, natura tamen pulmonem medium interpoſuit, ut uitam melius ageremus, minuſq; periculis obnoxiam, quod ex Galeno ſexto de uſu partium diſcere cuiuis promptum eſt, ubi ad hunc modum docte & elegãter ſcribit. Laudanda ob id merito naturæ ars eſt, ꝙ non ſtatim nulloq; interuentu aerẽ externum à corde attrahi inſtituit, ſed pulmonem ceu quoddam ſpiritus promptuarium mediũ collocauit. Si enim ex pharinge cor per diaſtolem aerem attraheret, & rurſus per pharinga cũ cõtrahitur emitteret, rythmus & conſonantia reſpirationis cũ pulſu cordis neceſſario fieret, in quibus ingẽtia mala ad beneuiuendum erant animali nocitura, hoc enim ſcilicet non poſſe diu multumq; loqui, non paruũ eſt bene uiuendi impedimentum. ſimiliter & non poſſe ſubire aquas timore ne ſuffocentur, damnum non comparabile facile eſt, non poſſe item per fumum, uel puluerem, aut aerem infectum inquinatumq; ueneni aliqua qualitate, aut animalium putredine, non obturatis naribus ſine reſpiratione procedere, immedicabile lœtaleq; malũ eſſet, quod mortem præſentaneam afferret. Propter hæc igitur natura non ipſum cor ſolum reſpirandi fecit organum, ſed extrorſum appoſuit ei pulmonem, qui uocem efficeret, & ſpiritum præpararet, & ueluti ſaltator quidam mollis (ut Plato dicebat) cordi eſſet futurus, qui propterea ꝙ fiſtuloſus, & foraminulentus factus eſt: ita ut poſſit

magnã aeris copiam cauernulis ſuis includere, ideo fit leuiterq́; cõſequitur, ut poſſit animal diutiſſime & perſepe uti uoce, perſepe autẽ nihil omnino quoties uelit inſpirare, corde nihil impedito nec offenſo. Vt igitur (ea quae diximus) aſtringamus, mẽbra ideo principalia dicitur quoniã ſunt neceſſaria ad uitã, atq́; ob id ab utilitate talia cẽſeri debẽt. quia uero ut aſſerit Galenus primo de uſu partiũ, & pluribus alijs in locis impoſſibile eſt aſſequi utilitatem alicuius particulae, priuſq̃ eius actio ſit explorata, ſed quoties (inquit) eorum quae organis inſunt, uſum propter quem facta ſunt diligenti examini ſubijcere uelis, cauſam actionis diſquirito, quã quidem cauſam, ut plurimũ eſſe propriam partis ſubſtantiam inuenies. nam quiſquis ſe ſufficienter utilitatem partium examinaſſe putat actione prius non expenſa, is in tenebris craſſis hallucinatur, ideo de actione, miniſterio, & uſu membrorum principalium agemus. nullam enim particulam, ut decimoſeptimo de uſu partiũ dicitur, propter ſeipſam habere uolumus, ſuperflua nãq́; ita eſſet, & inutilis prorſus, ſi actione priuaretur, & ſecari potius q̃ amari aptior. Inſtituemus uero ſermonem de uno quoq́; membro principali ſeorſum exordio ſumpto à corde. Eſt ergo ut ſeptimo de anatomicis aggreſſionibus Galenus teſtatur, cor exacte & exquiſite mediũ cõſtitutum inter utrũq́; ſpatium thoracis, inuenit natura nãq́; regionem hanc aptiſſimã fore ad hoc, ut cor tutiſſime ſeruaretur, cum thorax (uelut firmum quoddam ſeptum & ualidiſſimum propugnaculum) extrorſum ei ſit appoſitus. Erat quin etiam ad haec regio illa prorſus utiliſſima, uti pulmo qui ad temperandum cordiſq́; feruorẽ fuerat inſtitutus, undiq́; ipſi circũponeretur, qui illud pinnis (quos lobus uocant) ſeu digitis quibuſdam in circuitu comprehendat, & aequalem & iuſtam undiq́; refrigerationẽ cordi moliatur. Non recte igitur aduertiſſe Ariſt. uidetur, cum tertio de partibus animalium, cor ipſum ad leuam magis declinaſſe aſſeruit. cor (inquit) caeteris animalibus in medio pectore eſt. homini tantum paulo uergit ad leuam, ut eius partis refrigerationem moderetur, & compẽſet, omnium enim animalium maxime homo refrigeratam habet partem ſiniſtram. ſed Galenus quid ſentiat, audire operaepretium eſt. Is ſeptimo de anatomicis aggreſſionibus ita ſcribit. cor inter utrũq́; ſpatium thoracis medium ſitum eſt, & ſi motus eius indicat tanq̃ magis iaceat in ſiniſtris, quoniam ſecundum hanc partem animalis ſinus ſpiritalis conſtitutus eſt. & ſeptimo de uſu partiũ ita illorum opinionem refellit. Eſtimant quidã, non medium exquiſite, ſed in ſiniſtris magis quodãmodo locatũ eſſe cor condecepti, per eum qui percipitur ad ſiniſtrã mãmillã, pulſum ſiniſtri uẽtriculi inibi exiſtentis, qui eſt omnium arteriarum principium, ſed in dextris eius partibus, eſt alius uẽtriculus ad concauam uenam, & epar cõuerſus, propter quem nõ utiq́; in ſiniſtris,

ſed medium perfecte exiſtit, non ſolum huius dimenſionis quæ eſt ſecũdum latitudinem, ſed etiam aliarum duarum, que ad longitudinem & profunditatem thoracis perueniunt. Quantũ enim ſpondyli diſtãt à corde poſtica, tantum antica parte pectus, & q̃tum claues ſurſum, tantum ab eodem deorſum, ſeptum tranſuerſum diapbragmaue ſeiungitur. De ſitu ergo & poſitiõe cordis hæc nobis dicta ſũto, figuram uero eius nunc conſequenter explicemus. Cor turbinatum factũ eſt, & pyramidis reffert figuram, nãq; ex ampla & rotundiore ſuperna baſi incipiens (quam caput eius nominant) deinde paulatim diminuitur, & ſtrictũ & ſubtile inſtar coni fit inferna extermitate, ita ut baſis ſuperiorem locum ſibi uendicet, conus autem inferiorem. Factum rero id ea ratione eſt, quoniam non indigebant æquali ſecuritate omnes cordis particulæ, nempe: quia nec eadem utilitas omnibus cõmiſſa eſt. Partes quæ circa baſim ſũt: principaliſſimæ ſunt, & deſtinatæ uentriculorum origini & explantationi. Nam abſis ipſa in duos uentriculos ſcinditur atq; diſtinguitur, ſiniſtrum ſcilicet (qui & ſpiritualis dicitur) in quo duo ſunt orifitia, per quorum alterum (quod ampliore magnitudine pollet) omnibus arterijs corporis continuatur, & uim pulſificam impartitur. per alterum minus à pulmonibus flabra refrigeriumq; ſuſcipit. Diuiduur & in dextrum (qui & ſanguineus appellatur) in quo ſimiliter duo tenuiſſima oſcilla, atq; exiles admodum meatus babentur: quorum unum ex uena caua, quæ à gibbis iocinoris partibus ortum trabit, ſanguinem in cor introducit. per reliquum autem cor ipſum pulmonibus ſanguinem elaboratũ dimittit, ut eis beneficium euentationiſq; gratiam repẽdat. Quoniam uero dignum ratione, ac notabili magnitudine unũquodq; prædictorũ uaſculorum & pororũ præditũ eſt, rationabili iuſtaq; admodũ de cauſa, & cor ſecundũ has partes maximum factum eſt. Ipſe autem inferior finis explantatio quædam fortis & denſa exiſtit, ſimul quidem uelut operculum uentriculis eius facta: ſimul autem uelut propugnaculũ totius cordis, ne in uebemẽtioribus motibus incidens uiolentior in præiacentia thoracis oſſa impediatur, doleatq;, & propterea cogatur corrumpere & confundere rytbmum & conſonantiam motus. Hæc itaq; pars cordis ignobiliſſima & abiectiſſima eſt, cumq; nullum ab ea uaſculũ oriri deberet, in turbinatam figuram producta eſt: quæ uero ſuperior à qua uentriculi oriuntur, omniũ principaliſſima eſt, atq; bæc quidẽ eſt ratio, cur cor conoidès, & piramidale effectũ eſt. Futilima uero & uulgaria reſponſio, cor ideo banc obtinuiſſe figuram comprobantium, quoniam igneam ſit naturam ſortitum, cum ſi ita ſit, ut dicere audent, deberet mucronẽ cuſpidemue ſurſum, deorſum uero abſidem babere. ſed inepta alijs carpẽda relinquamus. Porro illud adnotandum ſũmopere eſt, ꝙ cum dicat Galenus partem aliquam

in corde ignobilem,uiliſſimamq́ eſſe,nullus ſimpliciter ignobiliſſimã intelligat. Nec enim eſt pars aliqua corporis,quæ nõ ſit pricipalior omnibus tibiæ & manus particulis,ſed principales quidem ſimpliciter ſunt omnes: quia uitam primario influxu tuentur,deinde ad ſe inuicem comparatas,hanc quidem earum magis,hanc autem minus talem eſſe intelligendum eſt. Sed conferamus pedem,accedamuſq́ iam propius: diſſeramuſq́ de numero uentriculorum cordis,quoniam non alienũ à noſtro inſtituto negotiũ hoc eſt. Cor duos ſpecus, uel ſinus,uel folliculos (utcũq́ enim nominare licebit)obtinuit. ſiniſter altiorem ſitum obtinet, & ſurſum aſcendit , dexter depreſſiorem ſibi locum conſciuit, multoq́ deſinit inferius:uerũ circumſcriptionẽ propriam ſepius habet , & paribus cũ ſiniſtro uentriculo ſedibus ſpectatur. magis quidem in animalibus magnis, ut bobus,equis , & camelis , multoq́ magis elephantis. quãdoq́ tamẽ & in paruis . Vnde quidam(ut ſeptimo de anatomicis aggreſſionibus dicitur)cum gallũ dijs ſacrificaret,inuenit cor duos uertices habere. nam dexter ſpecus ſe tollebat in altum:quare augurium ratus,nuntiat Galeno ſe dijs ſacrificando,duo corda inueniſſe in uno animali. Verũ nec duo erant(ut putabat)ſed dextri ſublimis apex,circũſcriptionẽ habebat propriã. Sed nõ abſurdũ fuerit quid Ariſtoteles de numero uentriculorum cordis ſcripſerit , meminiſſe. is igitur tertio de partibus animalium capite quarto ita infit. Ventriculum triplicem cor magnorum animalium habet:duplicem minorum, unum ad poſtremum,nullumq́ eſt quod ſine ullo uentriculo conſtet. In eundem errorem incidit & Plinius undecimo de naturali hiſtoria dum ait. ſinuoſo ſpecu cor eſt, & in magnis animalibus duplici: in nullo non gemino. Hæc iſti paulo oſcitantius,illorum tamẽ ſententiã pulchre Galenus ſummus auctor reprobat ſexto de uſu partium, quã obrem facturum me hoc loco plane operæpreciũ arbitror: & ſi uerba Galeni pretexuero,ubi is de Ariſtotele(quẽ ut imbecillum pullum maiora animalia: diſcerpit,atq́ dilaniat)ouationẽ,triumphũq́, atq́ trophæũ actitare uidetur. Non recte(inquit)Ariſtoteles diſtinguebat multitudinem uentriculorum cordis,ad magnitudinem & paruitatem corporum reducens eorum numerum , nec enim maximis quibuſq́ animalibus ſunt tres , nec minimis eſt unicus . eandem enim ad unguem & exacte habet cordis conſtitutionem ſtructurãue maximus equus cum minimo paſſere, & ſi murẽ diſſecueris ſiue bouem, ſiue aliquod aliorũ animalium,uel minus adhuc mure, uel maius boue,omnibus ipſis numerus eſt æqualis uentriculorum, & reliqua conſtructio cordis eadem, nec enim magnitudinem, & paruitatẽ corporis reſpiciens natura: permutat organorum formã,ſed actionum differentia, ſcopus illi & intentio in conſtructione particularum habetur,ipſaſq́ rurſus actiones propter utilitatẽ ueluti finem inſtituit. Vnde ordo

quidam

quidã efficitur mirabilis, cũ ſibi inuicẽ ſuccedant actiones & utilitates. Quãobrem multum adeo conuellenda illis eſt auris, qui aliam & diuerſam ingentium & paruorum animalium conſtructionem arbitrantur: aut alias demum particulas in hijs reperiri, quæ alijs non fuerint cõceſſæ ſibi perſuadent, cum ratio exigat, ꝙ omnium animalium, quæ per ſpirationes uitam conſeruant: eadem ſit uiſcerum poſitura, idẽꝙ numerus: quia par eſt utrobiꝙ finis neceſſitas. Sic igitur Galenus anteaꝙ elephantum ſpectaſſet, ad cuius diſſectionem ſpectaculo edito Romæ conuenerat, nullum diſcrimen repertum iri in uiſceribus illius tam uaſtæ molis audẽter conſtanterꝙ aſſeuerauit, & illuc cum diſcipulis profectus: admirantibus cunctis oſſis magnitudinem, (quæ tamen latuerat medicos) ipſe in medio corde os illud oſtẽdit. Ex quo receptus iampridem error reuincitur illorum qui ceruino tantum cordi os illud aſcribunt, quod in omni animali adeſſe (ſi modo auris uitalibus ueſcitur) neceſſariũ eſt, ut ſit aliquid, cui ceu fundamento (ueluti retinaculis rudentibuſꝙ ad petram nauis alligatur) membranarum radices, arterialiumꝙ uaſorum exortus innitantur, quos ſequi debet, qui ſcindere reperireꝙ os illud uelit: quod penes cordis umbilicum, mediumꝙ eſt. Non iniuria ergo (me hercules) Galenus Ariſtotelẽ naſo ſuſpendit adunco, deriſuiꝙ habet, cum dicat maiora animantia tribus uentriculis prædita, minoribus duplicem ineſſe. Si enim ita res haberet, bonum profecto ſimiliter eſſet, ſi & manuum digitos ampliores facti plures, breuiores autem, pauciores haberemus. Vnde naſceretur riſu digniſſimũ ſpectaculũ, cum tres uerbĩ gratia digitos haberet thersites, aiax ſeptẽ, & plures adhuc iis achilles acupedius. alcides autem (uti puto) ingẽs lõgiſſima nocte genitus (cũ Phœbus per triplicẽ diem radios nõ miſit tellur) numeroſiores iulorũ, Polyporũꝙ, ſeu aſellorum (qui ſub hydrijs aquarũ naſcũtur) pedibus poſſideret. Elephas autẽ par eſſet (opinor) ut quatuor crura ſortiretur, tria tantum bos, equs duo, aſinus uno pede uiueret cõtentus. Sed iã hæc quæ riſũ doctis excutiũt, obliuiſcamur, redeamuſꝙ illuc unde deductus fuit ſermo. Cũ binos cor habeat uentriculos, uti præcedens ſermo expoſuit, piſcibus tantum ſiniſter uentriculus habetur, nec in dextris eſt aliqua amplitudo, quia nec pulmones iis tributi fuerunt, quorũ gratia dexter uentriculus conſtitutus eſt, & propterea quibus animalibus non eſt pulmo, nec cor habet in iis duos uentriculos, ſed ſolum eum qui omnium arteriarum motus dux eſt. piſcibus autem cũ nullatenus uti poſſent uoce, ut qui in profundo pelago, imiſꝙ gurgitibus eſſent uicturi) quibus aſſiduo natant & demerguntur) ita ut aerem ad refrigerationes conuellere non poſſint, tum etiam cum frigidiori ſint temperatura prædití, aut enim nullum aut omnino paucum ſanguinem habent, ob id nec cor eorum indiget magna refrigeratione, nec eis pulmo fuit factus,

ſed conſtructio branchiarum quæ uocantur: ipſis pro pulmone miniſtrat. Sunt enim multis & ſubtilibus foraminibus branchia hæc pertuſa & perforata, quæ quidem aeri & uapori ſunt peruia, anguſtiora autem q̄ ut aquæ craſſitudini pateſcant. Gratia igitur pulmonis cordis dexter uentriculus comparatus à natura eſt, cum enim pulmo egeret nutrimento, ſanguis ei à cordis dextro uẽtriculo mittitur, tanq̄ retaliatio, & retributio quædam, & ueluti hoſtimentum, & beneficij premium offertur, pro ſpiritu euẽtationeue, quam ab illo ſuſcepit. Sed occurrit hic nobis prius quæſtio illa imprimis diſcutienda, de ordine productionis membrorum principalium, nam cum à multis hucuſq; ſit pertractata, nec ulla ſit, quæ frequẽtius à medicis in ore habeatur, nullus adhuc quæſitam ueritatẽ aſſequi adinuenireq; potuit, ſed porro omnes, ab alboq; declinarunt, dum pari cõſenſu pedibus manibuſq; ſine ulteriori examine, in ſentẽtiam Ariſtotelis diſcedũt, dicentis, cor primũ omniũ conformari. Nos uero ex Galeni theſauris, quem ſemper ſecuti ſumus, cuiuſq; arculas atq; myrothetia reuoluere ſumus aſſueti, totam hanc diſquiſitionem breuiſſime nulla inuidia abſoluemus: quidq; pro comperto & explorato habendum ſit, planiſſime exponemus. Voluit ergo Ariſt. cor primũ omniũ generari, atq; ab illo deinde reliqua omnia membra produci, perinde ac ſi cauſa illa atq; auctor ſimulac illud uiſcus effinxiſſet, exiens à cõceptu illi demãdaſſet, atq; præſcriberet, ut alia etiã reliqua generaret, ait præterea ipſũ ueluti filiũ emãcipatũ à patre, regere ac diſpenſare totũ corpus. Sed præſtiterit uerba ipſius ex ſecũdo de generatiõe animaliũ apponere, ut dilucidius quid grauis philoſophus ſenſerit: innoteſcat. Cor (inquit) primũ actu ſecernitur, quod nõ ſolũ ſenſu ita fieri cõſtat, uerũ etiam ratione. cum enim abiunctũ iã eſt, ipſum gerere, gubernare, & diſpenſare debet, perinde quaſi filius à patre emancipatus, ſeorſumq; collocatus. Itaq; principiũ haberi oportet: à quo etiã poſt ordo membrorum deſcribatur: quapropter cor primum diſtinctum in omnibus inſpicitur animalibus, quæ ſanguinem habent. id enim principium eſt & ſimilarium, & diſſimilarium partium, & rurſus. Fit autem primo principiũ quod in ſanguineo genere cor eſt, in cæteris proportionale, idq; effici primum non modo ſenſu percipitur, ſed etiam q. per obitum uita hic ultimo defficit. Euenit namq; in omnibus, ut quod ultimũ fit, id primum defficiat: & quod primũ, id ultimũ. quaſi natura cõuerſionẽ reducem agat, & ad carceres unde prorupit: redeat. hactenus Ariſt. ubi tria non ſubobſcure ſentire uoluit: quorũ primũ eſt, q. cor primũ omniũ cõformatur, q.q; id & ſenſu & ratione non obſcure percipitur, ſecũdũ q. ab ipſo utpote quod primo ſit genitũ, reliqua omnia exoriantur & diſpẽſentur, tertiũ q. ultimo uita defficiat in corde. Verũ ſi ueritati potius, q̄ homini patrociniũ feramus, in om-

nibus hijs tribus Ariſt. deceptũ eſſe atq; hallucinatum non indigne pronũtiabimus. Nam quod ait cor primũ actu ſecerni: apparere ad ſenſum, falſum id eſt, nec enim in aborſibus, qui primo menſe protrudũtur, aliquid perſpicuo manifeſtoue ſuper ea re poſſumus doceri, quoad fœtus inarticulatus permanſerit: & hoc ſiue diſſectio in homine, ꝗ in animalibus hominũ ſimilibus exerceatur, quando autem dearticulari incipit cõceptus, ut apparet in aborſibus poſt tertiũ menſem exploſis, licet aliæ partes circũſcriptionem manifeſtã non habeant, prope ſe tamen inuicem collocatæ hæ tres animalis particulæ uidentur, iecur ſcilicet, & cor, & cerebrum, in quibus iecur reliquis ambobus maiori quantitate præminet, multoq; ab illo cor & cerebrum in magnitudine relinquuntur. non ergo ſatis cõſtare poteſt, quando cor primo incipiat cõformari. Sed & ratio conuincit, nullã particulã fœtus intrinſecã fieri poſſe priuſꝗ duæ uenæ, & duæ arteriæ quæ umbilicũ cõſtituũt, producantur. Egebat quippe unaquæq; particula fœtus tam in primo ortu atq; cõceptu, ꝗ in omni poſt hæc eius diſpenſatione cõuenięti alimẽto. nullũ autẽ ſãguine aut aptius aut cõuenientius eſt, quod ſibi à matrice per aliqua uaſa peruenire neceſſe eſt, ſi illa debeãt generari: ergo uaſa per quæ ſanguis à pregnante cõuellitur ad generationẽ uiſcerũ, prima omnium cõformabuntur. Quòd ſi uelit illud quod primo cõformatur, reliquas ſubinde producere particulas, periclitatur bonus Ariſt. ne uenas & arterias quæ in primis generantur, alia quoq; membra producere confiteatur: quod adeo abſurdũ eſt, ut impugnatione non egeat. tenendum ergo eſt ꝙ uenæ & arteriæ umbilicales primæ omniũ generantur ex ſeminis genituræue ſubſtantia. cum enim eorũ corpora alba ſint & ſanguinis expertia, ex nullo cõmodius ꝗ ex ſemine poterãt generari, ut pote quod ex ſeipſo multum lentum, & glutinoſum exiſtat. Poſt uero arterias & uenas primum quod conformatur & effingitur eſt epar, celerrimam nãq; habet hoc uiſcus ex ſanguine generationem: ut pote quod ſubſtantiam illi perꝗ ſimilimam obtinuerit, ſi enim ſanguinem ex uena ſecta profluentem in aquam mediocriter calentem incidere permiſeris, illiq; epatis ſubſtantiam contuleris, prorſus adſimilem concretionem, coagulationemq; habere deprehendes. hoc itaq; membrum facillime coagulatur, atq; compingitur, nam ſolum ob id ꝙ uteri corpore foueatur, hoc patitur. unde & hac de cauſa quia ſcilicet primo productum eſt, proximius utero grauidæ alueoq; locatũ eſt iecur. Præterea cũ (ut medici omnes & philoſophi non uulgaris nominis teſtantur: qui nõ drachmæ illius Socraticæ diſciplinã conſecuti ſunt) fœtus quouſq; ſit perfecte conformatus, plantarum ritu moreque diſpenſetur, manifeſto conſequitur, eum nec arteriarum beneficium in primordio generationis neceſſario requirere, nec pulſuum, nec cordis opera indigere, quẽadmo-

*dũ nec plantæ. Sed operæpretium eſt ut conceptus ad inſtar caudicis, truncíq; ſti-
pitis, in primo quidem tempore breuiſſime augeatur, cũ autem iam manifeſte cœpe-
rit dearticulari, maius incrementum ſuſcipiat, & tandem maximum, cum iam inte-
gre fuerit dearticulatus. plantarũq; uitam per omne id tempus, altus ſcilicet, inau-
ctuſq;, ſolummodo peragat. Poſt uero epatis productionem, cor deinde conforma-
tur, deinde cerebrum, quod recta ratione poſterius omnibus factum eſt, quoniam
ſcilicet nihil conceptum animal cerebro indigeat, cum nec uidere ipſum oporteat, nec
audire, nec guſtare, nec olfacere, nec ſenſationem tactiuam intus exercere, ſed nec ut
manibus, pedibuſue aliquid operetur, aut munus aliquod ab electione procedens
obeat, nedum ut phantaſiam, aut eſtimatricem facultatem, aut memoriam exerceat,
ulla neceſſitas cogat. Poſterius igitur aliquanto cum cerebrum, tũ uero omnes fa-
ciei particulæ conformantur, ipſumq; os capitis omnibus alijs oſſibus poſterius
coagmentatum, compactumq; eſt. & ob id iuxta ſinciput adeo imbecillum & exile
eſt, ut in nuper natis infantibus cerebri motum non ſolum tactu, ſed etiam uiſu per-
cipere liceat. Quo fit ut altricis quidem animæ officijs pueri ualẽtiſſimis utãtur, ſe-
cũdario uero quoad robur ijs quas à corde accipiũt, iã autẽ imbecillibus ijs quæ à ce-
rebro præſtãtur. ut qui nedũ currere aut ingredi, ſed nec erecti cõſiſtere poſſit. mul
to autẽ magis, nec quid ex cõferentibus coniectare, uel diſcere, uel memorari, aut ali-
cuius ſenſilis affectionis, uel logicæ ſpeculationis habeãt. atq; hunc ordinem produ-
ctionis trium membrorum principalium non ſolum in pulcherrimo illo libro de cõ-
formatione fœtus Galenus ita ſe habere teſtatus eſt, ſed & decimoquito de uſu par
tium id perſpicuo inſinuauit: ubi in hanc ſcribit ſentẽtiam. Eſt autem non minus ad-
miratione digna magnitudo epatis, in embrijs ſtatim, & inter initia quando primũ
eſt euidẽter & liquido uidere unãquãq; particularũ fœtus cõformatã, ſed nõ minus
& uſq; ad partũ, magno quidẽ igitur & ampliori metro in proportione & reſpe-
ctu ad alia ſuperexcedit iecur in primis tẽporibus, non parũ autẽ nec quad cõtemnen
dum, & uſq; quo tẽpus pariendi appetat. cõſequenter uero cerebrum & cor magni-
tudine ſuperant, in ordine ad reliqua membra. hoc autem ideo euenit quoniam uena-
rum quidẽ principium epar eſt, arteriarum autem cor, neruorum uero cerebrum.
Par igitur erat, ut quẽadmodum domui fundamina, nauigio carinã, templo crẽpi-
nẽ, huiuſmodi artifices primũ pangentes, deinde ſuper ijs tuto opifitia erigũt, ad eun-
dem modũ natura animaliũ, à proprio & peculiari pricipio tuto & ſecure cõpacto
uniuquodq; uaſorũ genus producẽs, ĩ totũ corpus deriuaret atq; protẽderet. Quoniã
uero concepto animali maior ſit uenarum neceſſitas & indigẽtia, ut pote quod ad
multum tempus plantarum ritu deſpenſetur, ideo harum principium confeſtim à*

primo genitu ualidiſſimum operata eſt. cerebro enim & cordi, & organis quæ ab iis enaſcũtur, uenarũ eſt uſus neceſſarius cum ſine ſanguine, nec generari, nec augeſcere poſſint. at uero iecur, & uenæ nutricationis inſtrumenta, arterijs quidem parum, neruis autem nihil omnino indigent, priuſq; perficiatur animal. Hijſce igitur de cauſis natura magnum & ualidum ſtatim ab initio uenoſum genus confecit, ſuper hijs autem aliorum utrumq; augere præ alijs incepit. Falſum igitur eſt quod Ariſtotelles dicebat cor primũ omniũ cõformari. Sed nõ minus turpe quoq; eſt quod ſecundario uoluit, ab eo reliqua omnia membra produci, & gubernari, cum nec ipſum primum generari appareat manifeſte, quin potius in omni naturæ ita uſu eueniat, ut idem artifex operetur cum primam opifitij partem, tum uero reliqua omnia uſq; ad complementum, at qui uenas & arterias à genituræ ſeminiſue ſubſtantia cum palam ſit generari, liquet igitur & q; ab ipſomet, ueluti à Praxitele, aut Polycleto (qui pulcherrimum illud opus quod canonem uocant, & ſingulas eius partes delineauit) reliqua alia membra conformantur. Maxime autem in hoc philoſophi omnes aberrant, qui putant particulam quæ primo producitur, ipſam quoq; alia membra generare, hanc autem eſſe cor: multum adeo falſi atq; decepti in utraq; hypotheſi, & pronunciatione, nec enim à mẽbro quod primo effingitur, reliqua conformantur. nec cor primum producitur. Verum ut illis liberaliter concedatur, non ſolum primum omniũ cor produci, ſed & ipſum reliquas particulas cõformare, non tamen neceſſario ex iſtis cõſequitur, ut operationes quæ ſunt in animalibus iam perfectis, ab eo gubernentur & prouideãtur, nec enim dictu par eſt, uel generationis, uel diſpenſationis principium eſſe quid. Secundũ enim ſingula corporum & artium genera, alia habentur generationis principia, alia autem diſpenſationis, alij autem enim urbes edificant, excolunt autem atq; gubernant alij quẽadmodum & naues (opinor) & omne aliud quoduis alij quidem fabricant, alij uero cõmode opifitijs iam perfectis fruuntur. Faber nauiculam & radium pangit, utitur tamen textor. Similiter & terebram ferrarius artifex fabricat, quo lignario ſit opus atq; uſus. Nomina quin etiã (ut Plato in Cratilo affert) nominũ auctor (prout cõuenire cenſet) imponit, quibus tamen dialecticus hoc eſt qui & reſpõdere & interrogare aptius nouit, utatur. Sic & in potẽtijs & facultatibus uitæ noſtræ munera diſpẽſantibus, ratio q̃uis omniũ poſtrema & fiat, & perfitiatur, ſimul tamen ipſa imperat, & hominũ uitã atq; mores expẽdit ad libram. Deniq; ut iam totam hanc queſtionem terminem, quod tertio loco ab Ariſtotele dicebatur, cum animal extinguitur, cor ultimũ defficere, id philoſophicis auribus indignum & omnino temerariũ reputo, nam cũ ipſum ſit fons & principiũ caloris, &

efferueſcere ſemper oporteat: reliquis ſatis ſit, ſi uel modico calore participent,
& deniq; cum cor ſolummodo per reſpirationem ſuum calorem tueatur: alijs
membris duplex ſit cuſtodia, & pulſus ſcilicet, qui eſt ueluti quædam reſpiratio,
& id quod illis ex abundantiore naturæ gratia à corde confluit, liquet profecto,
ꝙ quando ad interitum animans feſtinat, cor primum corrumpi, cum pautiora ad
ſe tutandum habeat præſidia: nec fieri poſſit, ſi cor integra ualitudine fruatur,
quin & reliqua membra, ſi nil aliud obſtet, uiuant, & ſanitatem habeãt. Præterea
ſi animans moriatur ob ægritudinem calidam, palam eſt cor primo debere mori,
cum in eo cum ſit fons caloris, magis calor efferueſcat, at ſi ob frigoris noxam
moriundum ſit, conſtat itidem ipſum primo debere corrumpi, quia magis de calo-
re ad hoc ut conſeruetur, requirat. Sic igitur quando in procinctu ſtat aties, & pi-
la minantia pilis, aut etiam pugna iam conſerta commiſſaq; eſt, licet omnis inimico
enſe popellus cadat, & uulgaris turba ingenti ſtrage diſperdatur, dum tamen rex
ſuperet, adhuc uictoria in ancipiti eſt, at ubi ſupremus militiæ dux fuerit inter-
ceptus, cui fides in bello præcipua, mox totus trepidus pauet exercitus, & terga uer
tit, fugamq; capeſſit, & tandẽ palantes duce perempto interimũtur cũcti atq; diſſi-
pantur. Nec mirandum quid eſt (ut inquit Galenus) quin potius ueniam igno-
uiſſe decet, ſi plurima circa diſſectiones Ariſto. deliquerit, ut qui propterea ꝙ in-
exercitatus fuerit in anatomijs, errauerit & fuerit deceptus. Sed ut iam redeamus
illuc unde obambulauerat ſermo: cor totius caloris qui in corpore reperitur, fons eſt
& origo, atq; auctor, à quo per arterias in totũ corpus ſcaturiunt, & deriuãtur,
ceu per quoſdam ductus atq; canales, ſanguis & ſpiritus: quis cum membra ſuas
functiones exerceant: firmiſſime namq; illud tenendum eſt non poſſe particulam ali-
quam ſine caloris adminiculo ſua munia commode adminiſtrare: nec uiuere anima-
lia ſine calore, hoc uoluit Galenus, hoc Hippo. hoc omnes medicorum filij clamitãt,
hoc omnes recte philoſophãtium ſchola perſonat. Ariſt. certe toties id pronuncia-
uit ut ſi non credas, cõmittas piaculum: mihi uero ex multis paucula quædam retu-
liſſe ſat erit. Is igitur & ortum & uitam in libro quem de ea edidit. ſic diffiniuit,
ortus igitur eſt prima uegetatricis animæ cum calore participatio, uita uero mora
eius. obitum contra finiuit dum ait, obitus atq; corruptio uiolenta quædam caloris
extinctio, aut marcor, ijs enim de cauſis calor extingui ſolet. & rurſus. omnibus igi
tur corruptio obuenit ob caloris deffectũ, & in libro de adoleſcẽtia & ſenectute. oĩa
uiuẽtia (inquit aĩam ſortita ſũt, quæ nequaq̃ abſq; naturali calore eſſe poteſt. por-
ro animalium partes omnes totũq; corpus calorem quendã naturalẽ inſitum habent,
quocirca dũ uiuũt calida apparẽt, dũ mortua ſũt, atq; uita deſtituta cõtra. neceſſum

eſt itaq; uitam & incolumitatem caloris, item mortem & eiuſdem corrupionem ſimul eſſe. Preterea ſi animal uicturũ ſit, opus ei eſt, ut alimentum cõficiat, & decoquat, quo ſuperato id ad ſuam ſubſtantiam conuertat; atqui lucidum & obuium cuiuis eſt, cõcoctionem caloris naturalis ope prouenire. Quo circa cum indiguiſſent uiuentia quodam calore, quo uitam tuerentur, & functiones ſibi delegatas obirent, oportuit continuo productionem talis fieri caloris, ni enim reſarciretur: uita ſtare neutiq; poſſet, depaſcitur enim calor aſſiduo, & deuaſtat humidum, ad cuius perditionem ipſe tandem manum dat, & ſuccumbit, ꝙ ni reſtauratio auxiliares copias afferret, uita noſtra breuiſſimo tempore produceretur, noſq; inter diaria & ephemeria animantia eſſemus computandi. Vt ergo nos uiuaces eſſemus, nec dulce nobis periret libareturq; æuum, & particularum quæq; operi incumberet, & uacaret, cor ipſum natura inſtituit, eiq; caloris officinam delegauit, utq; indies calorẽ moliretur, & ad ſingula membra tranſmitteret, operata eſt. quippe id uiſcus naturæ, tum omnium animalis particularum maxime ſanguineum, tum calidiſſimũ eſt. ut Galenus primo de temperaturis aſſeruit. quod etiam uel ſenſu tibi dignoſcere licet: ſi enim animali iam mortuo uelis alterutro uentriculorum eius adaperto, & præcipue ſiniſtro in eum digitum ſtatim mittere, magnum inibi calorem deprehendes, & longe maiorem q̃ in alijs ſit partibus, dum modo pro naturæ ratione ſe habeant. nam par huic caloris portio, ut cordi eſt minima, ſic reliquis partibus eſt omnino magna. hoc eſſe uerum idem Galenus libro de inæquali intemperie aſtipulatur dum ait. fiunt eæ omnes inæquales intemperies maxime quidem inflammato eo qui in inflammatione eſt ſanguine, deinde eo qui in uiſceribus & corde habetur, atq; huius maxime, eo qui in ſiniſtro eius ſinu eſt, in quem ſi uiuo etiam num animante, nec adhuc febre tentato, manum demiſeris: uehementiſſimum inuenies calorem, quomagis ueriſimile eſt, ubi totum corpus præter naturam incaleſcit, hunc maxime ſinum ad ſummum peruenire caloris, cum tenuiſſimum maximeq; ſpirituoſum ſanguinem habeat, & moueatur perpetuo. Quamobrem de Ariſtotele merito quis admiretur ponente dextrum ſinum cordis calidiorem eſſe ſiniſtro, cum tertio de partibus animalium hæc dicere ſuſtinuit. dexter plurimũ ſanguinis & calidiſſimum cõtinet, quamobrem pars corporis dextra calidior, ſiniſter parum idq; frigidiſſimum, medius mediocrem, tum copia, tum calore, ſed puriorem. hoc ſiquidem abſurdiſſimum eſt, nec fieri poteſt, quin ſi quis hæc deffendere uelit, magnum riſum & ludibrium debeat. Sanguis enim dextri uentriculi, & ſi plurimus ſit, non tamen calidior, nuper enim fuſus in ipſum per uenam cauam ab epate, cum nondum ſit conſecutus ſupremam concoctionem & elaborationem, non poteſt eſſe

efferueſcere ſemper oporteat: reliquis ſatis ſit, ſi uel modico calore participent, & deniq; cum cor ſolummodo per reſpirationem ſuum calorem tueatur: alijs membris duplex ſit cuſtodia, & pulſus ſcilicet, qui eſt ueluti quædam reſpiratio, & id quod illis ex abundantiore naturæ gratia à corde confluit, liquet profecto, ꝙ quando ad interitum animans feſtinat, cor primum corrumpi, cum pautiora ad ſe tutandum habeat præſidia: nec fieri poſſit, ſi cor integra ualitudine fruatur, quin & reliqua membra, ſi nil aliud obſtet, uiuant, & ſanitatem habeāt. Præterea ſi animans moriatur ob ægritudinem calidam, palam eſt cor primo debere mori, cum in eo cum ſit fons caloris, magis calor efferueſcat, at ſi ob frigoris noxam moriundum ſit, conſtat itidem ipſum primo debere corrumpi, quia magis de calore ad hoc ut conſeruetur, requirat. Sic igitur quando in procinctu ſtat aties, & pila minantia pilis, aut etiam pugna iam conſerta commiſſaq; eſt, licet omnis inimico enſe popellus cadat, & uulgaris turba ingenti ſtrage diſperdatur, dum tamen rex ſuperet, adhuc uictoria in ancipiti eſt, at ubi ſupremus militiæ dux fuerit interceptus, cui fides in bello præcipua, mox totus trepidus pauet exercitus, & terga uertit, fugamq; capeſſit, & tandē palantes duce perempto interimūtur cūcti atq; diſſipantur. Nec mirandum quid eſt (ut inquit Galenus) quin potius ueniam ignouiſſe decet, ſi plurima circa diſſectiones Ariſto. deliquerit, ut qui propterea ꝙ inexercitatus fuerit in anatomijs, errauerit & fuerit deceptus. Sed ut iam redeamus illuc unde obambulauerat ſermo: cor totius caloris qui in corpore reperitur, fons eſt & origo, atq; auctor, à quo per arterias in totū corpus ſcaturiunt, & deriuātur, ceu per quoſdam ductus atq; canales, ſanguis & ſpiritus: quis cum membra ſuas functiones exerceant: firmiſſime namq; illud tenendum eſt non poſſe particulam aliquam ſine caloris adminiculo ſua munia commode adminiſtrare: nec uiuere animalia ſine calore, hoc uoluit Galenus, hoc Hippo. hoc omnes medicorum filij clamitāt, hoc omnes recte philoſophātium ſchola perſonat. Ariſt. certe toties id pronunciauit ut ſi non credas, cōmittas piaculum: mihi uero ex multis paucula quædam retuliſſe ſat erit. Is igitur & ortum & uitam in libro quem de ea edidit. ſic diffiniuit, ortus igitur eſt prima uegetatricis animæ cum calore participatio, uita uero mora eius. obitum contra finiuit dum ait, obitus atq; corruptio uiolenta quædam caloris extinctio, aut marcor, ijs enim de cauſis calor extingui ſolet. & rurſus. omnibus igitur corruptio obuenit ob caloris deffectū, & in libro de adoleſcētia & ſenectute. oīa uiuētia (inquit aīam ſortita ſūt, quæ nequaq̄ abſq; naturali calore eſſe poteſt. porro animalium partes omnes totūq; corpus calorem quendā naturalē inſitum habent, quocirca dū uiuūt calida apparēt, dū mortua ſūt, atq; uita deſtituta cōtra. neceſſum

eſt itaq; uitam & incolumitatem caloris, item mortem & eiuſdem corrupionem ſimul eſſe. Præterea ſi animal uicturũ ſit, opus ei eſt, ut alimentum cõficiat, & decoquat, quo ſuperato id ad ſuam ſubſtantiam conuertat; atqui lucidum & obuium cuiuis eſt, cõcoctionem caloris naturalis ope prouenire. Quo circa cum indiguiſſent uiuentia quodam calore, quo uitam tuerentur, & functiones ſibi delegatas obirent, oportuit continuo productionem talis fieri caloris, ni enim reſarciretur: uita ſtare neutiq; poſſet, depaſcitur enim calor aſſiduo, & deuaſtat humidum, ad cuius perditionem ipſe tandem manum dat, & ſuccumbit, q̃ ni reſtauratio auxiliares copias afferret, uita noſtra breuiſſimo tempore produceretur, noſq; inter diaria & ephemeria animantia eſſemus computandi. Vt ergo nos uiuaces eſſemus, nec dulce nobis periret libarieturq; æuum, & particularum quæq; operi incumberet, & uacaret, cor ipſum natura inſtituit, eiq; caloris officinam delegauit, utq; indies calorẽ moliretur, & ad ſingula membra tranſmitteret, operata eſt. quippe id uiſcus naturâ, tum omnium animalis particularum maxime ſanguineum, tum calidiſſimũ eſt. ut Galenus primo de temperaturis aſſeruit. quod etiam uel ſenſu tibi dignoſcere licet: ſi enim animali iam mortuo uelis alterutro uentriculorum eius adaperto, & præcipue ſiniſtro in eum digitum ſtatim mittere, magnum inibi calorem deprehendes, & longe maiorem q̃ in alijs ſit partibus; dum modo pro naturæ ratione ſe habeant. nam par huic caloris portio, ut cordi eſt minima, ſic reliquis partibus eſt omnino magna. hoc eſſe uerum idem Galenus libro de inæquali intemperie aſtipulatur dum ait. fiunt eæ omnes inæquales intemperies maxime quidem inflammato eo qui in inflammatione eſt ſanguine, deinde eo qui in uiſceribus & corde habetur, atq; huius maxime, eo qui in ſiniſtro eius ſinu eſt, in quem ſi uiuo etiam num animante, nec adhuc febre tentato, manum demiſeris: uehementiſſimum inuenies calorem, quomagis ueriſimile eſt, ubi totum corpus præter naturam incaleſcit, hunc maxime ſinum ad ſummum peruenire caloris, cum tenuiſſimum maximeq; ſpirituoſum ſanguinem habeat, & moueatur perpetuo. Quamobrem de Ariſtotele merito quis admiretur ponente dextrum ſinum cordis calidiorem eſſe ſiniſtro, cum tertio de partibus animalium hæc dicere ſuſtinuit. dexter plurimũ ſanguinis & calidiſſimum cõtinet, quamobrem pars corporis dextra calidior, ſiniſter parum idq; frigidiſſimum, medius mediocrem, tum copia, tum calore, ſed puriorem. hoc ſiquidem abſurdiſſimum eſt; nec fieri poteſt, quin ſi quis hæc deffendere uelit, magnum riſum & ludibrium debeat. Sanguis enim dextri uentriculi, & ſi plurimus ſit, non tamen calidior, nuper enim fuſus in ipſum per uenam cauam ab epate, cum nondum ſit conſecutus ſupremam concoctionem & elaborationem, non poteſt eſſe

uehementer calidus,ſed crudus adhuc incoctuſq́;, & rudis(ut ita dixerim) permanet,donec in corde longam & diuturnam traxerit morã, cum enim penetrauerit in ſiniſtrum cordis ſpecum,& arterias quæ ab eo oriuntur,calidior efficitur ualde:tũ ex longitudine moræ ob reuolutionem meatuum per quos ſanguis tranſiturus eſt, tum etiam(quia ut teſtatur Galenus ſexto de uſu partium)cum non ſint manifeſti & conſpectui patentes tranſitus atq́; proceſſus à dextro in leuum, neceſſum fuit ſanguinem ualde ſubtiliatum, & ſpirituum naturæ uicinũ ad ipſum pertranſire. Quód ſi dextra pars calidior exiſtit,id eſt iocinoris ratione, & uiſicæ quæ flauam bilem ſuſcipit,quæ quidem in dextris ſitum & locum habent. Eſt item cordis ſiniſter ſpecus calidior multó dextro quia ſpiritus potiſſimum cõceptaculum eſt,qui multis numeris calentior ſanguine(ex cuius tenuiſſima parte gignitur)pernotatur. Cum igitur cor(ut ex precedentibus innoteſcit) principium ſit caloris:oportet ut ſemper percalidum ſeruetur & efferueſcat perpetuo,ut quod ipſum tum cæteris particulis pulſandi motum præſtet,cum ipſas calefaciat,hijs ſatis ad ſalutẽ ſit, ſi non ſint frigidæ,uel exigui compotes caloris efficiantur. Nam principium ipſum ſi naturali calore priues:non ipſum modo refrigeres,ſed etiam uniuerſa quæ prius ab eo calorẽ acceperunt reliquorum nulli(licet arterias uinculo conſtringas)omnem adimere calorem poſſis,quando per tunicas ipſas nonnihil confluxerit. Eſt enim iuxta Hippocratis ſententiam totum corpus conſpirabile & confluxile, quare ſi non per arterias,at certe per alia,& potiſſimum uenas propter eum qui eſt de una in alteram continuum tranſitum in omnem particulam aliquid caloris defferetur. Quód autem non ſolum per arterias,ſed etiam per uenas, & alia uniuerſa confluat á corde calor demonſtrat Galenus in libro de uſu pulſuum, & colligitur plane ex eo q̃ cum multis tum uenatoribus, tum gregarijs militibus,ubi ſingulari pugna decertaſſent:arterias & uenas ita uulnerari contingeret,ut neceſſe fuiſſet medicis,eas uinculo excipere, ij omnes non longo interpoſito ſpatio, frigidiores ſibi redditas partes ſenſerunt,ac citius quidem quibus tum arteriæ tum uenæ fuere deuinctæ,ſerius,quibus arteriæ tantum minime uero quibus ſolæ uenæ, ex quibus manifeſtum eſt per uenas quoq́; aliquẽ in particulas accedere calorem,q̃q́; longe minorem,q̃ qui per arterias trãſmittatur. Quin ſi quam corporis partem citra uulnus deligare uelis,ilico eam liuidam frigidamq́; effectam contemplabere, quod planum eſt inde adeo euenire,q́ calore qui per omnes partes ſuperne confluxerat,eſt priuata. Ferueſcere ergo calorem cordis(ut dicebamus)opus eſt:hinc ut Ariſt. tertio de partibus animalium ait, pauidiora ſunt animalia, quibus cor grandius,quoniã calorem proportione cordis non habeant, ſed parum caloris in magno conceptaculo exoleſcat, itaq́;

ſanguis frigidior ſit. Nam ut in paruo & magno domicilio tantundem ignis non æque calefacit, ſed minus in amplo,, ſic calor per corda ingentia ſparſus atq; diffuſus imbecillam uim obtinet. atq; ob eam rem lepores, cerui, mures, aſini, muſtelæ, timidiores aperte euaſerunt, quia magnum proportione corporis cor habent. audentiora autem fidentioraq;, quibus minus aut mediocre fuit tributum cor, quoniam in ijs calor collectus ualentior fit, & ingentes animos ad quiduis audendum præbeat animali. Quòd ſi multum cor in caliditate exceſſerit, tunc furibunda quædam (inquit Galenus) iracundia & temeritas adſunt. cõcomitatur nãq; ira omnem exceſſum caloris in corde, non propterea q; ſit ſanguinis ebullitio, & acceſſio circa cor: non enim ſanguinis feruor ad excandeſcentiam proritat, ſed potius excandeſcentia ſiue ira: hũc ſanguis generat feruorẽ. Quam ergo ob cauſam propenſiores ad iram ſunt qui cor habẽt calidũ, dicimus, q; ratio & finitio iracũdiæ, libido, & ſtudium illud eſt reponendæ uindictæ per quod mouetur corpus, citaturq; ad pellendum quod moleſtiam inducit, ut concupiſcentia nil aliud eſt, q̃ appetitus mouens ad amplectendum quod iuuit. repulſio autem eius quod nocuũ eſt, ſicut non poteſt fieri niſi à uehemẽti motu, ad quem quidem caliditas reddit apos: ſic nec appetitio repellendi (quam eſſe formalem rationem iraſcentiæ, dicimus) non poteſt in corpus ſeu inſtrumentum ualde calidum concidere: quia mouet anima corpus, ſicut ipſum aptum & diſpoſitum eſt, quod autem calidius eſt corpus, mobilius & prõptius exiſtit, ut id appetitus uindex agitet, eoq; tanq̃ organo ad repellendum triſtia adutatur. exempli cauſa iudicat ratio iniuriam acceptam eſſe, ſtatim animans iracundia exæſtuat, cupienſq; uindicare, calorem excitat & ſpiritum cum quibus negotium faceſſat, hij feruorem in ſanguine excitãt: quo tanq̃ auxiliaribus copijs confirmatum recalefactumq; aggreditur atq; laceſſit, quodcumq; ſibi noxam inferebat. frigidi autem cordis animula licet percipiat quod lædit, non tamen in iram de facili prorumpit, quoniam corpus ineptum eſt ad hanc repulſionẽ, tardeq; difficulter excitatur ab appetente: quare cum ratio organum non ſibi ſequax & obſequens eſſe dignoſcat, quo cõmode ulciſcatur, ueluti uicta cedit atq; fatbiſcit, nec hoſtem auertere tentat, ſed potius conſternatur, atq; flacceſcit: at cõtra quæ calidius & facile motabile corpus obtinẽt, ex leui ſæpe irritamento grauiter excandeſcunt, proindeq; in fame & ſiti ad iracundiam ſunt proniora. Sed hæc nobis ueluti parerga & præter intentionẽ ſint dicta. redeamuſq; iam ad id unde ſumus progreſſi. Cum uita & anima calore quodam (ut Ariſt. ait) contineatur: impoſsibile autem ſit calorem ſeruari, ni aſsidue perfletur ideo neceſſum fuit refrigerationem adhiberi, quod ſane Ariſt. ſenſit dum in libro de reſpiratione dixit. Omnino igitur animantium natura refrigerationem deſide-

rat & inſpiratum, ob animæ in corde incendium. & rurſus in tractatu de morte. Porro uitæ principium defficere ſolet, cum calor cordis non reffrigeratur. tunc enim idem ſeipſum conſumit. animalium autem cum alia aquatilia ſint, alia in terra degant, inter hæc ea quæ ſanguine carent, à continente aere, uel aqua ſatis refrigerari poſſunt ad hanc corruptionem euitandam. nam cum calorem habeant exiguum, modico etiam auxilio egent. plantis quidem (inquit Ariſt.) ſubſidium illud quod per alimentum & ambientem aerem paratur, ſat eſt ad caloris naturalis tutelam atq; ſalutem: etenim alimentum refrigerationem cũ ingreditur facit. Quæcunq; autem ex inſectorum genere uiuaciora ſunt, ijs corpus ſub ſepto tranſuerſo præcinctũ diſtinguitur, ut per membranam ſubtiliuſculam refrigerentur. atq; ad hunc modum quæcũq; bombos elidunt, qualia ſunt ueſpæ, ſcarabei, & cicadæ: habent membranam quandam, ſub diaphragmate ſubtilẽ & tenuem, quæ dum attollitur & uiciſſim deprimitur, calorem eorum tuetur. nam murmur illud, ſpiritu: dum quaſi anhelant, ciere ſolent. Eo enim ſpiritu qui in ipſo ſepto tranſuerſo inſitus eſt, dum ſeſe ſurrigit, ac per uices ſubſidet, contingit quẽdam attrictum & colliſionem fieri ad membranam, ex cuius percuſſione ab ſpiritu ſtrepitus illi eduntur atq; citantur. Ob id etiam cum duplex ſit cicadarum genus, quædã enim ſunt canoræ atq; uocales, quædam uero inconcinnæ, ut ita dixerim, & inuociles, priores ideo canunt, quoniã calidiores ſunt, & diuiduæ ſub ſepto tranſuerſo, quæ uero non canunt, indiuiduæ ſunt, nec membranam ſe attollentem per uices refrigerationis gratia obtinent, quoniam frigidiores exiſtunt. Quæcũq; uero animantia calidiora ſunt, & non tantum cor habent, ſed etiam pulmones, ea ſibi refrigerium per reſpirationem moliuntur, attrahendo reddendoq; animam per uices. at quæ cor habent, ſed pulmone uacant, uti piſces, aqua per branchias refrigerantur, ꝙ eorum natura aquatilis ſit, qui autem piſcium ſunt calidiores, ut delphini & balenæ ij pulmone præditi ſunt, & ſpirando refrigerari ſolent. Quam obrem & talia exerto ore dormiunt, ſtertuntq; ipſi quidẽ delphini, & per ſumma pelagi fluitare uiſuntur, ut ſpirent, & retibus capti breui tempore ſtrangulãtur, ꝙ ſpirãdi facultatẽ amiſerint. Namq; ut Oppianus halieuticôn ſplendidiſſimus auctor ait: piſcibus atq; ipſis trahitur circunfluus aer. Quoties igitur (ut pulcherrime Ariſto.) alijs pulmo, alijs branchiæ obdureſcunt, prætemporis longitudine, exſiccatis, hijs quidem branchijs, illis uero pulmone, & terroſioribus redditis, has particulas attollere & comprimere non poſſunt, ac tandem calor ipſe obſoleſcit, & marcore corrumpitur, quo circa & paruis affectibus in ſenectute obortis, animalia cito commoriuntur. eſtq; mors talis nulli obnoxia dolori. tunc enim animalia mortẽ obeunt, & ſi nullo uiolento affectu tẽtentur. immo uero

citra ullum penitus ſenſum anima ipſa recedit, propterea ꝙ pulmo multum attolli & ſubſidere nequeat, tandemq; ubi moueri præterea non poteſt: expirãdo uita cum morte cõmutatur. Cum itaq; nobis per præcedẽtem ſermonem ſatis oſtenſum ſit, cor calidiſsimũ eſſe, anteaq̃ ad reliqua accedam, uellem illud ſummopere notatum, cor ipſum ex mente Galeni in cenſu & ambitu humidorum eſſe computandũ, quod patet ex primo de temperaturis ubi ita ſcribit. Verum cor paulo q̃ cutis minus eſt durum, iecur multo, itaq; etiam humidius q̃ cutis cor eſt, q̃to ſcilicet eſt mollius, unde profecto fidem frontemq; iuniorum deſiderare compellor, qui affirmare ſuſtinent Galenum cor ſiccum primo de temperaturis poſuiſſe; idq; paſſim & impune iactitant, uerum enimuero qui hæc ab eo ſuſpicantur dicta, inceſſendi merito, coarguendiq; tarditatis ſunt, qui cum intelligere nequeant, & profecto ſurdiſsimis mihi eſſe auribus uidẽtur: qui uocem Galeni à nobis paulo ante citatam, tam contentam, illuſtremq; exaudire non poſſunt. ſed aſtringamus tandem, nec uagari amplius orationem patiamur. Cor ergo principatum & pontificiũ obtinet in cæteras hominis particulas, cum caput & origo caloris ſit, ſine quo uita ſtare diu non poteſt, ut ſatis à nobis ſufficienter per præcedentem ſermonẽ eſt explicatum, quo fit ut tantam noxam & labem, q̃tam reliqua membra ſtante uita non tolerет atq; ſuſtineat. Solũ hoc uiſcus (Plinius inquit) uitijs non maceratur, nec uitæ ſupplicia trahit grauiora, læſumq; mortem affert præſentaneã, cæteriſq; corruptis durat in corde uitalitas, quod Ariſt. etiam num tertio de partibus animalium libenter amplecti uiſus eſt cum dixit. Cor ſolum uiſcerum atq; omnino partium corporis nullũ uitium patitur graue idq; recta ratione, cum enim principium corrumpitur, nihil eſt quod cæteris quæ inde pendeant, præbere auxilium poſſit. Indicium autem: ꝙ nullum affectum cor patiatur, ꝙ in nulla hoſtia cor ita affectum uiſum adhuc eſt, ut in cæteris uiſceribus cernitur, hæc Ariſt. Tanta eſt uiſceris principalis reuerentia, tanta dignitas, tam grauis offenſio, notandum tamen ꝙ cum Ariſt. & medici cor nullam læſionem perpeti dicunt, intelligendum illud eſſe de ſolutione unitatis. nam malam intemperantiam ueluti febrem, aut palpitationem nihil dubium eſt. febres cotidie à corde trahere ortum experimur. palpitatio uero huius uiſceris (inquit Galenus quinto de locis affectis) pluribus integra ualitudine degẽtibus tum adoleſcentibus tum adultis ſubito ſine alio manifeſto accidenti euenire uiſa eſt: atq; omnes eos ſanguinis detractio iuuit. Ergo in corde ſimularium partium intemperies ſubitam mortẽ non inducunt. ſimiliter nec duri tumores duritieſue in ambiente cor tunica prohibentes ne id commode dilatetur, quales in gallo ſunt enati, quẽ Galenus diſſecuiſſe ſe reffert. nec uero humores aquei quales in puſtulis aquo-

ſis uiſuntur, qui in continēti tunica interdū in tanta copia cumulātur, ut ſpatiū non relinquant, quo cor ipſum ſe agitet, mori compellunt tam celeri nece, ut teſtatum fecit Galenus ex ſimia quæ indies ignota cauſa ematiaretur, cuius ambiens cor peplus talibus humoribus tenuibus urinæq́; perſimilibus ſcatens fuerit repertus. at eæ quæ ad inſtrumentales partes pertinent, ſubito enecant, ſi talis ſolutio continui confirmata ſit, & penetrans uſq; ad uentres. tunc enim ſi ita ſit, animans ſtatim moritur. Si autem ſolutio continui tenuis & parua exiſtat, & ſolum ſuperficie tenus ſubſtantiam cordis lancinet & ſoluat, morietur quidem animans, ſed tamen poterit ſaltim prius per diem ſupereſſe. Teſtis huius rei locupletiſſimus Galenus eſt quinto de locis affectis dum ait. Si ad uentrem cordis uulnus aliquando penetrauerit, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſum eſt, idq́; præcipue ſi ſiniſtræ partis uenter fuerit uulneratus. ſi uero non ad uentrem uſq; pertingat uulnus, ſed in cordis ſubſtātia conſiſtat, ex ita affectis aliqui non ſolum ea die qua uulnerati fuerunt, ſed ſequenti quoq; nocte uiuere potuerunt, qui oborta deinde inflammatione extincti ſunt. Cum igitur dicat Galenus citiorem ſequi mortem ad uulnus uentriculi ſiniſtri quàm dextri, patet obiter perfectiorem eſſe ſiniſtrū dextro. Conciliator autem differentia quadrageſſimaſexta & nonageſſimaſeptima oppoſitum lippientibus oculis, ſaturniacisq́; & cucurbitalibus lemis hallucinatus aſſeruit, quod ipſe præcipue hijs rationibus aſtruit. primo quoniam uita & motu ceſſante in uentriculo ſiniſtro per horulam percipietur in dextro, prius enim ſuccumbit ſiniſter, deinde uerſus dextrum mors prorepit. ſecundo quoniam in ſtrāgulatis omnis ſanguis reperitur in uenis, nihilq́; in arterijs, quod nō poſſet aliūde uenire niſi quia uirtus corporis gubernatrix cum ſpiritibus & ſanguine exiſtentibus in arterijs ſtrāgulationis tempore concurrit ad cor, tanquàm in arcem, & occupat partem dextram, ut quæ nobilior ſit, & maius refugiū præſtet. Verum (ut dixi) ſiniſter ſpecus perfectior eſt, tum quia ſi uulneretur ocyor mors ſequitur, ut ex Galeno dictum eſt, tum quia ſpiritus conceptaculum eſt, qui multo ſanguini præſtat. Voluit item expreſſe idem Galenus ſexto de uſu partium dum ait. minus autem orificijs quæ ſunt in ſiniſtro uentriculo quem medicis mos eſt appellare ſpiritualem, ſunt illa principalia, quæ in altero eius uētriculo ſunt: quem ſanguineum cognominant. ad hæc cū dexter fuerit inſtitutus pulmonis gratia, ſiniſter autem gratia ipſius uitæ: quis uertat in dubiū perfectiorem eſſe ſiniſtrum. nā quod aiunt pulſificum motū & uitam, prius in ſiniſtro urgēte morte quàm in dextro defficere, id omnino falſum reputari poſſit. Nec deffuerunt plurimi antiquorum qui non pulſare dextrum aſſeuerarent, quamuis Galenus utrūq; cordis ſinum pulſare, manifeſto percipi aſſerat: & quod nudato animalis

corde, uix eius motus niſi forcipe comprehendatur, cõpeſci poſſit, quin è digitis elabatur, eo tamen modo rem ſeſe habere teſtatur, quod animali ad mortem tendente prius imæ partes moueri deſinãt, & deinde paulatim ad baſes motus deffitiat, quas ſi quis comprimere uellet manibus, ne cierentur, mors ſtatim ſequeretur. ait tamen, quod in auribus ipſius cordis, iam perfecte moribundo corde obſcura quædam & exilis motio pernotatur, cum iam cor moueri deſierit. quod ſi illorum rationem ſequi uelimus: illas anguſtias ſubibimus, & periculum promptum, ne cordis ſolas auriculas, ut dignitate præſtãtes, cæteris illius partibus omnibus præferamus. Nec uero ſi in ſiniſtro prius defficere motum cõcedamus, quidpiam adhuc uir ſapientiſſimus nos credere coget, dicere enim poſſumus ſiniſtrum prius deffeciſſe, quoniam cum eſſet perfectius, non potuit diu malum ſuſtinere, & ut Paulus de uiribus aquarum loquens ait: alterationis procliuitas uirtuti magis quàm uitio aſcribẽda eſt. aut quia cum corpus dextri ſubtile & molle, ſiniſtri autem craſſius nimis & denſius fuerit cõſtitutũ, difficilius ſit ipſi uirtuti pulſificæ id mouere quàm dextrum. Quia uero de motu poſtremum in cordis auribus defficiente, meminimus, abſurdumque & inconſonum rationi eſſe uideatur, ut in enatis proficiſcẽtibuſque à corde magis quàm in ipſo cordis corpore motus & latio perduret, inquirẽdumque per ocium admoneat Galenus: ſolutionemque differat, quoniam eo loco aggreſſiones tantum anatomicas, non cauſas reddere moliatur. nos nihil (nam curſim mẽtem noſtram explicare quid uetat?) abſurdum & abs re à natura effici arbitramur, quod ultimo aures moueri deſinant quæ pro cordis partibus non habentur: cui quatuor præcipua uaſa, arteriæ ſcilicet duæ, magna quæ aorte dicitur, & uenalis. duæque uenæ caua ſcilicet & arterialis, qua ſanguis ad pulmones deducitur; aſcribantur. nam uitaliores partes, quæque maximi ad uitã refferunt, promptius patuntur, & damnum corruptionemque ſubeunt, nec uero (ut exiſtimo) baſes ipſæ poſſent moueri, quin ad aures quoque extrinſecus prominentes uis illa ciendi & agitandi ſeſe deriuetur, ſicut nec ſole fulgente fieri poteſt, quin illuminetur nubilus aer. Hijs adijce quod mors nunquàm ferme ſubſequi cõſueuit niſi exhalãte paululũ anima, & à centro imoque corporis abeunte ad cutem & ſuperficiem externam donec ultimo tandem exterioribus relictis partibus, & ui omni exhauſta, mors inferatur. Sunt quoque craſſiuſculæ aures, in quibus (ut in aqua puteali aut ferro diutius quàm in rariori ſubſtantia calor aut frigus conſeruatur) facultas illa mouẽdi ſibi tradita, quàm uis principio extincto permanere poteſt. Quod uero rurſus obtrudũt, totum ſanguinem in ſtrangulatis in uenis cõtineri, facilis illa in promptu, & ad manum reſponſio eſt, ſi dicat quis illud ob eam accidere cauſam, quoniam in arterijs uiuo adhuc animali, magna portio ſpiritus, minima autem ſanguinis repe-

in corde ignobilem, uiliſsimamq́; eſſe, nullus ſimpliciter ignobiliſsimã intelligat. Nec enim eſt pars aliqua corporis, quæ nõ ſit pricipalior omnibus tibiæ & manus particulis, ſed principales quidem ſimpliciter ſunt omnes: quia uitam primario influxu tuentur, deinde ad ſe inuicem comparatas, hanc quidem earum magis, hanc autem minus talem eſſe intelligendum eſt. Sed conferamus pedem, accedamuſq́; iam propius: diſſeramuſq́; de numero uentriculorum cordis, quoniam non alienũ à noſtro inſtituto negotiũ hoc eſt. Cor duos ſpecus, uel ſinus, uel folliculos (utcũq́; enim nominare licebit) obtinuit. ſiniſter altiorem ſitum obtinet, & ſurſum aſcendit, dexter depreſsiorem ſibi locum conſciuit, multoq́; deſinit inferius: uerũ circumſcriptionẽ propriam ſepius habet, & paribus cũ ſiniſtro uentriculo ſedibus ſpectatur. magis quidem in animalibus magnis, ut bobus, equis, & camelis, multoq́; magis elephantis. quãdoq́; tamẽ & in paruis. Vnde quidam (ut ſeptimo de anatomicis aggreſsionibus dicitur) cum gallũ dijs ſacrificaret, inuenit cor duos uertices habere. nam dexter ſpecus ſe tollebat in altum: quare augurium ratus, nuntiat Galeno ſe dijs ſacrificando, duo corda inueniſſe in uno animali. Verũ nec duo erant (ut putabat) ſed dextri ſublimis apex, circũſcriptionẽ habebat propriã. Sed nõ abſurdũ fuerit quid Ariſteles de numero uentriculorum cordis ſcripſerit, meminiſſe. is igitur tertio de partibus animalium capite quarto ita infit. Ventriculum triplicem cor magnorum animalium habet: duplicem minorum, unum ad poſtremum, nullumq́; eſt quod ſine ullo uentriculo conſtet. In eundem errorem incidit & Plinius undecimo de naturali hiſtoria dum ait. ſinuoſo ſpecu cor eſt, & in magnis animalibus duplici: in nullo non gemino. Hæc iſti paulo oſcitantius, illorum tamẽ ſententiã pulchre Galenus ſummus auctor reprobat ſexto de uſu partium, quã obrem facturum me hoc loco plaue operæpreciũ arbitror: & ſi uerba Galeni pretexuero, ubi is de Ariſtotele (quẽ ut imbecillum pullum maiora animalia: diſcerpit, atq́; dilaniat) ouationẽ, triumphũq́;, atq́; tropbæũ actitare uidetur. Non recte (inquit) Ariſtoteles diſtinguebat multitudinem uentriculorum cordis, ad magnitudinem & paruitatem corporum reducens eorum numerum, nec enim maximis quibuſq́; animalibus ſunt tres, nec minimis eſt unicus. eandem enim ad unguem & exacte habet cordis conſtitutionem ſtructurãue maximus equus cum minimo paſſere, & ſi murẽ diſſecueris ſiue bouem, ſiue aliquod aliorũ animalium, uel minus adhuc mure, uel maius boue, omnibus ipſis numerus eſt æqualis uentriculorum, & reliqua conſtructio cordis eadem, nec enim magnitudinem, & paruitatẽ corporis reſpiciens natura: permutat organorum formã, ſed actionum differentia, ſcopus illi & intentio in conſtructione particularum habetur, ipſaſq́; rurſus actiones propter utilitatẽ ueluti finem inſtituit. Vnde ordo

quidã efficitur mirabilis, cũ ſibi inuicẽ ſuccedant actiones & utilitates. Quãobrem multum adeo conuellenda illis eſt auris, qui aliam & diuerſam ingentium & paruorum animalium conſtructionem arbitrantur: aut alias demum particulas in hijs reperiri, quæ alijs non fuerint cõceſſæ ſibi perſuadent, cum ratio exigat, ꝙ omnium animalium, quæ per ſpirationes uitam conſeruant: eadem ſit uiſcerum poſitura, ideq; numerus: quia par eſt utrobiq; finis neceſſitas. Sic igitur Galenus anteaq; elephantum ſpectaſſet, ad cuius diſſectionem ſpectaculo edito Romæ conuenerat, nullum diſcrimen repertum iri in uiſceribus illius tam uaſtæ molis audẽter conſtanterq; aſſeuerauit, & illuc cum diſcipulis profectus: admirantibus cunctis oſſis magnitudinem, (quæ tamen latuerat medicos) ipſe in medio corde os illud oſtẽdit. Ex quo receptus iampridem error reuincitur illorum qui ceruino tantum cordi os illud aſcribunt, quod in omni animali adeſſe (ſi modo auris uitalibus ueſcitur) neceſſariũ eſt, ut ſit aliquid, cui ceu fundamento (ueluti retinaculis rudentibuſq; ad petram nauis alligatur) membranarum radices, arterialiumq; uaſorum exortus innitantur, quos ſequi debet, qui ſcindere reperireq; os illud uelit: quod penes cordis umbilicum, mediumq; eſt. Non iniuria ergo (me hercules) Galenus Ariſtotelẽ naſo ſuſpendit adunco, deriſuiq; habet, cum dicat maiora animantia tribus uentriculis prędita, minoribus duplicem ineſſe. Si enim ita res haberet, bonum profecto ſimiliter eſſet, ſi & manuum digitos ampliores facti plures, breuiores autem, pauciores haberemus. Vnde naſceretur riſu digniſſimũ ſpectaculũ, cum tres uerbĩ gratia digitos haberet. therſites, aiax ſeptẽ, & plures adhuc ijs achilles acupedius. alcides autem (uti puto) ingẽs lõgiſſima nocte genitus (cũ Phœbus per triplicẽ diem radios nõ miſit tellur) numeroſiores iulorũ, Polyporũq;, ſeu aſellorum (qui ſub hydrijs aquarũ naſcũtur) pedibus poſſideret. Elephas autẽ par eſſet (opinor) ut quatuor crura ſortiretur, tria tantum bos, equs duo, aſinus. uno pede uiueret cõtentus. Sed iã hæc quæ riſũ doctis excutiũt, obliuiſcamur, redeamuſq; illuc unde deductus fuit ſermo. Cũ binos cor habeat uentriculos, uti præcedens ſermo expoſuit, piſcibus tantum ſiniſter uentriculus habetur, nec in dextris eſt aliqua amplitudo, quia nec pulmones ijs tributi fuerunt, quorũ gratia dexter uentriculus conſtitutus eſt, & propterea quibus animalibus non eſt pulmo, nec cor habet in ijs duos uentriculos, ſed ſolum eum qui omnium arteriarum motus dux eſt. piſcibus autem cũ nullatenus uti poſſent uoce, ut qui in profundo pelago, imiſq; gurgitibus eſſent uicturi) quibus aſſiduo natant & demerguntur) ita ut aerem ad refrigerationes conuellere non poſſint, tum etiam cum frigidiori ſint temperatura præditi, aut enim nullum aut omnino paucum ſanguinem habent, ob id nec cor eorum indiget magna refrigeratione, nec eis pulmo fuit factus,

ſed conſtructio branchiarum quæ uocantur: ipſis pro pulmòne miniſtrat. Sunt enim multis & ſubtilibus foraminibus branchia hæc pertuſa & perforata, quæ quidem aeri & uapori ſunt peruia, anguſtiora autem q̃ ut aquæ craßitudini pateſcant. Gratia igitur pulmonis cordis dexter uentriculus comparatus à natura eſt, cum enim pulmo egeret nutrimento, ſanguis ei à cordis dextro uẽtriculo mittitur, tanq̃ retaliatio, & retributio quædam, & ueluti hoſtimentum, & beneficij premium offertur, pro ſpiritu euẽtationeue, quam ab illo ſuſcepit. Sed occurrit hic nobis prius quæſtio illa imprimis diſcutienda, de ordine productionis membrorum principalium, nam cum à multis hucuſq; ſit pertractata, nec ulla ſit, quæ frequẽtius à medicis in ore habeatur, nullus adhuc quæſitam ueritatẽ aſſequi adinuenireq́; potuit, ſed porro omnes, ab alboq́; declinarunt, dum pari cõſenſu pedibus manibuſq́; ſine ulteriori examine, in ſentẽtiam Ariſtotelis diſcedũt, dicentis, cor primũ omniũ conformari. Nos uero ex Galeni theſauris, quem ſemper ſecuti ſumus, cuiuſq; arculas atq; myrothetia reuoluere ſumus aſſueti, totam hanc diſquiſitionem breuiſſime nulla inuidia abſoluemus: quidq; pro comperto & explorato habendum ſit, planiſſime exponemus. Voluit ergo Ariſt. cor primũ omniũ generari, atq; ab illo deinde reliqua omnia membra produci, perinde ac ſi cauſa illa atq; auctor ſimulac illud uiſcus effinxiſſet, exiens à cõceptu illi demãdaſſet, atq; præſcriberet, ut alia etiã reliqua generaret, ait præterea ipſũ ueluti filiũ emãcipatũ à patre, regere ac diſpenſare totũ corpus. Sed præſtiterit uerba ipſius ex ſecũdo de generatiõe animaliũ apponere, ut dilucidius quid grauis philoſophus ſenſerit: innoteſcat. Cor (inquit) primũ actu ſecernitur, quod nõ ſolũ ſenſu ita fieri cõſtat, uerũ etiam ratione. cum enim abiunctũ iã eſt, ipſum gerere, gubernare, & diſpenſare debet, perinde quaſi filius à patre emancipatus, ſeorſumq; collocatus. Itaq; principiũ haberi oportet: à quo etiã poſt ordo membrorum deſcribatur: quapropter cor primum diſtinctum in omnibus inſpicitur animalibus, quæ ſanguinem habent. id enim principium eſt & ſimilarium, & diſſimilarium partium, & rurſus. Fit autem primo principiũ quod in ſanguineo genere cor eſt, in cæteris proportionale, idq; effici primum non modo ſenſu percipitur, ſed etiam ꝙ per obitum uita hic ultimo defficit. Euenit namq; in omnibus, ut quod ultimũ fit, id primum defficiat: & quod primũ, id ultimũ. quaſi natura cõuerſionẽ reducem agat, & ad carceres unde prorupit: redeat. hactenus Ariſt. ubi tria non ſubobſcure ſentire uoluit: quorũ primũ eſt, ꝙ cor primũ omniũ cõformatur, ꝙq; id & ſenſu & ratione non obſcure percipitur, ſecũdũ ꝙ ab ipſo utpote quod primo ſit genitũ, reliqua omnia exoriantur & diſpẽſentur, tertiũ ꝙ ultimo uita defficiat in corde. Verũ ſi ueritati potius, q̃ homini patrocinium feramus, in om-

nibus hijs tribus Ariſt. deceptũ eſſe atq; hallucinatum non indigne pronũtiabimus. Nam quod ait cor primũ actu ſecerni: apparere ad ſenſum, falſum id eſt, nec enim in aborſibus, qui primo menſe protrudũtur, aliquid perſpicuo manifeſtoue ſuper ea re poſſumus doceri, quoad fœtus inarticulatus permanſerit: & hoc ſiue diſſectio in homine, ꝗ in animalibus hominũ ſimilibus exerceatur, quando autem dearticulari incipit cõceptus, ut apparet in aborſibus poſt tertiũ menſem exploſis, licet aliæ partes circũſcriptionem manifeſtã non habeant, prope ſe tamen inuicem collocatæ hæ tres animalis particulæ uidentur, iecur ſcilicet, & cor, & cerebrum, in quibus iecur reliquis ambobus maiori quantitate præminet, multoq; ab illo cor & cerebrum in magnitudine relinquuntur. non ergo ſatis cõſtare poteſt, quando cor primo incipiat cõformari. Sed & ratio conuincit, nullã particulã fœtus intrinſecã fieri poſſe priuſꝗ duæ uenæ, & duæ arteriæ quæ umbilicũ cõſtituũt, producantur. Egebat quippe unaquæq; particula fœtus tam in primo ortu atq; cõceptu, ꝗ in omni poſt hæc eius diſpenſatione cõueniẽti alimẽto. nullũ autẽ ſãguine aut aptius aut cõuenientius eſt, quod ſibi à matrice per aliqua uaſa peruenire neceſſe eſt, ſi illa debeãt generari: ergo uaſa per quæ ſanguis à prægnante cõuellitur ad generationẽ uiſcerũ, prima omnium cõformabuntur. Quòd ſi uelit illud quod primo cõformatur, reliquas ſubinde producere particulas, periclitatur bonus Ariſt. ne uenas & arterias quæ in primis generantur, alia quoq; membra producere conſiteatur: quod adeo abſurdũ eſt, ut impugnatione non egeat. tenendum ergo eſt ꝙ uenæ & arteriæ umbilicales primæ omniũ generantur ex ſeminis genituræue ſubſtantia. cum enim eorũ corpora alba ſint & ſanguinis expertia, ex nullo cõmodius ꝗ ex ſemine poterãt generari, ut pote quod ex ſeipſo multum lentum, & glutinoſum exiſtat. Poſt uero arterias & uenas primum quod conformatur & effingitur eſt epar, celerrimam nãq; habet hoc uiſcus ex ſanguine generationem: ut pote quod ſubſtantiam illi perꝗ ſimilimam obtinuerit, ſi enim ſanguinem ex uena ſecta profluentem in aquam mediocriter calentem incidere permiſeris, illiq; epatis ſubſtantiam contuleris, prorſus adſimilem concretionem, coagulationemq; habere deprehendes. hoc itaq; membrum facillime coagulatur, atq; compingitur, nam ſolum ob id ꝙ uteri corpore foueatur, hoc patitur. unde & hac de cauſa quia ſcilicet primo productum eſt, proximius utero grauidæ aluеoq; locatũ eſt iecur. Præterea cũ (ut medici omnes & philoſophi non uulgaris nominis teſtantur: qui nõ drachmæ illius Socraticæ diſciplinã conſecuti ſunt) fœtus quouſq; ſit perfecte conformatus, plantarum ritu moreque diſpenſetur, manifeſto conſequitur, cum nec arteriarum beneficium in primordio generationis neceſſario requirere, nec pulſuum, nec cordis opera indigere, quẽadmo-

dũ nec plantæ. Sed operæpretium eſt ut conceptus ad inſtar caudicis, truncíq; ſtipitis, in primo quidem tempore breuiſſime augeatur, cũ autem iam manifeſte cœperit dearticulari, maius incrementum ſuſcipiat, & tandem maximum, cum iam integre fuerit dearticulatus. plantarũq; uitam per omne id tempus, altus ſcilicet, inauctuſq;, ſolummodo peragat. Poſt uero epatis productionem, cor deinde conformatur, deinde cerebrum, quod recta ratione poſterius omnibus factum eſt, quoniam ſcilicet nihil conceptum animal cerebro indigeat, cum nec uidere ipſum oporteat, nec audire, nec guſtare, nec olfacere, nec ſenſationem tactiuam intus exercere, ſed nec ut manibus, pedibuſue aliquid operetur, aut munus aliquod ab electione procedens obeat, nedum ut phantaſiam, aut eſtimatricem facultatem, aut memoriam exerceat, ulla neceſſitas cogat. Poſterius igitur aliquanto cum cerebrum, tũ uero omnes faciei particulæ conformantur, ipſumq; os capitis omnibus alijs oſſibus poſterius coagmentatum, compactumq; eſt. & ob id iuxta ſinciput adeo imbecillum & exile eſt, ut in nuper natis infantibus cerebri motum non ſolum tactu, ſed etiam uiſu percipere liceat. Quo fit ut altricis quidem animæ officijs pueri ualẽtiſſimis utãtur, ſecũdario uero quoad robur ijs quas à corde accipiũt, iã autẽ imbecillibus ijs quæ à cerebro præſtãtur. ut qui nedũ currere aut ingredi, ſed nec erecti cõſiſtere poſſit. multo autẽ magis, nec quid ex cõferentibus coniectare, uel diſcere, uel memorari, aut alicuius ſenſilis affectionis, uel logicæ ſpeculationis habeãt. atq; hunc ordinem productionis trium membrorum principalium non ſolum in pulcherrimo illo libro de cõformatione fœtus Galenus ita ſe habere teſtatus eſt, ſed & decimoquĩto de uſu partium id perſpicuo inſinuauit: ubi in hanc ſcribit ſententiam. Eſt autem non minus admiratione digna magnitudo epatis, in embrijs ſtatim, & inter initia quando primũ eſt euidẽter & liquido uidere unãquãq; particularũ fœtus cõformatã, ſed nõ minus & uſq; ad partũ, magno quidẽ igitur & ampliori metro in proportione & reſpectu ad alia ſuperexcedit iecur in primis tẽporibus, non parũ autẽ nec quid cõtemnendum, & uſq; quo tẽpus pariendi appetat. cõſequenter uero cerebrum & cor magnitudine ſuperant, in ordine ad reliqua membra. hoc autem ideo euenit quoniam uenarum quidẽ principium epar eſt, arteriarum autem cor, neruorum uero cerebrum. Par igitur erat, ut quẽadmodum domui fundamina, nauigio carinã, templo crẽpinẽ, huiuſmodi artifices primũ pangentes, deinde ſuper ijs tuto opifitia erigũt, ad eundem modũ natura animaliũ, à proprio & peculiari pricipio tuto & ſecure cõpacto unũquodq; uaſorũ genus producẽs, i totũ corpus deriuaret atq; protẽderet. Quoniã uero concepto animali maior ſit uenarum neceſſitas & indigẽtia, ut pote quod ad multum tempus plantarum ritu deſpenſetur, ideo harum principium confeſtim à

primo genitu ualidiſſimum operata eſt. cerebro enim & cordi, & organis quæ ab iis enaſcũtur, uenarũ eſt uſus neceſſarius cum ſine ſanguine, nec generari, nec augeſcere poſſint. at uero iecur, & uenæ nutricationis inſtrumenta, arteriis quidem parum, neruis autem nihil omnino indigent, priuſq; perficiatur animal. Hiiſce igitur de cauſis natura magnum & ualidum ſtatim ab initio uenoſum genus confecit, ſuper. hiis autem aliorum utrumq; augere præ aliis incepit. Falſum igitur eſt quod Ariſtotelles dicebat cor primũ omniũ cõformari. Sed nõ minus turpe quoq; eſt quod ſecundario uoluit, ab eo reliqua omnia membra produci, & gubernari, cum nec ipſum primum generari appareat manifeſte, quin potius in omni natura ita uſu eueniat, ut idem artifex operetur cum primam opifitii partem, tum uero reliqua omnia uſq; ad complementum, at qui uenas & arterias à genituræ feminiſue ſubſtantia cum palam ſit generari, liquet igitur & ꝙ ab ipſomet, ueluti à Praxitele, aut Polycleto (qui pulcherrimum illud opus quod canonem uocant, & ſingulas eius partes delineauit) reliqua alia membra conformantur. Maxime autem in hoc philoſophi omnes aberrant, qui putant particulam quæ primo producitur, ipſam quoq; alia membra generare, hanc autem eſſe cor: multum adeo falſi atq; decepti in utraq; hypotheſi, & pronunciatione, nec enim à mẽbro quod primo effingitur, reliqua conformantur. nec cor primum producitur. Verum ut illis liberaliter concedatur, non ſolum primum omniũ cor produci, ſed & ipſum reliquas particulas cõformare, non tamen neceſſario ex iſtis cõſequitur, ut operationes quæ fiunt in animalibus iam perfectis, ab eo gubernentur & prouideãtur, nec enim dictu par eſt, uel generationis, uel diſpenſationis principium eſſe quid. Secundũ enim ſingula corporum & artium genera, alia habentur generationis principia, alia autem diſpenſationis, alii autem enim urbes edificant, excolunt autem atq; gubernant alii quẽadmodum & naues (opinor) & omne aliud quoduis alii quidem fabricant, alii uero cõmode opifitiis iam perfectis fruuntur. Faber nauiculam & radium pangit, utitur tamen textor. Similiter & terebram ferrarius artifex fabricat, quo lignario ſit opus atq; uſus. Nomina quin etiã (ut Plato in Cratilo affert) nominũ auctor (prout cõuenire cenſet) imponit, quibus tamen dialecticus hoc eſt qui & reſpõdere & interrogare aptius nouit, utatur. Sic & in potẽtiis & facultatibus uitæ noſtræ munera diſpẽſantibus, ratio ꝗuis omniũ poſtrema & fiat, & perfitiatur, ſimul tamen ipſa imperat, & hominũ uitã atq; mores expẽdit ad libram. Deniq; ut iam totam hanc queſtionem terminem, quod tertio loco ab Ariſtotele dicebatur, cum animal extinguitur, cor ultimũ defficere, id philoſophicis auribus indignum & omnino temerariũ reputo, nam cũ ipſum ſit fons & principiũ caloris, &

efferueſcere ſemper oporteat: reliquis ſatis ſit, ſi uel modico calore participent, & deniq; cum cor ſolummodo per reſpirationem ſuum calorem tueatur: alijs membris duplex ſit cuſtodia, & pulſus ſcilicet, qui eſt ueluti quædam reſpiratio, & id quod illis ex abundantiore naturæ gratia à corde confluit, liquet profecto, ꝙ quando ad interitum animans feſtinat, cor primum corrumpi, cum pauciora ad ſe tutandum habeat præſidia: nec fieri poßit, ſi cor integra ualitudine fruatur, quin & reliqua membra, ſi nil aliud obſtet, uiuant, & ſanitatem habeãt. Præterea ſi animans moriatur ob ægritudinem calidam, palam eſt cor primo debere mori, cum in eo cum ſit fons caloris, magis calor efferueſcat, at ſi ob frigoris noxam moriundum ſit, conſtat itidem ipſum primo debere corrumpi, quia magis de calore ad hoc ut conſeruetur, requirat. Sic igitur quando in procinctu ſtat aties, & pila minantia pilis, aut etiam pugna iam conſerta commiſſaq; eſt, licet omnis inimico enſe popellus cadat, & uulgaris turba ingenti ſtrage diſperdatur, dum tamen rex ſuperet, adhuc uictoria in ancipiti eſt, at ubi ſupremus militiæ dux fuerit interceptus, cui fides in bello præcipua, mox totus trepidus pauet exercitus, & terga uertit, fugamq; capeßit, & tandẽ palantes duce perempto interimũtur cũcti atq; diſsipantur. Nec mirandum quid eſt (ut inquit Galenus) quin potius ueniam ignouiſſe decet, ſi plurima circa diſſectiones Ariſto. deliquerit, ut qui propterea ꝙ inexercitatus fuerit in anatomijs, errauerit & fuerit deceptus. Sed ut iam redeamus illuc unde obambulauerat ſermo: cor totius caloris qui in corpore reperitur, fons eſt & origo, atq; auctor, à quo per arterias in totũ corpus ſcaturiunt, & deriuãtur, ceu per quoſdam ductus atq; canales, ſanguis & ſpiritus: quis cum membra ſuas functiones exerceant: firmiſſime namq; illud tenendum eſt non poſſe particulam aliquam ſine caloris adminiculo ſua munia commode adminiſtrare: nec uiuere animalia ſine calore, hoc uoluit Galenus, hoc Hippo. hoc omnes medicorum filij clamitãt, hoc omnes recte philoſophãtium ſchola perſonat. Ariſt. certe toties id pronunciauit ut ſi non credas, cõmittas piaculum: mihi uero ex multis paucula quædam retuliſſe ſat erit. Is igitur & ortum & uitam in libro quem de ea edidit. ſic diffiniuit, ortus igitur eſt prima uegetatricis animæ cum calore participatio, uita uero mora eius. obitum contra finiuit dum ait, obitus atq; corruptio uiolenta quædam caloris extinctio, aut marcor, ijs enim de cauſis calor extingui ſolet. & rurſus. omnibus igitur corruptio obuenit ob caloris deffectũ, & in libro de adoleſcẽtia & ſenectute. oĩa uiuẽtia (inquit aĩam ſortita ſũt, quæ nequaq̃ abſq; naturali calore eſſe poteſt. porro animalium partes omnes totũq; corpus calorem quendã naturalẽ inſitum habent, quocirca dũ uiuũt calida apparẽt, dũ mortua ſũt, atq; uita deſtituta cõtra. neceſſum

eſt itaq; uitam & incolumitatem caloris, item mortem & eiuſdem corrupionem ſimul eſſe. Preterea ſi animal uicturũ ſit, opus ei eſt, ut alimentum cõficiat, & decoquat, quo ſuperato id ad ſuam ſubſtantiam conuertat; atqui lucidum & obuium cuiuis eſt, cõcoctionem caloris naturalis ope prouenire. Quo circa cum indiguiſſent uiuentia quodam calore, quo uitam tuerentur, & functiones ſibi delegatas obirent, oportuit continuo productionem talis fieri caloris, ni enim reſarciretur: uita ſtare neutiq; poſſet, depaſcitur enim calor aſſiduo, & deuaſtat humidum, ad cuius perditionem ipſe tandem manum dat, & ſuccumbit, q ni reſtauratio auxiliares copias afferret, uita noſtra breuiſſimo tempore produceretur, noſq; inter diaria & ephemeria animantia eſſemus computandi. Vt ergo nos uiuaces eſſemus, nec dulce nobis periret libareturq; æuum, & particularum quæq; operi incumberet, & uacaret, cor ipſum natura inſtituit, eiq; caloris officinam delegauit, utq; indies calorẽ moliretur, & ad ſingula membra tranſmitteret, operata eſt. quippe id uiſcus natura, tum omnium animalis particularum maxime ſanguineum, tum calidiſſimũ eſt. ut Galenus primo de temperaturis aſſeruit. quod etiam uel ſenſu tibi dignoſcere licet: ſi enim animali iam mortuo uelis alterutro uentriculorum eius adaperto, & præcipue ſiniſtro in eum digitum ſtatim mittere, magnum inibi calorem deprehendes, & longe maiorem q̃ in alijs ſit partibus, dum modo pro naturæ ratione ſe habeant. nam par huic caloris portio, ut cordi eſt minima, ſic reliquis partibus eſt omnino magna. hoc eſſe uerum idem Galenus libro de inæquali intemperie aſtipulatur dum ait. fiunt eæ omnes inæquales intemperies maxime quidem inflammato eo qui in inflammatione eſt ſanguine, deinde eo qui in uiſceribus & corde habetur, atq; huius maxime, eo qui in ſiniſtro eius ſinu eſt, in quem ſi uiuo etiam num animante, nec adhuc febre tentato, manum demiſeris: uehementiſſimum inuenies calorem, quo magis uerisimile eſt, ubi totum corpus præter naturam incaleſcit, hunc maxime ſinum ad ſummum peruenire caloris, cum tenuiſſimum maximeq; ſpirituoſum ſanguinem habeat, & moueatur perpetuo. Quamobrem de Ariſtotele merito quis admiretur ponente dextrum ſinum cordis calidiorem eſſe ſiniſtro, cum tertio de partibus animalium hæc dicere ſuſtinuit. dexter plurimũ ſanguinis & calidiſſimum cõtinet, quamobrem pars corporis dextra calidior, ſiniſter parum idq; frigidiſſimum, medius mediocrem, tum copia, tum calore, ſed puriorem. hoc ſiquidem abſurdiſſimum eſt, nec fieri poteſt, quin ſi quis hæc deffendere uelit, magnum riſum & ludibrium debeat. Sanguis enim dextri uentriculi, & ſi plurimus ſit, non tamen calidior, nuper enim fuſus in ipſum per uenam cauam ab epate, cum nondum ſit conſecutus ſupremam concoctionem & elaborationem, non poteſt eſſe

uehementer calidus,ſed crudus adhuc incoctuſq;, & rudis(ut ita dixerim) permanet,donec in corde longam & diuturnam traxerit morã, cum enim penetrauerit in ſiniſtrum cordis ſpecum,& arterias quæ ab eo oriuntur,calidior efficitur ualde:tũ ex longitudine moræ ob reuolutionem meatuum per quos ſanguis tranſiturus eſt, tum etiam(quia ut teſtatur Galenus ſexto de uſu partium)cum non ſint manifeſti & conſpectui patentes tranſitus atq; proceſſus à dextro in leuum, neceſſum fuit ſanguinem ualde ſubtiliatum, & ſpirituum naturæ uicinũ ad ipſum pertranſire. Quòd ſi dextra pars calidior exiſtit,id eſt iocinoris ratione, & uiſicæ quæ flauam bilem ſuſcipit,quæ quidem in dextris ſitum & locum habent. Eſt item cordis ſiniſter ſpecus calidior multò dextro quia ſpiritus potiſſimum cõceptaculum eſt,qui multis numeris calentior ſanguine(ex cuius tenuiſſima parte gignitur)pernotatur. Cum igitur cor(ut ex precedentibus innoteſcit) principium ſit caloris:oportet ut ſemper percalidum ſeruetur & efferueſcat perpetuo,ut quod ipſum tum cæteris particulis pulſandi motum præſtet,cum ipſas calefaciat,hijs ſatis ad ſalutẽ ſit, ſi non ſint frigidæ,uel exigui compotes caloris efficiantur. Nam principium ipſum ſi naturali calore priues:non ipſum modo refrigeres,ſed etiam uniuerſa quæ prius ab eo calorẽ acceperunt reliquorum nulli(licet arterias uinculo conſtringas)omnem adimere calorem poſſis,quando per tunicas ipſas nonnihil confluxerit. Eſt enim iuxta Hippocratis ſententiam totum corpus conſpirabile & confluxile, quare ſi non per arterias,at certe per alia, & potiſſimum uenas propter eum qui eſt de una in alteram continuum tranſitum in omnem particulam aliquid caloris defferetur. Quòd autem non ſolum per arterias,ſed etiam per uenas, & alia uniuerſa confluat à corde calor demonſtrat Galenus in libro de uſu pulſuum, & colligitur plane ex eo q; cum multis tum uenatoribus, tum gregarijs militibus,ubi ſingulari pugna decertaſſent:arterias & uenas ita uulnerari contingeret,ut neceſſe fuiſſet medicis,eas uinculo excipere, ij omnes non longo interpoſito ſpatio, frigidiores ſibi redditas partes ſenſerunt,ac citius quidem quibus tum arteriæ tum uenæ fuere deuinctæ,ſerius,quibus arteriæ tantum minime uero quibus ſolæ uenæ, ex quibus manifeſtum eſt per uenas quoq; aliquẽ in particulas accedere calorem,ꝗ̃ꝗ̃ longe minorem,ꝗ̃ qui per arterias trãſmittatur. Quin ſi quam corporis partem citra uulnus deligare uelis,ilico eam liuidam frigidamq; effectam contemplabere, quod planum eſt inde adeo euenire,q; calore qui per omnes partes ſuperne confluxerat,eſt priuata. Ferueſcere ergo calorem cordis(ut dicebamus)opus eſt:hinc ut Ariſt. tertio de partibus animalium ait, pauidiora ſunt animalia, quibus cor grandius,quoniã calorem proportione cordis non habeant, ſed parum caloris in magno conceptaculo exoleſcat, itaq;

ſanguis frigidior ſit. Nam ut in paruo & magno domicilio tantundem ignis non
æquè calefacit, ſed minus in amplo,, ſic calor per corda ingentia ſparſus atq; diffu-
ſus imbecillam uim obtinet. atq; ob eam rem lepores, cerui, mures, aſini, muſtelæ, ti-
midiores aperte euaſerunt, quia magnum proportione corporis cor habent. audentio
ra autem fidentioraq; quibus minus aut mediocre fuit tributum cor, quoniam in ijs
calor collectus ualentior fit, & ingentes animos ad quiduis audendum præbeat ani-
mali. Quòd ſi multum cor in caliditate exceſſerit, tunc furibunda quædam (inquit
Galenus) iracundia & temeritas adſunt. cõcomitatur nãq; ira omnem exceſſum ca
loris in corde, non propterea q̃ ſit ſanguinis ebullitio, & accẽſio circa cor: non enim
ſanguinis feruor ad excandeſcentiam proritat, ſed potius excandeſcentia ſiue ira: hũc
ſanguis generat feruorẽ. Quam ergo ob cauſam propenſiores ad iram ſunt qui cor
habẽt calidũ, dicimus, q̃ ratio & finitio iracũdiæ, libido, & ſtudium illud eſt repo-
nendæ uindictæ per quod mouetur corpus, citaturq; ad pellendum quod moleſtiam
inducit, ut concupiſcentia nil aliud eſt, q̃ appetitus mouens ad amplectendum quod
iuuit. repulſio autem eius quod nocuũ eſt, ſicut non poteſt fieri niſi à uehemẽti motu,
ad quem quidem caliditas reddit apos: ſic nec appetitio repellendi (quam eſſe forma
lem rationem iraſcentiæ, dicimus) non poteſt in corpus ſeu inſtrumentum ualde
calidum concidere: quia mouet anima corpus, ſicut ipſum aptum & diſpoſitum eſt,
quod autem calidius eſt corpus, mobilius & prõptius exiſtit, ut id appetitus uin-
dex agitet, eoq; tanq̃ organo ad repellendum triſtia adutatur. exempli cauſa iudi-
cat ratio iniuriam acceptam eſſe, ſtatim animans iracundia exæſtuat, cupienſq; uin-
dicare, calorem excitat & ſpiritum cum quibus negotium faceſſat, hij feruorem
in ſanguine excitãt: quo tanq̃ auxiliaribus copijs confirmatum recalefactumq; ag-
greditur atq; laceſſit, quodcumq; ſibi noxam inferebat. frigidi autem cordis animu-
la licet percipiat quod lædit, non tamen in iram de facili prorumpit, quoniam cor-
pus ineptum eſt ad hanc repulſionẽ, tardeq; difficulter excitatur ab appetente: qua-
re cum ratio organum non ſibi ſequax & obſequens eſſe dignoſcat, quo cõmode ul-
ciſcatur, ueluti uicta cedit atq; fatbiſcit, nec hoſtem auertere tentat, ſed potius con-
ſternatur, atq; flacceſcit at cõtra quæ calidius & facile motabile corpus obtinẽt,
ex leui ſæpe irritamento grauiter excandeſcunt, proindeq; in fame & ſiti ad iracun-
diam ſunt proniora. Sed hæc nobis ueluti parerga & præter intentionẽ ſint dicta.
redeamuſq; iam ad id unde ſumus progreſſi. Cum uita & anima calore quodam (ut
Ariſt. ait) contineatur: impoſſibile autem ſit calorem ſeruari, ni aſſidue perfletur
ideo neceſſum fuit refrigerationem adhiberi, quod ſane Ariſt. ſenſit dum in libro
de reſpiratione dixit. Omnino igitur animantium natura refrigerationem deſide-

rat & inſpiratum, ob animæ in corde incendium. & rurſus in tractatu de morte. Porro uitæ principium defficere ſolet, cum calor cordis non reffrigeratur. tunc enim idem ſeipſum conſumit. animalium autem cum alia aquatilia ſint, alia in terra degant, inter hæc ea quæ ſanguine carent, à continente aere, uel aqua ſatis refrigerari poßunt ad hanc corruptionem euitandam. nam cum calorem habeant exiguum, modico etiam auxilio egent. plantis quidem(inquit Ariſt.) ſubſidium illud quod per alimentum & ambientem aerem paratur, ſat eſt ad caloris naturalis tutelam atq; ſalutem: etenim alimentum refrigerationem cũ ingreditur facit. Quæcunq; autem ex inſectorum genere uiuaciora ſunt, ijs corpus ſub ſepto tranſuerſo præcinctũ diſtinguitur, ut per membranam ſubtiliuſculam refrigerentur. atq; ad hunc modum quæcũq; bombos elidunt, qualia ſunt ueſpæ, ſcarabei, & cicadæ: habent membranam quandam, ſub diaphragmate ſubtilẽ & tenuem, quæ dum attollitur & uiciſsim deprimitur, calorem eorum tuetur. nam murmur illud, ſpiritu: dum quaſi anhelant, ciere ſolent. Eo enim ſpiritu qui in ipſo ſepto tranſuerſo inſitus eſt, dum ſeſe ſurrigit, ac per uices ſubſidet, contingit quẽdam attrictum & colliſionem fieri ad membranam, ex cuius percußione ab ſpiritu ſtrepitus illi eduntur atq; citantur. Ob id etiam cum duplex ſit cicadarum genus, quædã enim ſunt canoræ atq; uocales, quædam uero inconcinnæ, ut ita dixerim, & inuociles, priores ideo canunt, quoniã calidiores ſunt, & diuiduæ ſub ſepto tranſuerſo, quæ uero non canunt, indiuiduæ ſunt, nec membranam ſe attollentem per uices refrigerationis gratia obtinent, quoniam frigidiores exiſtunt. Quæcũq; uero animantia calidiora ſunt, & non tantum cor habent, ſed etiam pulmones, ea ſibi refrigerium per reſpirationem moliuntur, attrahendo reddendoq; animam per uices. at quæ cor habent, ſed pulmone uacant, uti piſces, aqua per branchias refrigerantur, quòd eorum natura aquatilis ſit, qui autem piſcium ſunt calidiores, ut delphini & balenæ ij pulmone prædití ſunt, & ſpirando refrigerari ſolent. Quam obrem & talia exerto ore dormiunt, ſtertuntq; ipſi quidẽ delphini, & per ſumma pelagi fluitare uiſuntur, ut ſpirent, & retibus capti breui tempore ſtrangulãtur, quòd ſpirãdi facultatẽ amiſerint. Namq; ut Oppianus halieuticôn ſplendidißimus auctor ait: piſcibus atq; ipſis trahitur circunfluus aer. Quoties igitur(ut pulcherrime Ariſto.) alijs pulmo, alijs branchiæ obdureſcunt, præ temporis longitudine, exſiccatis, hijs quidem branchijs, illis uero pulmone, & terroſioribus redditis, has particulas attollere & comprimere non poßunt, ac tandem calor ipſe obſoleſcit, & marcore corrumpitur, quo circa & paruis affectibus in ſenectute obortis, animalia cito commoriuntur. eſtq; mors talis nulli obnoxia dolori. tunc enim animalia mortẽ obeunt, & ſi nullo uiolento affectu tẽtentur. immo uero

citra ullum penitus ſenſum anima ipſa recedit, propterea ꝙ pulmo multum attolli & ſubſidere nequeat, tandemq; ubi moueri præterea non poteſt: expirãdo uita cum morte cõmutatur. Cum itaq; nobis per præcedẽtem ſermonem ſatis oſtenſum ſit, cor calidiſſimũ eſſe, anteaq; ad reliqua accedam, uellem illud ſummopere notatum, cor ipſum ex mente Galeni in cenſu & ambitu humidorum eſſe computandũ, quod patet ex primo de temperaturis ubi ita ſcribit. Verum cor paulo ꝙ cutis minus eſt durum, iecur multo, itaq; etiam humidius ꝙ cutis cor eſt, ꝙto ſcilicet eſt mollius, unde profecto fidem frontemq; iuniorum deſiderare compellor, qui affirmare ſuſtinent Galenum cor ſiccum primo de temperaturis poſuiſſe; idq; paſſim & impune iactitant, uerum enimuero qui hæc ab eo ſuſpicantur dicta, inceſſendi merito, coarguendiq; tarditatis ſunt, qui eum intelligere nequeant, & profecto ſurdiſſimis mihi eſſe auribus uidẽtur: qui uocem Galeni à nobis paulo ante citatam, tam contentam, illuſtremq; exaudire non poſſint. ſed aſtringamus tandem, nec uagari amplius orationem patiamur. Cor ergo principatum & pontificiũ obtinet in cæteras hominis particulas, cum caput & origo caloris ſit, ſine quo uita ſtare diu non poteſt, ut ſatis à nobis ſufficienter per præcedentem ſermonẽ eſt explicatum, quo fit ut tantam noxam & labem, ꝙtam reliqua membra ſtante uita non toleret atq; ſuſtineat. Solũ hoc uiſcus (Plinius inquit) uitijs non maceratur, nec uitæ ſupplicia trahit grauiora, læſumq; mortem affert præſentaneã, cæteriſq; corruptis durat in corde uitalitas, quod Ariſt. etiam num tertio de partibus animalium libenter amplecti uiſus eſt cum dixit. Cor ſolum uiſcerum atq; omnino partium corporis nullũ uitium patitur graue idq; recta ratione, cum enim principum corrumpitur, nihil eſt quod cæteris quæ inde pendeant, præbere auxilium poſſit. Indicium autem: ꝙ nullum affectum cor patiatur, ꝙ in nulla hoſtia cor ita affectum uiſum adhuc eſt, ut in cæteris uiſceribus cernitur, hæc Ariſt. Tanta eſt uiſceris principalis reuerentia, tanta dignitas, tam grauis offenſio. notandum tamen ꝙ cum Ariſt. & medici cor nullam læſionem perpeti dicunt, intelligendum illud eſſe de ſolutione unitatis. nam malam intemperantiam ueluti febrem, aut palpitationem nihil dubium eſt. febres cotidie à corde trahere ortum experimur. palpitatio uero huius uiſceris (inquit Galenus quinto de locis affectis) pluribus integra ualitudine degẽtibus tum adoleſcentibus tum adultis ſubito ſine alio manifeſto accidenti uenire uiſa eſt: atq; omnes eos ſanguinis detractio iuuit. Ergo in corde ſimularium partium intemperies ſubitam mortẽ non inducunt, ſimiliter nec duri tumores duritieſue in ambiente cor tunica prohibentes ne id commode dilatetur, quales in gallo ſunt enati, quẽ Galenus diſſecuiſſe ſe reffert. nec uero humores aquei quales in puſtulis aquo-

corde, uix eius motus niſi forcipe comprehendatur, cõpeſci poſſit, quin è digitis elabatur, eo tamen modo rem ſeſe habere teſtatur, ꝙ animali ad mortem tendente prius imæ partes moueri deſinãt, & deinde paulatim ad baſes motus deffitiat, quas ſi quis comprimere uellet manibus, ne cierentur, mors ſtatim ſequeretur. ait tamen, ꝙ in auribus ipſius cordis, iam perfecte moribundo corde obſcura quædam & exilis motio pernotatur, cum iam cor moueri deſierit. ꝙ ſi illorum rationem ſequi uelimus: illas anguſtias ſubibimus, & periculum promptum, ne cordis ſolas auriculas, ut dignitate præſtãtes, cæteris illius partibus omnibus præferamus. Nec uero ſi in ſiniſtro prius defficere motum cõcedamus, quidpiam adhuc uir ſapientiſſimus nos credere coget, dicere enim poſſumus ſiniſtrum prius deffeciſſe, quoniam cum eſſet perfectius, non potuit diu malum ſuſtinere, & ut Paulus de uribus aquarum loquens ait: alterationis procliuitas uirtuti magis ꝙ uitio aſcribẽda eſt. aut quia cum corpus dextri ſubtile & molle, ſiniſtri autem craſſius nimis & denſius fuerit cõſtitutũ, difficilius ſit ipſi uirtuti pulſificæ id mouere ꝙ dextrum. Quia uero de motu poſtremum in cordis auribus defficiente, meminimus, abſurdumq; & inconſonum rationi eſſe uideatur, ut in enatis proficiſcẽtibuſq; à corde magis ꝙ in ipſo cordis corpore motus & latio perduret, inquirẽdumq; per ocium admoneat Galenus: ſolutionemq; differat, quoniam eo loco aggreſſiones tantum anatomicas, non cauſas reddere moliatur. nos nihil (nam curſim mẽtem noſtram explicare quid uetat?) abſurdum & abs re à natura effici arbitramur, ꝙ ultimo aures moueri deſinant quæ pro cordis partibus non habentur: cui quatuor præcipua uaſa, arteriæ ſcilicet duæ, magna quæ aorte dicitur, & uenalis. duæq; uenæ caua ſcilicet & arterialis, qua ſanguis ad pulmones deducitur; aſcribantur. nam uitaliores partes, quæq; maximi ad uitã refferunt, promptius patiuntur, & damnum corruptionemq; ſubeunt, nec uero (ut exiſtimo) baſes ipſæ poſſent moueri, quin ad aures quoq; extrinſecus prominentes uis illa ciendi & agitandi ſeſe deriuetur, ſicut nec ſole fulgente fieri poteſt, quin illuminetur nubilus aer. Hijs adijce ꝙ mors nunꝙ ferme ſubſequi cõſueuit niſi exhalãte paululũ anima, & à centro imoq; corporis abeunte ad cutem & ſuperficiem externam donec ultimo tandem exterioribus relictis partibus, & ui omni exhauſta, mors inferatur. Sunt quoq; craſſiuſculæ aures, in quibus (ut in aqua puteali aut ferro diutius ꝙ in rariori ſubſtantia calor aut frigus conſeruatur) facultas illa mouendi ſibi tradita, ꝙuis principio extincto permanere poteſt. Quod uero rurſus obtrudũt, totum ſanguinem in ſtrangulatis in uenis cõtineri, facilis illa in promptu, & ad manum reſponſio eſt, ſi dicat quis illud ob eam accidere cauſam, quoniam in arterijs uiuo adhuc animali, magna portio ſpiritus, minima autem ſanguinis repe-

riatur in uenis contra: cũq; ij qui laqueum collo aptauerunt, non inſpirent aerem ad refrigerandum calidum, ſpiritus non uentilati cum tenuiores ſint, facile diſcutiãtur & euaneſcant, ſanguis autem in uenis contentus, ut pote craſſior, non manus ſtatim dat, ſed longiori temporis ſpatio manet. Heraſiſtratus autem qui arterias uacuas ſanguine contendit, nec hoc ipſum concederet, ꝙ inanes arteriæ reperiantur, nam ſi reuincatur ſanguine in arterijs oſtẽſo, hunc aliunde illuc concedere narrat, probabilemq; rationem affert de hœdis lactentibus, alijſq; animalibus quibus multa & tenuis humiditas in uentre continetur, quæ ſi ſtrangulentur, inuenias, lacte diſtentas & aeroſa humidaue quadã ſubſtãtia arterias obtinere: quo palã argumẽto cõprobari uidetur, aliunde ad arterias cũ durus urget caſus: ſanguinẽ & humores trãſumi, quas cõſentaneum magis eſt plenas offendi, ꝙ̃ uenas, ut pote ad quas natura recurrat, ut per illas citius cordi præſidium paſſuro ferat, ita ut nihil magis ex hoc aduerſum nos habere poſſit. ſed tamen ſatis iam ſatis de quercu (ut aiunt). Verum ut quod ab initio dicebam: repetamus. cor principaliſſimum reliquorum membrorũ eſt, conuenientiſſimumq; fuit, ut unum uiſcus imperandi munus obtineret cui reliqua præſtarent famulatum (ut enim inquit Homerus).

Res mala multiplici terras ditione teneri.
Eſto unus princeps populos cui pace regendos
Iuſtitiaq; dedit magni regnator Olimpi.

Vnde firmiſſime ſuſtinere non uerebimur, nunꝙ̃ poſſe animal mori quin cor lædatur, ita ꝙ ſi animal interitum mortemq; ſubit, quocunq; tãdem morbo id teneatur, neceſſum tamen eſt cor aliquid noxæ cõtraxiſſe, atq; fuiſſe perpeſſum. audaciſſima profecto concluſio, ſed audeamus fortiter, ſimuſq; uel periculo liberales, non enim abſq; Galeni ſuffragijs qui uir mihi unus multorũ millium inſtar eſt, ad tãntã concluſionẽ aſſerẽdam accedimus. ſubſcribit is nobis & calculum apponit quinto de locis affectis ubi ita ſcribit. Semper mors ſequitur ad immodicas cordis intemperantias, ſimul enim cum ipſo omnes uitiantur partes, cum enim ipſæ ob peculiarem cordis tẽperiem actiones ſuas perficiant, hac pereunte actiones quoq; ipſarum perire neceſſe eſt: & cerebri quoq; & epatis. horum uero temperie deperdita, non oportet ſimul cordis actionẽ perire: ſi enim nec nutriatur animal, nec ſentiat, nec moueatur, quod in latentibus animalibus euenit, nihilominus uiuere ipſum poſſe, quoad cor manſerit illæſum, nequaꝙ̃ negandum eſt. at uero ſi cor reſpiratione priuetur: hominem illico perire neceſſe eſt. hoc item expreſſe uoluit idem Galenus quarto de ſimpliciũ medicamentorũ facultatibus capite decimoſeptimo ubi ait. Nec enim animal ullum interire poteſt, quin cor ab agendi munere ceſſet. hinc eſt ꝙ medicamenta

quæ frigiditate interimunt, ut cicuta, papauer, altercum, mãdragora, in calidis naturis magis uim ſuam exerceant. cum enim ſit impoſsibile, ut interficiãt, non prius corde frigore perculſo, in calidis naturis citius ad cor attrahuntur, ſecãtur, & cõminuuntur, in frigidis uero cũctantur, & tardant, in maioribus meatibus hærẽtia, & uenis atq; arterijs innatant: & tẽporis ſpatio interim per longos errores atq; multas iactationes ab humoribus qui in eis ſunt, uiciſsim perpetiuntur, accidit ꝗ; interdũ, ut concoquantur. Sic itaq; perimit apoplexia fortis, attonituſue morbus, læſo namq; cerebro, qui nerui ab eo oriuntur, nequaq; poſsunt thoracem attollere, cumq; cor beneficium ſpirationis flabellorumq; non ſentiat, fatis cõcedit atq; ab interitu animal rapitur. In corde ergo (ut dicta breuiter reſumamus) principium uitale degere illud uel maxime fidẽ repugnãtibus faciat, ꝙ in oĩm quæ obtineri potuit munitiſsima atq; tutiſsima totius corporis parte ſedẽ illi natura cõſtituit, quæ paſsim in ipſa rerũ ab ſe genitarũ incolumitate ſeruãda mire ſagax atq; ſollicita eſt. tutiſsimũ uero eſt mediũ, id autẽ eſt pectus: & locus is qui cordi circũiacet: interiorẽ itaq; uiſcerũ apparatum à natura (quæ nihil molitur incaſsum) exacta diligentia cordi tuendo inſtitutum conſpicimus, quod in media exacte totius corporis regione poſitum, plurima & ualidiſsima oſsium & carnis compagine circũſepitur, opertumq; firmiſsimo mẽbranæ inuolucro uelut indumento munitur (quod pericardiũ quia cor circũeat: appellatur) atq; adeo durum & denſum obducitur, ut uix ferro impatile ſit. diſtat autem tãta intercapedine & interuallo à corde, per quantũ ipſum attollitur, cũ diſtinguitur: ne ſcilicet eius lationi impedimento eſſet, adeo ut domum potius cordis ꝗ̃ tunicam nuncupare ſit tutius. ad neceſſariam uero caloris redundantiam habet cor attrahentis & reddentis ſpiritum officinæ ſuppetias: quibus intercedentibus ad æquabilem caliditatis mẽſuram admota refrigeratione deducitur, in quo ſane munere præſtãdo præſto adeſt pulmo ſpongioſus, fiſtulis cauus, & ceſsilis, qui ne ulla in parte cor lædatur, ueluti tergidux auxiliarius occurrit, & merito quidem tot ſuppetijs & munimẽtis obtenditur, cum utilitatis originem complectatur, & ſimul atq; cor pati contingat, in animalibus quibus eſt cor, ineuitabilis interitus occaſio incurrat, ea enim ægritudo quæ uulgo cardiaca nũcupatur, à qua plæriq; euadunt incolumes, non cordis ſed ſtomachi ægritudo cẽſenda eſt, fuit namq; in uſu ueteribus, ut uentriculi hoſtiolum cordis appellatione inſignirent, ex cuius affectionibus quæ à medicis cardiacæ ſincopæ conciſioneſue uocãtur: proueniunt. Sed quoniã leoninã (ut inquit apud Platonem Socrates) ſemel induimus: non relinquamus prius: quin mõſtra omnia Herculis more perdomemus. Cum enim huc uſq; tãtam cordi dignitatem conceſſerimus, periclitantur tamen teſtes, & cerebrum, ne (quẽ illi dedimus)

*honorem præripiãt ſibi & alienam gloriam uendicent. Propoſuiſſe ſiquidem teſtes
uideri poteſt Ariſt. qui recenſens cauſam cur exectí, eneruati imbelleſq; reddan-
tur, illud ait patrocinari, ꝙ ſectis teſtibus cor à quo robur tonuſq; prouenit anima-
li, laxius ſolutiuſq; relinquatur, quia nihil ſit aliud. quod cordi tenſionis illum uſum
præſtare poſſit. Cum igitur non ex proprio habitu atq; natura tale ſit cor, ſed ex-
trinſeco aſcititio indigere præſidio uideatur, quod munus teſtium dono ſibi contri-
butum eſſe ſentire uiſus eſt Ariſt. potior teſtium ſtatus comprobari uidetur. quos
etiam ipſum Galenum cordi in membrorum principatu prætuliſſe: credere quis atq;
ſuſpicari poteſt. Is enim dũ acrius libro de ſemine primo in Ariſtotelẽ inuehitur,
qui teſtes eum uſum præſtare dumtaxat opinatus eſt, quem lapides à telis ſtamini-
buſq; ſuſpẽſi præbent, dum rectos incõniuenteſq; cõtinent meatus: qua radius texto-
rius trãſiturus eſt. primo quidẽ cõmemorat caſus difficiles, qui exciſos eunuchoſq;
redditos cõſequuntur. Deperditur (inquit) & perit ipſis omne robur, & uirilitas,
& fortitudo, & ipſa maſculinitas (ſi ita loqui detur) nec latitudo uenarum am-
plius ipſis ineſt, nec ſanguis floridus, nec pulſus robuſti adſunt, ſed uieti, & ueter-
noſi, marcidiq; & putidiſſimi ad omnia reddũtur. Fœminis autẽ quibus excaſtratio
peracta eſt, oĩs libidinis uſus, amorq; extinguitur, nec marẽ proſequũtur, nec ſimili
etiã dũ tẽtigine turgẽt, ſed perĩde acſi fœminitas ipſa, muliebriſq; natura cũ ipſis te-
ſtibus ab illis exciſa fuerit (quas tamẽ difficulter nimis caſtrari poſſe ait) inertes ſe-
gneſq; ad uenerẽ euadunt. Nec hoc ſolum (inquit) execti patiũtur, ſed & magnũ in
carnibus utrorũq; diſcrimen intereſt. ſuauiores enim multo & gratiores caſtrato-
rũ ſunt carnes, cum animalium non exciſorum graues ſint, & uiroſum odorẽ (qualis
is eſt qui ſub hircorum alis cubat) refferant: & teſtium quodãmodo qualitatem ſa-
poremq; reddant, quibus uis adeſt alterandi totum corpus. Sed nec moleſtũ, aut ui-
dere difficile eſt (inquit) cur exectis hæc accidant, cũ alterum innati caloris princi-
pium deperdant ipſos ſcilicet teſtes, quos palam eſt, ſi dum aderant, corpus caleſce-
bat, abſentes refrigerare, atq; robur mẽbris omnibus & particulis apponere: qui-
bus ablatis corpora effœminentur, & non multum fœminarum diſſimilia fiant,
omnemq; tum animi tum corporis uigorem amittant, atq; deperdant. Galenus itaq;
cum teſtiũ utilitatẽ, præ Ariſtotele qui illos ſubtegminũ ponderibus, forticuliſq;
ſtatuentibus rectos telarum meatus (quos lias uocant) aſſimilauit: ſe aſſecutum co-
gnoſceret, tãdem in hæc uerba prorupit, quæ accuſatoribus calũniandi anſam præ-
ſtare, ſuppeditareq;, & ſuggerere poſſũt. Cõferunt (inquit) faciuntq; & ad gene-
ris ſucceſſionem diſtributionemq; teſtes, hoc autem tertium à uiribus ſcilicet & ca-
lore, quibus afficit totum corpus: nec ipſum cor præſtare poteſt. Vt igitur cor ui-*

uendi

uendi ſit auctor, ut bene tamen uitam animãtia agant, (quibus id unicum ſtudiũ eſſe uidetur, ut ſobolis propagatione diffundant in poſterum ſeſe: & immortalitatem quoad poßunt, aßequantur) teſtes concedunt, quanto igitur ipſa ſimplici uita, bene pulchreq; uiuere præſtantius eſt, tanto in animalibus teſtes corde ipſo ſunt eligibiliores. In ijs (inq̃) uerbis calumniam ſuſtinere Galenus uidetur: qui tãtum teſtibus dignitatis tribuat, quibus tamen abſciſsis uiuere non denegetur, cũ corde adempto (ut ægyptius Moſes argutatur) nihil opis ferãt, colei, quin nigrum fatum proſerpat. Sed flagitioſa hæc obiectatio eſt. nã quod (quæſo) piaculũ, flagitiumue cõmittitur: ſi dicat Galenus optãdos magis ipſo corde ab animalibus eſſe teſtes? quæ cũ poſteritatis ſenſum inſitum habere conſpitiantur: multo magis (opinor) eligerẽt uiuere ſi daretur, ſine corde, dum modo, genus proferre poßẽt, generãdiq; facultas non tolleretur, q̃ ut manente corde, uiribus eneruata, nil maſculæ uirtutis habentia, per omne degant æuũ, & generis, rerumq; ſucceßione priuarentur, uiuereq; (ut ego quidem arbitror) non amplius uellent, ſi protendere liberorum procreatione ſpetiem non poßent. Multa neceßaria ſunt, quibus tamen alia eligibiliora habentur. quod malum, moleſtumq; eſt, neceßarium quandoq; dicitur, quod nullus (ſi modo ſit ſanus) tamen præoptarit magis. nutricationis ciborumq; eſt uſus magis: q̃ rationis neceßarius, ſed nullus niſi mente ſit captus: uentri ſeruire potius, q̃ uiuere ſecundum rationem uelit. ſine cibis epuliſq; porrigere uitam non datur, ſed quis omnibus cupediarũ eſcarũq; delitijs: ſenſuũ munera, & audiendi, uidẽdiq; uſum (qui propter melius fuit datus) nõ præferat? Cur igitur diem Galeno dicamus, & tantũ nõ criminemur? cũ etiã (ſi dijs amicũ, collubitũq; eſt) ægyptius ille tantũ imminuta, deffectaq; eſſe uerba Galeni aßerat, ut amplius imminuere non oporteat, qui tamen (ſi quicquã mihi iudicij eſt) nõ neceßarios magis, & ad uitã magis præſtãtes, ſed eligẽdos magis ab animalibus eſſe diffiniuit, per quos ſcilicet nõ ſolũ robur, & uita, ut ex corde habetur, ſed memoria in poſterũ, ſeculũq; etiã demãdatur, cũ in ſuis genitis animãtia uiuant. Cõtra Ariſt. autẽ qui cor, tonum, roburq; ut firmiter diſtentum teneatur: à teſtibus precario habere arbitratus eſt, multa ſunt, quæ uirum alioquin doctißimum urgere, illiuſq; opinionem ut falſam repellere poßunt. nam ſi tenſione indigebat cor, præſto erat arteria aorta, & caua uena à corde exortæ, quæ ubi primum thoracem aſcendunt, pectori, uel ſpinæ, loris uinculiſue quibuſdam adalligatæ, firmius ualentiuſq; cordis ſubſtantiã extenderent, per quas, aut etiam per uenas & neruos, quibus cor continuatur, tenſionem cordi natura moliri potuißet. quod etiam ſi uentri, ſpleni, aut epati ligamentis quibuſdam connexum eßet, non paulo meliorem nexum (ita ut directum ſtipitis modo ſtaret) ſortiretur. Sues quoq; porcorumq; ſubantium greges, omniumq; animalium, quorum

aſtricti, & non penduli ſunt teſtes, ut eſt uolucrum omne genus, auiumq́; (quibus non ſub corde, ſed ſupra ſeptum tranſuerſum, intra tunicam quæ circũ membris omnibus ſpiritalibus obtẽditur, ob idq́; peritonecũ appellatã, in dorſo ſunt conditi, atq́; collocati) eius opinionẽ manifeſto redarguãt, ex quorũ appẽſione nullũ cor beneficiũ retuliſſe queat. Sed nec tenſio illa ad cor peruenire ullis machinis poteſt: cũ medient ſeminalium uaſorũ uertiginoſi, hederarumq́; modo circumplicati meatus, qui prius dirigãtur, tendãturq́;, oportet, ſi tẽſio ad cor ipſum uſq́; ſit peruẽtura. Quód ſi obſtinatius, pertinaciq́; animo cõtẽdat à teſtibus tẽſionem aliquã prouenire, mox illud uel inuitus fateri, & cõcedere cogetur, ꝗ quibus propẽſiores, magiſq́; depreſſi teſtes intercipiuntur, deſcẽduntq́;, ij ualentiores, & meliorẽ naturã ſortiti dicãtur, quia ſic deprimere, & tẽdere magis ſint nati: ut ĩ põderibus tũ horologiorũ, tũ textrinarũ cõſpicitur, quæ quò magis deprimuntur, & à cẽtro recedũt, magis protẽdere, & ad ſe cõuellere poſſunt. quod tamen falſum, & præter ueritatem eſt. nam iuuenibus, & ualidis, atq́; robuſtis: cõtracti, reductiq́; ſunt teſtes, ut contra ſenibus & infirmis, imbecilliſq́; hominibus laxi, & ſoluti, profluẽteſq́; cõſtãt. Sed de teſtibus ſatis, qui palmã cordi prærepturi uidebãtur, præſertim cũ iã inceſſuerit Ariſtotelẽ Galenus adeo, atq́; in quibus offẽderit, impegeritq́;, palã fecerit, ſuperuacuũ eſt: ne nos ſupra ætatẽ (quod dicitur) proſtratũ iã, humiq́; deiectũ importunius laceſſamus, quem uenerari potius, pro ijs in quibus recte decreuit, ꝗ̃ carpere ea in quibus delapſus eſt præſtat. Magis autẽ ambiguo certamine cũ corde cerebrũ cõtẽdere uidetur, utri illorũ laurea ſit defferẽda, in quo quidẽ agone atq́; paleſtra, multũ nimis cerebrũ periclitatur, ne uictoriã ferat. Si eni cor tantã dignitatẽ obtineret, quamtã illi cõtribuimus, ne minimo quidẽ tẽporis momẽto, uita ſine corde ſtaret, aut grauiore aliquo malo, uel iniuria affici poſſet. nudari tamẽ uiuo adhuc aĩali cor poteſt: ut ex Galeno in anatomicis aggreſſionibus didicimus, quod nullã adeo ita ſubitã noxã pcipiat, ut ſi illi uulnera foueãtur, & religẽtur, etiã ingrediatur, & clamet, & ſpiret, atq́; uociferetur: & fugiat, latebraſq́; quibus ſe abdat, inquirat ſolutis uinculis: & edat ſi fame cõficiatur, bibatq́; etiã nũ, ſi ſiti premi cõtingat, quod ne cui dictu mirũ, & inopinatũ, maiuſq́; oĩo ꝗ̃ ut illi quis credat: uideretur, adduxit in exemplũ Marulli mimographi filiũ: qui uulnere in paleſtra accepto ĩ pectore, & ſuppurato, purgatoq́; pure, ad cicatricẽ deducto, iterũq́; ſuppurato, corruptione nimiũ peruadẽte, cum ſibi cor fuiſſet denudatũ, putruiſſetq́; pericardius amiculus, quo cor circũ tegitur, corq́; ipſũ & uiſcera intus apparerẽt, cõſiderãtibus medicis, an ad aliquã partiũ oſſi putredini obnoxio ſubiectã, putror, & corruptio pmearet, ad integrã tamẽ ſanitatẽ reſtitutus eſt: ualitudineq́; nõ multũ poſt oĩbus numeris abſolutã recuperauit, ut ſi cum homo nudato corde uiuere potuiſſe cõſpiciatur, nihil miri am-

plius reputetur, ꝙ aĩalia cætera nõ protinus intereãt, quæ tãto rationi magis cõſentaneũ eſt, ut corde nudato nihil mox patiãtur, ſed tolerent diutius, atq; ſuſtineãt, ꝙ̃to ſcilicet ad patiendũ duriora, proniora q; ſunt. Docuit ad hæc (quo loco citauimus) Galenus tres aggreſsiones, diſtinctoſq; modos, quorum ſecundum unũquemq; aĩali ſupra tabellã exiguã ſupino cõſtituto, detõſoq; à pilorum ſilua pectore, & cõmode religato, nudari cor poſsit, præter ꝙ̃ ꝙ thorax perfodiatur, quo perfoſſo prius aĩal morte occuparetur, ꝙ̃ uiſcerũ poſitũ: aut aliud quodcũq; eorũ quæ uellemus: ſpectare daretur. eſt eni ſyntreſis, cõfoſsioue, nõ qualiſcũq; thoracis pcuſsio, aut uulneratio, quã oĩo neceſſe eſt fieri, ſi nudũ cor cõſpici debeat, ſed ea dũtaxat, quæ thorace icto, atq; percuſſo, ſecundũ aliquã magnarũ cauitatũ quas habet: ppetratur, quod ubi cõtingit: nigra mox lues, & dira mortis neceſsitas, aĩal ipſum appræhẽdunt. durum igitur, & difficile nimis eſt hoc, & quod benignos, facileſq;, atq; rogatos, ut fidẽ mereatur, ex poſtulet auditores. Sed difficilius adhuc eſt, quod ſecũdo de dogmatibus Hippo. & Plato. reffert, nõ nudato ſolum: ſed extracto corde, lõgo etiã nũ poſt ſpatio, aĩal uitã protrahere, donec ſcilicet multum de ſãguine fũdatur quatuor ſcilicet maximis uaſis quæ in corde habẽtur, & per thoracẽ deſcendunt, arterijs (inq̃) duabus, & uenis totidem ingẽtibus, ſanguinẽ affatim deſtillãtibus. quo loco illud ſæpius euenire narrat. ut corde aris impoſito, ut ex eo auguria captẽtur, aut ut ignibus adoleat (quod in multis uictimis, quas ad irã deorum arcendam apud multas gẽtes, factuare cõſueuerũt, cõſpicuũ eſſe ait) aĩal ipſum adeo nihil in uoce, aut motu impediatur, ut intẽto clamore clangat, & gemitibus cũcta cõpleat, & libere ſpiritũ ultro citroq; meãtẽ reciprocãq; aĩam trahat, & fuga ſe proripiat, ſibiq; cõſulat. Hoc itaq; cũ cor pſtiatur, ut ſcilicet & nudari, & extrahi poſsit uiuente aĩali nihil horũ cerebrũ poſſe pati palã dignoſcitur, cuius uẽtriculi ſi aut uulnerẽtur, aut craneo cõpreſſo cõprimãtur, ne cieri poſsint, aut cõtundãtur, aut aeri uel etiã nũ tepido, & caleſcẽ tiexponãtur: fieri nõ poteſt, quin repẽtina mors, & ſubita internitio cõſequatur. Nã ſi chirurgiæ, manualiſue operatiõis cauſa, uel in medis etiã æſtate cerebri uẽtres denudẽtur: præſẽtaneũ periculũ, lætaleq; eſt, ſi æque frigidi, uel calẽtiſsimo aeri euadãt. & ſi nedũ cerebrũ ipſũ, ſed etiã ſpinalis medulla plaga inflicta noceatur: paratiſsimũ prõptiſsimũq; excidiũ eſt, moxq; ſẽſu motuq; omni aĩalia priuãtur, & emortua iacẽt, & ſternũtur, ut taurorũ exẽplo cõprobat, cõfirmatq; Galenus, qui ſi ad primos ſpõdylorum, uertebrarumue exortus, productioneſq; uulnerentur, confeſtim moriuntur, ſenſuſq; & motionis omnis immunes: obeundo uitam exhalant, atq; peruertunt. Hijs multi fidem non adhibent, & rem à ueritate nimis remotã (nihil enim noceat illorũ uerbis uti) arbitrantur, quã Galenũ cõmen-

tatum aiunt, ut poſitionẽ ſuã, qua cõtra Ariſtotelẽ corde nihil indigere cerebrum ad munera ſenſus & motus cõſentit, tueatur: nec aſtringi quoquo pacto ijs fidẽ ſuã patiũtur. Nonnulli rurſus in Galenũ cauillãtur: ꝙ dixerit animal corde extracto. quia mox magnus ſanguinis fluor cõſequatur, uitã amittere, quia futurũ eſſe aiunt, ut ſi hæmorragia diligẽter occluſis, obſeratiſq;, atq; occupatis canalibus, quibus fluit ſanguis, compeſcatur: animal uiuat aliq̃to tempore ſine corde. Hæc iſti inter ſe digladiantur, nec cõuitijs, nec turpibus uerbis proiectis, interim abſtinentes, tantum abeſt: ut uerum ipſi aſſequantur, ut etiã benemerẽti gratiarum loco improperia, & iniurias cõferãt. Tanta eſt quorũdã hominũ, uel inſcitia, uel audatia, ut de nullis magis affirmare tragico, & Sophocleo ſupercilio præſumant, q̃ de ijs quæ nunq̃ cõſequi potuerunt. Equidem qui Galenũ, uel in hoc, uel in quacũq; re alia quæ ad medicæ facultatis ſcientiã pertineat: calũniari ſibi ꝑmittũt, eũ non legiſſe, aut perperã legiſſe, nec intellexiſſe, plæniſſimũ, nimiſq; ꝑſuaſũ habeo, nec unq̃ ferme alios magis de Galeno male ſentientes ſum expertus, q̃ qui (quia ad bonã litteraturã aſpirare, uel ob ingenij culpã, uel ꝙ illis litteris ab initio inſtituti non eſſent, quas qui eloquentiſſimũ & perinde doctiſſimũ Galenũ intellecturus ſit, habere debeat, non poſſẽt) ad Barbarorũ deffectione facta, turmas: totos ſeſe cõtuliſſent. Nos igitur (ut hanc litẽ dirimamus) nihil ãplius ex dictis cõcludi, aut haberi magis arbitramur: q̃ quód dyſpatheſterõ hoc eſt difficilius patile ſit cor, faciliter autẽ pati prõptũ, & à quocũq; extriſecus alterãte affici idoneũ ſit cerebrũ. Nec enĩ ſtabat: ut minutis tenuiſſimiſq; oſſiculis, quod ſubtilitas & ratio tãti operis poſtulabat, caput cõpingeretur, molliſſimũq; eſſet (ſi modo ſẽſuũ ꝑfectione cæteris animãtibus præſtare homo debebat) quin ictibus, & offẽſionibus obnoxiũ, per quaſdã cõſequẽtias cerebrũ permaneret, ad hoc ut ab obiectis omniũ ſenſoriorũ, quæ eminẽter debebat percipere, afficeretur. Neq; enim ſine paſſione eſt ſenſus: nec fieri quoquo pacto potuit, ut & ad ſentiendum aptior, & difficulter, & niſi à magna mole paſſibilis, cerebri ſubſtantia compingeretur. Cordi autem quod in cõtinua latione ſemper erat futurum, cui muneri durities auxiliatur, & ſiccitas. mollities autẽ, & humiditas mire obeſt: firmitas & robur ad actiones præſtari potuit. Quam obrem hoc ut denudetur, nullam iniuriam ſentit, ꝙ aeri patuerit conſpectus, nec abſceſſum perſentiſcit, aut patitur. illud non ſine ultimo malo ambiẽti exponitur, & abſceſſus admittit, ut in lethargo, aut phrenitide, delirioue laborãtibus, cõſpicuũ eſt, affici inflãmatiõe, phlegmoneq; cerebrũ. Quod igitur hac ĩ parte credẽdũ, & recipiẽdũ exiſtimo: tale eſt. In corde tãq; in fõte, principio, atq; radice, nõ ſolum facultas uitalis à qua pulſus mouentur, ſed & animalis, naturaliſq; quibus alimur, ſentimus: atq; mouemur, quæ à

*cerebro, & epate præſtãtur, uirtute, & potẽtia inſunt, & cõtinentur, ſed quoniã
non diſtincte, & dearticulate, fũctiones omnes illas cordi exercere licitũ erat, quæ
uaria, & diuerſa multũ organorum cõpage indigebãt, ut in uno uiſcere coire tan-
ta particularum diſtinctio, & conformatio non poſſet, ideo ueluti ſecundũ quoddã
principiũ, in quo non iam cõfuſe, nec obſcure, ſed manifeſte, & dearticulato modo,
animalis facultatis opera emicarẽt, cerebrũ efficitur, quod ubi potentiã ſibi à corde
traditã atq; cõmiſſã ſuſceperit: corde iã nihil indigere dicatur. nõ quòd primario ĩ ſe
obtineat uirtutẽ, ſed ꝙ illã indies & ſingulis momẽtis quærere, & recipere nõ indi
geat, cũ ſemel ei muneri fuerit præfectũ, & abunde ſit, ſi ex lõgis interuallis cordis
præſidio ægere cogatur. atq; hæc quidem quæ dicimus: nec Galenus ipſe negare po-
teſt, nec nos alienã ab illo ſentẽtiã proferimus, quod ex libro de uſu pulſuũ ꝑſpicuũ,
notũq; faciemus, ut nullus ãplius Galenũ tã auerſa fuiſſe ab Ariſt. mẽte ſibi per-
ſuadeat. Is nãq; arterias iugulares, quæ cor cũ cerebro continuãt, cum funiculo, la-
queoq; animali excepiſſet, atq; religaſſet, deinde ut euentũ caperet, currere illud ani-
mal cogeret, quò ſi corde cerebrũ indigeat, innoteſceret, cũ ꝑ diẽ integrũ animal reli-
gatis colli arterijs: ſine noxa perduraſſet, primo quidẽ poſt hæc cucurriſſe nõ impe
ditũ, deinde languidius, tãdemq; ultimo curſum cõtinuare nõ potuiſſe cõfitetur, quia
exhauſto omni animali ſpiritu per uehementẽ motũ, in reticulari plexu cõtento, &
cerebri cũ corde cõtinuatione adempta, currere non poſſet. quia præſenti auxilio
cordis defficeretur, cuius opẽ dũ curreret, q̃; ſi quieſceret, nec ſpiritũ (quo ceu inſtru
mẽto multũ utili, & neceſſario, aĩa utitur ad munera uitæ cõplẽda) ĩ motu cõſume
ret, citius requirere cõpulſũ eſt. Nec uero difficillimũ, aut improbabile uideri de-
bet: ꝙ ueluti fõte à quo aquarũ uortices pleni profluũt, obſepto, & oppilato, ut nihil
inde limpharũ manet, in aquæ ductibus, & cuniculis plũbeis (per quos trãſire ſole-
bat) aquarũ aliqua portio ad tempus aliquod remanere cõſpicitur, & ſicuti homo
poſt mortẽ aliquãto tẽpore permanet calidus, q̃uis extincto principio caloris, quia
tepor ſemel mẽbris cõmunicatus, nõ ita affatim ubertimq; corrũpi poſſit, ut nec lux
ipſa oculis inſplẽdeſcere uiſa, protinus euaneſcere ſolet: cũ à Sole receſſimus, ita &
in corde, & cerebro contingere pari iure poſſit. ꝙ ſcilicet corde nihil tranſmittente,
& probibito à cerebri cõſortio, uis cerebro influxa aliquãtulo tẽporis ſpatio ꝑma
neat, ut uel adempto corde uita proferatur, & ſẽtiat aĩal, atq; motionẽ utatur, quo-
ad ſpiritu animali abſũpto, & ſanguine ſpirituali tenui, & halituoſo, depaſto ui-
tali iã ſpiritu, & arterioſo ſãguine à corde trãſmiſſo indigere cogatur, cũ multi nõ
diſſimilem ob cauſam abſciſo capite mouiſſe greſſus fuerint pernotati. quia neruis
muſculiſq; indita uirtus, cui mouendi uis adeſt, adhuc diſſipato cerebro, ſuperaret.*

Quòd ſi corde nihil opus habere cerebrum aliquando audiamus: id ſic intelligi uolo dictum: perinde ac ſi quis filium, cui rem paternam, patrimoniumq́ commiſerit pater, nihil amplius patre indigere quis iudicet. aut ſi legionum ducem: & manipulorum ubi ſemel rerum adminiſtrationem, & exercitum, diſpoſitasq́ acies à rege cuius ſub ſignis uiuit: ſuſceperit, regio non amplius indigere præſidio dicamus. aut ſi ignis ubi ſemel calefactoriã uim à cælo habuerit, illo nihil iam ut ligna perurat, egere deinceps affirmetur. aut ſi nos ubi gignẽdi uim à Sole ſuſcepimus, quo ſemel genitura facultatem illam productricem liberorum imbiberit, nihil illius opis de cætero indigi proferamur. quod & ſi rectè dicatur, & ad bonũ ſenſum accipi poſsit, filius tamẽ, & ſemẽ ipſum, & ignis, & dux, à patre, rege, Sole, cælo, tanq̃ à primordijs primarias facultates exhauſerũt, quibus eſſe nõ ſuppoſitis, futurũ mox quis non uideat, ut nec illa unq̃ ſubſiſterẽt, quæ ab illis proceduẽt? Eſt igitur in cerebro principatus: ſed à corde cũcta deriuãtur, perinde ac ſi quis tyrannus regia poteſtate præditus, aliũ ſuo loco ſubſtituat: quo cum pariter rerum moderamen, habenasq́ diſponat, ita ut nihil aliud ex hijs, q̃ uicarium quẽdam, cerebrum intelligamus, quod munus à corde conceſsum eleganter diſpenſans, probe ſcilicet concocto ſpiritu animali, reliquis deinde mẽbris, & artubus, motus & ſenſus beneficiũ impartiatur. Quòd autem quidam poſs: hæmorragiam arceri, ut uiuat animal dempto corde poſt longum tempus ſibi perſuadent, fatuũ & ignauũ eſt. nãq; & ſi difficulter admodũ uiuente animali nudari poſsit cor, & ſanguinis protuberans fluor prohiberi, ut uiſcerum cordiſq; intus, & arteriarum, uentriculorumq́ poſitus ſpectetur: reducto (inq̃) reflexoq́ pectore, & uenarum, arteriarũq́, magnarũ, quatuor: quæ à corde per thoracẽ deſiliũt, & propagãtur, uulneribus, digitis ſiniſtræ manus, indice ſcilicet, & pollice, cõpreſsis, ut extrahatur tamẽ nõ facto cruoris ingẽti, rapidoq́ profluxu, impoſsibile eſt, nec percipi ab intellectu poteſt. atq; hæc quidem ab inſtituto noſtro aliena, & tanq̃ ſupra menſuram dicta accipiantur. Videamus autem nunc priuilegia, quæ ſunt tributa ipſi cordi. Plato itaq; (ut hinc nobis ſumatur exordiũ) tres animi partes eſſe dixit, rationalem id eſt mentis optimam portionem, quam ait capitis arcem tenere. iraſcentiam uero procul à ratione ad domicilium cordis deductam eſſe. cupiditatem autem, ſeu appetentiam infernas à dominis ſedes obtinere, ut popinas quaſdam, & latrinarum latebras, diuerſoria nequitiæ atq; luxuriæ. relegatam uero à ſapientia longius idcirco hanc partem uideri, ne importuna uicinitas rationem conſtitutam deſuper cunctorum ſaluti, in ipſa cognationum uicinitate perturbaret. uerum præſtiterit pulcherrima illa uerba Platonis quæ in Timæo leguntur: audire. Dij (inquit) cum animam

immortali initio prædıtam accepiſſent, circumligauere, obduxereq́; ei corpus fluidum, & mortale, adiecto genere quodam mortalis animæ: in qua perturbationes, affectuſq́; animi uehementes, & neceſſarios condiderunt. Primum uoluptatem, quæ maxima eſſet malorum eſca & illex. Tum dolorem, cuius ui æſtuq́; homines ab officio reuocantur. Mox audatiam, atq́; metum, duos conſiliarios imprudentes, ac temerarios. Poſtremo iracundiam infrenem, & ſpem inanem, quarum altera iudicium animi amoueret, in conſideratione libidineq́; furendi, altera cōſtantiam frangeret, procliuitate & facilitate credendi. Ita ſenſum irrationalē, & qui omnia perrumpit, & uincit, confundētes, miſcenteſq́; amori, genus animæ occiduum cōflauerunt. Ceterum ueriti ne diuinæ animæ immortalitatem coinquinaret uicina mortalitas: quanta licuit intercapedine, optimatem animā, ab ea quæ ſequioris conditionis eſſet, diſpeſcuerūt, diſcluſeruntq́;, caput à pectore diſterminātes, diſiungenteſq́; collo. Quamobrem ut ſedes puritatis diuinitatiſq́; à regione impuritatis diſparata eſſet, in præcordijs atq́; ea parte quæ pectus dicitur, morticinum animæ genus conſtituerunt, hucuſq́; Plato. Sed plena hæc difficultatum ſunt, plena contentionis & diſceptationis oratio eſt. Galenus autē (ſi quis alius) in Platonis placita iuratus, tū in cōmentarijs de dogmatibus Hippocratis & Platonis, tū tertio de locis affectis animæ rationalem uim in cerebro, uirilem uero atq́; iraſcibilem in corde, concupiſcibilem in iecore ſitam eſſe poſuit, quod ex ijs quæ uulgo paßim dicuntur: diſcere (inquit) poßumus, quippe fatuum & dementem, aiunt cerebrum non habere, timido & puſillanimi cor deeſſe, Tityo uero iecur ab aquila eroſum, atq́; comeſum, ut pote homini plus nimio uoluptatibus dedito, fabulæ atq́; poetæ fingunt. Verum enimuero nimis admodū uereor iocūdißimi patres: ne tueri Galenum hoc loco poſſimus, ſi enim hæc uera ſunt, qua ratione animus continebitur, ne diffluat? quæ illi unitas: quis coalitus fuerit? præſertim ſi partes tanta intercapedine diſcludantur, q́ actiones. quæ res igitur cohibebit potentias adeo ſeparatas? certe dici non poteſt corpus eſſe, quod animam cogat, aut contineat, cum potius è contrario contineri ab anima corpus ſit æquum: ut pote cuius abſceſſu corpus ſtatim uaneſcat, labaſcat, dißipetur, & corruat. Præterea non mihi recte feciſſe uidentur: qui iraſcibilem & concupiſcibilem loco diſiungant. nam ſi illud quod ſe offert concupiſcibili, ſit bonum delectabile, & conueniens, tunc concupiſcibilis proſequitur: & rem talem obtinere exoptat. Si uero ſit nocua res quæ præſentatur, tunc abominatur: & odit, quam ſi ſuperari poſſe confidit, tunc eadem uirtus excandeſcendo ad uindicandum inſurgit. q́ ſi nulla ſpes uictoriæ refulgeat, tunc timemus: & fugam capeßimus. Non ergo eſt alia uirtus (ut nos opinamur) quæ iraſcatur,

I iiij

alia autem quæ concupiſcat, ſed una & eadem eſt animæ uis & facultas per quam proſequimur ſalubria, & noxia repellimus, atq; odio habemus. Quid igitur uoluerũt ſibi Galenus & Plato: cũ tales ſedes ijs facultatibus diſtribuerũt? nulla (quæſo) iniuria ſit, ſi quod ſentiã breuiter perſtringatur à nobis. Cõcupiſcibilem cum dicunt in iecore ſitam eſſe, nõ intelligo appetentiã quæ feratur cum appræhenſione in obiectum (ineptum enim hoc eſſet) ſed appetitum quendã naturalem ad alimentum audire oportet: qui licet omnibus particulis ſit inſitus, iocinori tamẽ præcipue tribuitur, quoniam in eo concoctio ſecunda perficiatur, & ſanguinem pro nutritione omnium particularum conficiat. Iraſcibilem autem cum cordi mandant, non percipiat aliquis ineſſe quãpiam animæ uim talem quæ cordi incubet atq; reſideat, ſed dictum id ab ijs eſt, quoniam copioſior cordis calor ad excandeſcentiam procliuiores reddat, ut nobis cũ de ira loqueremur: mox declaratum eſt. Rationalem uero animæ uim immo animam ipſam rationalem cerebrum occupaſſe, & in capite poſuiſſe ſedes non abſurdum reputarem, ſi cum Platone ſentiamus, ſaluo tamen doctarum frontium iuditio, unde totum corpus miſſis uirtutibus ceu procuratoribus quibuſdam, moderetur. Si enim anima rationalis in toto exiſtat: cur non ratiocinatur manus? cur non diſputat? cur non memoratur? cur non deniq; munia animæ rationalis exercet? in quocunq; enim principium alicuius operationis reperitur, in eodem ut inueniri poſſit talis operatio, nihil mali eſt, ſed cum in manu, aut etiam (ſi ita uelis) calcaneo ſit anima rationalis, ut ſupponitur, cur nõ in eodem intellectio eſſe poſſit? atq; hac quidem ratione aſtruimus nec animam ſenſitiuã in oſſe poſſe aliquatenus eſſe, cũ neutiq; ſentiat. at dicent, ſcio, (quæ ſibi in ore prõptuq; reſpõſio eſt:) ideo manũ non ratiocinari, aut os non ſentire, non quoniam deſit potentia, ſed quia organum & inſtrumentũ ad talem actionem deputatũ non adſit. uerũ hoc qui dicunt, non uident ſe errore alio errorẽ, & ſalebra ſalebrã operire. nunq; enim natura potentiam aliquam in membro quopiam molitur, quin organum concinnũ & cõueniens ei adaptet. Ob id enim Ariſt. in libris de anima plantas non obtinere uirtutem motiuam ſecundum locum, & in commentarijs de cœlo aſtra & ſidera non agitari & cieri ſponte concludit: quoniam non habuerunt organa, quæ pedum officium & miniſterium ad talem motum præſtarent. Sic ergo cum Platone animã rationalem in capite ſtatuamus: & à confinio cõmertioq; reliquarum ſegregemus, ſed intulerit aliquis, cum dicas animam rationalem in cerebro collocari: ſequitur cerebrum eſſe principalius mẽbrum: & perfectius corde, ad quem ita dicimus: cor quidem principalius eſſe ad hunc ſenſum, q. ſcilicet ad uitam tuẽdam magis neceſſarium, cerebrum autem nobilius & præſtantius eſt, quantumuis non

adeo ad uitam conducat. Verum ſi hæc ita ſe habeant moleſta nimis dubitatio inſurgit, qui ſcilicet fiat ut cerebro plus ſatis aut excalefacto, aut refrigerato, aut humectato, aut exſiccato, anima protinus euolet, atq; demigret? aut qua tandem ratione contingat, largum ſanguinis fluorem, cicutam epotam, febrem ardentem, ipſam expellere? Nam ſi quidem anima (docente Platone) immortalis eſt, mirum (me quidem hercules) ſit, ꝙ corporis affectionibus ſuccumbat, atq; condoleſcat. Huius autem dubitationis ſolutio & ſi difficilis nimium & ambigua habita fuerit, ut adeo Galenus, ut eiuſce rei cauſam diſceret, à Platone ſi uiueret, non grauate ſe fuiſſe percunctaturum aſſerat: nos tamen haud difficulter (opinor) ſolutionem inueniemus, ſi dicamus non omnem corporis diſpoſitionem idoneā eſſe, quæ ratiocinatricem animā ſuſcipiat. Quāuis nāq; operæpretium eſſet, ut alterato corpore anima quæ incorporea ſit, nihil perpetiatur: conſtituit tamen, & uoluit ſapientiſſime opifex & conditor noſter, ut anima tēperaturam quandam moderatam in organis & inſtrumētis requireret, qua functiones & munia debite adminiſtrari poſſent. eget nāq; operationes, quas exercere corpore debemus, cōuenienti & proportionato inſtrumento, non autem multum læſo & laceſſito. Cum itaq; corporea organa, quæ uitam toti ſubminiſtrant: nimis ſuos fines egrediuntur, & extra naturalem diſpoſitionem prodeunt, anima ipſa receptui canit, & à corpore huc progreſſa abiungitur. Fuit nāq; anima ea lege corpori mancipata, ut id uegetaret, perficeret, & deniq; ei uitam præſtaret. quòd ſi quāpiam ob cauſam ita eueniat, ut inſtrumentum ſeu corpus ipſum ineptum ſit ad ſuſcipiēdum uitæ & animæ beneficium: tunc anima non iniuria ſecedit, quæ fruſtra ſedentaria & otioſa maneret in corpore, cui ob inertiam ipſius corporis ſuſcepturi: uitā precario impendere non poſſit. Sicut igitur artifices ſi ſica, dolabra, ſcalprum, aut aſcia, obtuſa reddantur, ſuum opus expedire non ualent. non ſecat archite ctus, non lintres excauat naupegus, non ligna dolat faber, ad eundem modum anima, ſi non aptum & competens organum adſit: abitionem molitur: nec ultra uiuificat corpus. uerum hæc obiter atq; ex abundantia tantum nos dixiſſe ſufficiat. Nam audax profecto facinus committit, qui animæ eſſentiam inueſtigare contendit. adde ꝙ ut Galenus in libro de facultatum naturalium ſubſtātia ait: animæ ſubſtantiam cognoſcere, nec ad morbum profligandum, nec ad ſanitatem tuendam neceſſarium eſt, nec rurſus ad philoſophiā moralem, ſeu practicem, aut ciuilem, multū adeo momenti adfert. ſed redeamus: unde ſermo eſt deductus. Virtus uitalis reperitur in corde, cuius ſane opus eſt diſtinguere & cōtrahere cor ipſum, & arterias, & ſpiritum uitalem producere. qui quidem materia futurus eſt ad ſpiritus animalis generationem. Ineſt porro uirtus uitalis hæc cordi ex proprie-

tate ſubſtantiæ ipſius, non autem ex ebullitione ſanguinis, ut quidam uoluerunt, ex
quo uirtutem uitalem non eſſe aliam à naturali ueluti corollarij uice deduci poteſt,
cum arteriarum & cordis motus: opera naturæ nunquam nõ uocet Galenus, quod etiã
rationibus adhibitis oſtẽdere poſſumus, nam per nullum uirtutis uitalis actum ar-
gui inter eã & naturalẽ diſtinctio poteſt. Nõ ex motu dilatationis, & cõtractio-
nis. ſicut enim cor diſtinguitur, ut aerem trahat, ad temperãdum calidum. conſtrin-
gitur autem, ut fumida excrementa excernat, ita uena uel inteſtinum diſtinguitur
& dilatatur, ut trahat competens alimentum per inas fibraſue in longitudinẽ por-
rectas, conſtringitur autem, ut in ſe cumulata ſuperflua expellat per fibras latitu-
dinales, cum nihilominus hij motus ſimpliciter naturales dicantur. nec uero diſiunga
tur à naturali uitalis uirtus: quia procreet ſpiritum uitalem, cum talis fiat per ſubti-
liationem ſanguinis per ueram concoctionem quæ eſt functio pure naturalis. Dici-
mus igitur quod uelut in membris expultrix quædam uirtus eſt, quæ per latitudinales
fibras ſuum officium peragit, & alia retentrix per tranſuerſas, alia autem attra-
ctrix per lõgitudinales, ita in corde & arterijs omnimodo reperiri uirtutem quan-
dã naturalem quæ diſtingat ipſa, & cõtrahat, cũ neceſſitas urgeat, quæ naturalis
non minus exiſtit, quam eſt naturale ſederitidi lapidi, ut ferrum ad ſe conuellat. Sed
non poſſum non hoc potiſſimum loco flagitioſum & pudendũ Auerrois errorem,
qui omnes expoſitores in præcipitium duxit, ueru atque obeliſco cõfodere, & igno-
minia notare ſempiterna. Nam cũ Ariſtoteles libro de anima tertio ageret de ma
chinamẽto, inſtrumentoue primo, quod ancillatur, & ſeruit motui animalis: dixiſ-
ſetque oportere, ut machina illa qua appetitus utitur ad motũ, haberet rationẽ prin-
cipij & finis. Cum enim omnia quæ mouẽtur, pulſu & tractu hoc eſt dilatatione,
& extenſione citentur, ut late diſputat Galenus in libro de motu muſculorum, ne-
ceſſario fit, ut altera pars quieſcat, altera moueatur. & propterea ſi motus perfici
debeat, requiritur: ut in tali organo conuexum, & concauum reperire ſit, quorum
ſcilicet cõuexum moueatur, ad cuius motum trahatur membrũ, & cauum quieſcat,
cui pars mota innititur, ut in cardine hoſtiorũ cernitur, in quo tũ cõcauũ reperitur,
quod quieſcit, & ueluti finis eſt motus, tũ & cõuexum quod eſt principiũ quod mo
uetur. quod etiã in oſſibus coeuntibus ad articulũ contingit, ut alterũ quidem ipſorũ
ſit, quod mouetur, alterum uero uelut ſedes quædam ſubhæreat ei, quod motu exerce-
tur. commentator impudentiſſime, & non ſine ingenti ignorantiæ macula & labe,
cor eſſe illud organum & inſtrumentum in motu animalis uoluntario aſſeuerat, di-
citque in corde reperiri, quod quieſcat, & quod moueatur. & conuexum, & cauum.
Næ tu Auerrois uſque eo hallucinator & ſupinus fuiſti? ut infinitos laqueos non

peruideris, quos incurrere te atq; inhærere oportebat, ſi ita ſentires: motum enim uolũtarium & ſedare, dum fit, & excitare quieſcẽtem poſſumus, & tardiorem, aut uelotiorem efficere, pro captu & libidine licitum eſt. motum autem cordis nec ſedare, nec excitare, nec crebriorem, nec rariorem, nec tardiorem, nec uelociorem electio efficere poteſt. Qui nã ergo tu O omniũ audaciſſime, pluſq; Punica perfidia ſcribere audes, cor eſſe machinam & organum, quo appetitus ad motum utatur? Motus præterea omnis uoluntarius flexione, & extẽſione perficitur, ut cum brachium flectitur: oportet, ut muſculus interior flectatur, exterior autem laxetur, ſed quam nã talem extenſionẽ, & contractionem O generoſe mihi in corde aſſignabis? quod cum diſtinguitur, nulla parte contrahitur, & cum contrahitur, nulla parte dilatatur. In omni item organo motus illud oportet, ut conuexum: in cauum uelut in ſedem recipiatur, ſed nihil tale in corde offenditur. Cum etiam organum quo aliquid debet moueri oporteat, ut ſit coniunctum illi quod mouendum ſit, conſtat manifeſte, cum cor non coniungatur cruri, aut brachio ciendo, ipſum non debere ſtatui organum motus electiui, ſi recte quis ſapiat. Verũ(me Hercules)ocioſi hominis eſt perſequi huiuſmodi deliramenta, aut aliquo numero eſſe putare philoſophum tam prodigioſæ ſcientiæ. Hactenus fuit hæc peregiſſe non impendio arduum, illud uero longe ſpiſſius, & ſcrutinio dignius, utrum ſenſus communis in corde (quod Ariſt. uoluit) ſit conſtituendus, an potius ad cerebri ſedes accedat relegandus, ut medicorũ turba Galenũ Peoniæ facultatis, & philoſophiæ totius conſultiſſimũ ſecuta contendit. Ergo ut hanc dubietatem difficillimam decidamus, non abs re prorſus fuerit cõmemorare, quibus nam rationibus adducti philoſophi ſenſum communem ponere ſunt coacti. Cum itaq; apertum eſſet, & exploratum, nos non ſolum ſentiſcere album à nigro, luteum ab aquilo diſtare, ſed etiam probe nouiſſe, permultum inter candens & dulce intereſſe, ſatis urgens id fuit incitamentum, ut is ſenſus poneretur, qui diſcerniculum hoc, & hanc perciperet differentiam, cum id nullus exteriorum ſenſuum præſtare queat: nõ uiſus, qui dulce non cognoſcat, non guſtus, quia album uirtus quæ ſentit ſapores, non percipit. Plane uero neceſſe eſt: ſenſum eſſe aliquem, qui hoc dijudicet, & quẽadmodũ una poteſtas eſt: quæ album à nigro differre iudicat, ita & unam eſſe omne opus eſt, quæ album à dulci interſtingat. Nam ſi diuerſæ uires ſint, quarum altera hoc, altera illud poſſit, utiq; nullum diſcrimen inter ſenſilia ab illis cõſtitui poterit. alioquin ſi ego hoc, tu illud, clam me & ſeorſum perceperis: poſſet contingere, ut ab utroq; noſtrum diuerſa eſſe inter ſeſe, atq; euariãtia dignoſcerentur: quod tamen impoſſibile euaſit. ſed unam uim, aut unum hominem eſſe neceſſum eſt, qui utrumq; cognoſcat, ſi conuenientiã, & differẽtiam, inter album &

dulce debeat complecti: qua facultate ſi animantia indigerent, in qua ſenſilium ſimulachra conueniunt, nullatenus uitam tuerētur, nec hac bœdus deſtitutus capram magis q̄ lupum per auia ſequeretur, nec candidum lac potius, q̄ Mineruæ oleam, aut Iouis glandes, aut flauum apum laborē, aut cerealia ſemina, aut dulcia Bacchici liquoris munera deuoraret. quod & percepiſſe uidetur auicenna dum ait. Si nō eſſet in animalibus uirtus: in qua cōiungerētur formæ ſenſatorū, nullatenus eis uita conſtaret. Plura præterea ſunt, quæ cogunt ſenſum hūc ponendū eſſe, de cuius ſede ambigitur. nā cognoſcimus ſenſationes noſtras, ut pote uiſionem, auditionem, & reliquas ſenſuum affectiones, apprehendimus nigræ noctis denſam, & obſcuram caliginem, ſilentia non ignoramus, quæ tamen, ſenſoria uellicare neſciunt. Cūq; obiecta nō adſint ſed procul abierint, nos ea ſepius mente recolimus, deq; ijs cogitamus aſſiduo, Dionem apud Indos, aut Scythas peregrinātem multoties animo reuoluimus, ob filij abſentiā pater mœſtus & ſollicitus agit noctes inſomnes. equus ſtabulū petit indoctus, à quo tamen longo diſcerniculo abeſt, & ut bibat aquam, ad flumina fonteſq; properat, quibus ſuperiore anno potarit. nobiſq; dū altum ſopitis exterioribus ſenſibus dormimus: abſentia obiecta obuerſantur: ſepiuſq; fit, ut qui lucidos in ſomnis colores imaginatur, oculis fuerit, luminibuſq; à natura priuatus, quæ omnia ſenſum communem dandum eſſe concludunt. non enim ſenſoria extrinſeca ſuos actus cognoſcunt, nec à priuatiuis immutantur, aut in obiectorum abſentia illa percipere poſſūt. Ergo quemadmodū in iudicijs, q̄uis multi magiſtratus, libelliones, pracmatici, exceptores, aſſideant, unus tamen eſt qui ius habet ſententiæ ferendæ, non ſecus & hic tametſi multa organa ſint, in quæ rerum ſimulacra receptentur, una tamen uis arbitra eſt, quæ de omnibus ſciſcat, pronunciet, & iudicet. Nam cū ſenſus extrinſeci ſuis quiq; fuerint officijs perfuncti, ea quæ cognouerūt, intus annūtiant, & ad prīcipē facultatē ueluti interpretes, exploratores, & nuntij, fideleſq; proxenetæ defferūt. Tū illa (inq̄) uirtus eo quaſi ſuggeſtu poſita, & tanq̄ ſella quadā curuli inuecta, & ueluti pro tribunali ſedēs, ante ſe ſitas, & ad pedes, genuaq; aduolutas, iacentes rerum imagines contemplatur, atq; demum iudiciū ſuum promit, & dulce ab amaro ſecernit, & album à dulci diſcriminat. Et quemadmodum unus pluribus uellicātibus, litigātibuſq;, poteſt ſimul ius dicere: ita non exiſtimetur præter rationem inuentum, ſenſum aliquem in nobis promiſcuum contineri, qui contrarijs pari opera ſenſibus operam impendat: quem Ariſtoteles philoſophorū acutiſſimus circuli cētro comparauit. Nam ut ad illud omnes à curuamine lineæ ductæ protendūtur, ſic ad ſenſum cōmunem per quinq; ſenſus exteriores, tanq̄ per quoſdam ductus, atq; canales, apprehēſarū rerum ſimulacra defferuntur, de quibus in libro de ſōnijs

Sineſius philoſophus doctiſsimus proſequutus eſt. auditus(inquit) atq; uiſus non ſunt quidem ſenſus, ſed inſtrumēta ſenſuum, communi ſenſui miniſtrantia, & quaſi quidam animalis ianitores, & hoſtiarij, nunciantes domino ſenſibilia forinſecus occurrentia, quibus pulſantur externa ſenſoria. atq; hæc quidem omnibus in confeſſo habentur. Sed de loco eius maxima, lis & diſceptatio eſt. Ariſt. nempe & uniuerſa ſtoicorum natio hunc in corde poſuerunt, hac præcipue ratione moti, quod omne quod eſt principium motus, ſit etiam principium ſenſus. at(inquiunt) à corde omnis motus procedit, cōſequitur ergo, ut etiam principium ſenſus ſtatuatur. Nam cum cor calidiſsimum ſit, & officina caloris naturalis, & motiones omnes calido indigeāt, nam membrum algioſum, & frigidum, uacillare, & collabi uidemus. operæpretium ergo eſt, ut cor primus motor in corpore aſtruatur, ſed cum rurſus motus principium ſit appetentia, fit ut in quo primum mouendi principium ſit, etiam primus ſenſus reperiatur, quem communem dicimus. unde Ariſt. ſecundo de partibus animalium ita inquit. Sed enim principium ſenſuum eſſe cordis locum diffinitum iam eſt, quam ob cauſam, duo id eſt tangendi, & guſtandi ſenſus, ex corde aperte dependent. nam auditus, olfactuſq; piſcium, & reliquorum generis eiuſdem declarant, quod dicimus. audiunt enim atq; olfaciunt, cum nullum ſenſorium eorum ſenſuum in capue habeant manifeſtum. & rurſus quinto de generatione animalium ita ait. Meatus ſenſoriorum omnium tendunt ad cor, aut ad cordis proportionale, ſi corde carent. Alexāder autē ea ratione nititur aſtruere cor eſſe ſenſus cōmunis receptaculū, quia in paſsionibus animalibus ad ipſum, calorē, & ſpiritus reciprocare, & refluere cernimus. Enimuero par(inquit) eſt: ut ab ea parte, in quam motiones extrinſecus prouenientes, ut in agonia, timore, ſyncope, animi deliquio, uelut in principium deſinunt, in eandem principium quoq; motionis extra tēdētis perueniat. quemadmodum in exercitu fere liquido exēplo cōperies, ab illo enim ad quem extrinſecus legationes adueniunt, (hic autem imperator eſt) motiones quoq; exterius proficiſcentes initium capiunt. Porro Themiſtius qui Ariſt. paraphraſi adornauit, in cōmentatione de memoria, & reminiſcentia quoq; idem ſecutus dignoſcitur, dum id eſſe in cauſa teſtatur, cur ſeniores immemores ſint, ꝙ cor frigidum obtineant, & ſimulacra in ipſo adſeruata, præ ſenio abolita ſint, atq; defluxerint. ſed ſatius fuerit eius uerba tenui quodā eloquentiæ filo deducta, in mediū retuliſſe. Eos(inquit) qui decliues, & decrepiti æuo ſunt, obliuioſos eſſe neceſſe eſt, propterea ꝙ conſumptione, diſcobinationeq; collabūtur. eſt enim ſenibus cor: in quo ſummi & principis ſenſus regia eſt, ſimillimū edificijs, & parietinis ueteribus, quibus tectoriū, & picturæ exciderint præ ſenio, habetur in ijs cor prægelidum, coq; laxatur, & quaſi cor-

ruit algore, atq; ita ſimulacra rerum quæ in eo adſeruabantur, quæq; tectorij operis modo illita, inductaq; fuerāt, conſequio abolentur, & diffluūt. hæc Themiſtius. Sed & Chryſippus libris editis, plurimas inuexit in libris de anima rationes, quibus confirmare hanc poſitionem ſibi perſuadet, ex quibus nos aliquas: quas hincinde collegimus, in medium afferemus. Cum proferimus (inquit) tu, motu quodam oris cōueniente, cum ipſius uerbi demōſtratione, utimur, & labias ſenſim priores emouemus, ac ſpiritum & animā porro uerſum, & ad eos quibus cum ſermocinamur: intendimus. At contra cū dicimus ego, nec profuſo, intentoq; flatu uocis, nec proiectis labijs pronuntiamus, ſed & ſpiritum, & labias, quaſi inter noſmetipſos cohercemus: & labrum inferius uerſus cor nutat, & deuerſum porrigitur, & hoc naturaliter edocti facimus: quod recta (inquit) ratione fit, labrū enim uerſus cor producitur, dum dicimus ego, quia quaſi uelimus oſtendere partem animæ rationalem, quæ in corde ſita ſit, quæq; præcipua noſtri pars exiſtat: arguta profecto & ſubtilitatis plena ratio: ſed & quaſdam alias non minus lepidas ſubiungit. Cū uolumus (inquit) ſignificare aliquid cōuenire nobis, aut non conuenire, manus uerſus regionem pectoris, & cordis trahimus, dicentes: hoc mihi expedit, hoc non conuenit, hoc ego tibi dico, aut etiam cum interrogatione digitos iuxta ea loca figentes dicere ſolemus; iſtud ego facerem? quid facere prætermiſi, quod faciundum erat. præter hæc adducit alias rationes Chryſippus. In uſu eſt hominibus (inquit) cum aliquē incipientem iraſci conſpitiunt, dicere: iam illi aſcendit furor. & iubemus rurſus aliquibus, ut iram deuorent. uulgus quin etiam idiotarum, cum aliquid non aſſequuntur, dictitare uidemus, non ſibi ea quæ ſunt dicta, in imum deſcēdere, q; ſi in capite (inquit) exiſteret uis animi ratiocinatrix, ridiculo diceretur deſcēdere, cum potius dictum iri deberet aſcendere. male item & perperam dictitarent aſcendere alicui furorem, & iram deuorari, quæ omnia ſane ſignificant, ratiocinatricem animi partem, aut uirtutem in corde contineri. Sed & mulieres hoc indies (inquit) oſtendunt: ſi enim non deſcendunt ipſis quæ dicuntur, ſæpius digitum uſq; ad regionem cordis deducunt, ſic non ſibi deſcendere dicta inſinuantes. Dicimus præterea cum aliquem moleſtia afficimus, aut ſecundum animi eius ſententiam locuti ſumus, tetigi tuū cor. & rurſus qui maiori conatu ad uindictam feruntur, cor ſe euulſuros illis quibus ſunt infenſi, comminātur. Iſtud philoſophorum placitum, & decretum etiam Homerus poetarum antiquiſſimus, & eminentiſſimus pluribus carminibus approbare uidetur, quæ magno ſtudio ex toto opere Chryſippus congeſſit, cum tamen decuiſſet hominē philoſophum non poetarum teſtimonijs, aut idiotarum cōſuetudine, aut carminum numero certamē dirimere, ſed potius demōſtratiuis aſſumptis, quæ à rei ſubſtātia ſu-

muntur, aut ſi demonſtrationẽ non ſuſcipit quæſitum, dialecticis, & maxime probabilibus propoſitionibus ab inhærentibus rei ſubſtantiæ acceptis, non rethoricis, non ſophiſticis agere cauſam. Cūq; animaduertiſſet Chryſippus fabulam quæ de Pallade circūfertur: ſibi ex diametro aduerſam, quæ fingit deā ex Iouis capite cōceptā, genitāq; fuiſſe, quæ cū nil aliud ſit q̄ cōſilium & prudentia, ſignum manifeſtarium exiſtit, in capite principem animi partem contineri, ad hanc ferme ſententiā artificioſe nimis, & ueriſimiliter fabellam enarrat adaptans ipſam pro captu, ſtoicorum placitis. Non mecum (inquit) pugnat fabula dicens ex Iouis uertice ortam Mineruam: quæ nil aliud q̄ prudentia eſt. non enim hoc dumtaxat in ipſa habetur, ſed q; & Iuppiter cōſiliū deuorauit, & ueluti pregnans exinde effectus: genitam in ſeipſo puellā peperit per caput. Inde autē fabulam ortū habuiſſe dicit, quoniam omnes artes in corde exiſtentes: efferentes quidam ſermones, per caput exeunt. eſt enim & os capitis particula, non enim ea ſolum pars quæ capillorum ſylua hiſpida eſt, ſed & omne quod ſupra collum protenditur, caput nominatur. Ergo conſilium quod Iuppiter dicitur deuoraſſe, nil aliud eſt q̄ prudētia ueluti quædam, & eorum ars que ad uitæ uſum ſunt neceſſaria, quæ ideo deuorata à Ioue traditur, quia artes deuorari oportet: & in ſeceſſu mentis reponi: ſecūdum quem modum dicimus quoſdam ea quæ dicuntur: deuorare. hanc autem artem: parere rationabile eſt parenti ſimilem natam. manifeſtum autem q; ſcientiarū partus, & inuenta per os progrediūtur, & ſermonis uſu efferuntur. Hæc ferme Chryſippus, quæ & ſi uenuſta, & lepida ſint, noſter tamen Galenus hominis uehementis, & laborioſi, non tamen fœliciter circa quiduis aliud uerſantis eſſe cenſet. Nos tamen ne uictoriam intus occinat, eius rationes in ſtudioſorum gratiā (q̄ fieri poterit) breuiſſime ſoluamus. Quod ergo dicit de hac uoce ego q; ſecundum primam ſillabam que eſt.e. os deorſum, & genam tanq̄ ad pectus deducimus, nonne uidet? q; in pronūtiatione huius uocis equs quæ ab eadem ſillaba incipit, exacte idem obtigit, quare oporteret idē eſſe utriuſq; ſignificatū, quod cum noſſet Chryſippus ad differentiam ſubſequentiū ſyllabarū ſolutionem referre tentauit: quæ talis eſt. cum quis dicit huius uocis ego ſyllabam ſecundam go. talis ſyllaba nihil abſcedens, & diſiunctū oſtendit, ſed cum quis infert huius uocis equs ſyllabam ſecundam, talis ſyllaba quid diuerſum referre uidetur. uerum hoc quod dicit, tenuis prolatio dumtaxat eſt: nullam habens demonſtrationē ualidam, nec rhetoricam, uel ſophiſticam perſuaſionem, nā propter quid ſecūda huius nominis equs ſyllaba diuerſum quid ſignat: q̄ faciat ſecūda huius pronominis ego, oportuit ipſum aliquā demonſtrationē apponere. Ergo dicamus talē eſſe naturā huius uocalis.e. q; in eius prolatu labias coherceri, & deuerſus deduci, ſit

opus:non ratione ſignificati, ſed ratione ipſiuſmet uocis, ut oſtendimus. Nec item ualet illa ratio qua ait homines ſe ipſos oſtendentes: manum ad pectus conferre, nam & multi hominum ſæpius nares tangunt dicentes, hoc mihi expediens eſt, hoc ego tibi narro. Quin & cõminantes digitum ante nares erigunt, & tamen non ob id firma eſt hæc ratio: ad inuentionem principalis animæ partis. Quòd ſi aliqui dicũt non deſcendere ſibi quæ dicantur: certum eſt, ꝙ nullus ita dicere conſueuit, cum non aſſequitur, nec intelligit ea, quæ dicũtur, ſed cũ aliqua ad iram, aut mœſtitiã aut furorem prouocantia (quorũ tamen audiens nullam curam faciat) referuntur, tunc id dictitare conſueuit, ſignificãs ob iniurias dictas, aut conuitia non iraſci, aut moleſte ferre, eſt enim in corde iraſcentiæ ſedes quoad materiã. & ſic futiles oſtendimus Chryſippi rationes. ſicut enim cõminatur aliquis oculos alicui ſe ademptu-rum, aut confracturum caput, ad eum modum aliquando & cor cõuulſuros ſe eſſe dicunt, ſed quid hoc ad præſens negotium? abſcindere enim aures, & naſum, & ſæpius alijs minantur homines. quin & mulier quædam apud poetam ſic deprecatur. utinam ego huius medium epar poſſem comedere uiſceri adhærens intus. Quid igitur chariſſime Chryſippe, num epar propterea animæ principium eſſe pronunciabimus? non poteſt profecto qui hæc dicat, non inſanus & ſomniator haberi. Sic igitur ad Chryſippi inſomnia (nam quomodo aliter quis appellet: ꝙ per ſomnum uiſa & comprehenſa, quæ is de animæ in corde poſitu arbitratur?) reſpondimus. Sed unũ dumtaxat illius feſtiuum commentũ: quo nititur probare animæ principatum in corde: non taceamus, ait enim in pactis hominum, atq; conuentis ſolere homines capita inclinare uerſus cor, ex quo infert concluſionem quam intendit. nam id uolumus ſignificare non diſcrepare animi conceptũ qui eſt in corde, ad quod capita inclinamus, cũ ſermone qui nobis ab ore procedit. Sed non uideo cur tanti faciat hanc rationem Chryſippus: magis enim rationi conſonum eſt, ut principium animæ magis in eo ipſo quod mouetur exiſtat: ꝙ in ea parte ad quam mouetur. Poſſem & illorum hominum eum in memoriam reuocare, qui dum inter ſe de aliquo paciſcuntur, atq; conueniunt: capita ſurſũ uerſus nutant. Sed reliquũ eſt, ut opinionem quam putamus uerißimam aſſeramus, quæ ponit omnem animi principatum hoc eſt partem animæ raciocinatricem, cum omni famulitio deſeruientium uirtutum choro, in capite collocari, quod ut Galenus tertio de placitis Hippo. & Pla. inquit: ſatis ex morbis comprobatur. Cerebro nãq; affecto promptiſſime animal in delirium incidit, & immobile & inſenſile fit: corde autem affecto in ſyncopem, & deliquium, & interitũ deuenit, nihil tamen eorũ quæ prædiximus, patitur. Huc accedit euidens ex experientia teſtimonium. conſpicimus enim in ægritudinibus mortem inducentibus,

ſæpius

ſæpius omnes notas, & ſigna ſupra ingentem cordis corruptionem; & intemperiem atteſtari, atque ij tamen lœthо candidati, quandiu uixerunt, mentis compotes inuenti ſunt, ut in tabidis & becticis indies cernere eſt. qui fere uſque ad uitæ finem extremum omnes facultatates cognoſcitiuas, non laceſſitas, ſed probe affectas obtinent, quod non aliunde euenit, niſi quoniam cerebrum in ſentiendo nil à corde dependeat, ipſum exiſtens fons quidam & origo ſentiendi. atq; quòd nullatenus cerebrum à corde dependeat in præbendo uirtutem ſenſitiuam membris: & motiuam ſecundum electionem, pulcherrime diſputat Galenus in ſecũdo de placitis Hippocratis & Platonis in hãc ferme(ut nos uertimus) ſententiam. Quærendum (inquit) eſt utrum neutrum neutri, an alterum alteri aliquam præſtet facultatem. dirimetur autem ſic quæſtio. oportet conſiderare in diſſectionibus animalium, quotnam & qualia ſint, quæ cor cum cerebro continuant, & deinceps unumquodq; ipſorum ſecundum collum aut ſcindere, aut comprimere, aut excipere laqueis, atq; tum demum inſpicere, quibus paſſionibus animal capiatur. connectunt porro cor cũ cerebro tria genera uaſorum, quæ totius corporis communia exiſtunt, nerui ſcilicet, uenæ, & arteriæ, uenæ quæ dicuntur iugulares, arteriæ autem carotides, & nerui qui bijs arterijs ſunt naturaliter adnati. Ergo uenas iugulares, aut carotidas arterias, non ſimpliciter quemadmodum neruos diſſecare oportet. interibit namq; confeſtim animal uberi ſanguinis fluxione detentum, ſed melius fuerit ualidis uinculis intercipientem primum quidem in partibus ſuperioribus & inferioribus colli, deinde quod illarum medium eſt diuidere, ita ut nullus ſanguinis fluor conſequatur, neruos autem ſiue excindere, ſiue uinculis quibuſdam excipere, uel ipſiſmet digitis præmere uelis, nihil interſit. Ergo neruis quoquomodo affectis, inuocile mox animal reddetur, nulla aliarum actionum, nec in præſens, nec in poſterum læſa, arterijs autem laqueo interceptis (ut diximus) diuiſiſue, inuocile quidem aut inſenſile non fiet animal, ſed partes ſuperiores conciſarum arteriarum omnino ſine pulſu relinquentur. uenas autem ſeu laqueo interceperis: ſeu (ut diximus) ſecueris, nullam prædictarum actionum manifeſte deperditam uidebis. Quare ex ijs quæ ad ſenſum apparent, cuiuis colligere paratum eſt, nec cor ad pulſuum motum, cerebro uel tantillum indigere, nec cerebrum rurſus corde ad hoc ut ſentiat: & ſecundum electionem animal operetur. Quòd enim cor nullatenus ad propriũ motum cerebro indigeat, manifeſtũ eſt, quoniã uenis, & arterijs, & neruis prædictis uinculo interceptis, adhuc tamẽ pulſat ipſum, & totius corporis arteriæ, ſolũ enim ar-

K

teriæ ſupra uincula ſitæ ſine pulſu manent: ſed quòd & cerebrum in obeundis muneribus ſenſus & motus ipſummet reſpectu talium actionum principium ſit: magnum inditium eſt, quòd neruis prædictis, aut ſectis, aut laqueo interceptis, ſolum inuocile animal redditur, inſpirat autem, & reſpirat ſine aliqua noxa. ſic autem & pedibus manibuſq; etiam dum ualet operari, & ut prius ſimiliter uidere, & audire, & deniq; omnem ſenſationem ſentire poteſt. ſola nãq; uox (ut diximus) deperditur. Nõ ergo cerebrum in ſuis actionibus indiget corde, nam arterijs diſſectis non fit inuocile animal: neruis autem incõmodo affectis inuocile euadit. at uero cor principium eſt arteriarum, cerebrum autem neruorum, quare cor ſi cerebro transmitteret animalẽ uirtutem, per arterias utiq; tranſmitteret, quod tamen falſum eſt: cum illis interceptis, uox non abſrũpatur. Multi autem medici, & philoſophi laqueo intercipientes neruos ſimul cum arterijs: & uidẽtes animal fieri inuocile, mẽdoſe & perperam collegerunt, cor tranſmittere cerebro primũ principium ſenſus & motus, exiſtimarunt enim ob arteriarum paſſionem illud procedere, ſed decepti ſunt, debuerant namq; præcauiſſe, ne cum arterijs ſimul neruos diſſecarent. atq; hæc quidem ſunt, quibus Galenus mihi ferme demonſtratiue ſuam opinionem cõfirmare uidetur. Sed pugnat Ariſtoteles atq; multitudinem neruorum apparere in corde contẽdit, & per cõſequens cor principium neruorum uideri, non cerebrum, ſed quid ad hæc Galenus reſpõdeat, uideamus. Is in fine ſecũdi de dogmatibus Hippocratis & Platonis ait neruacea quædã corpora in corde reperiri, neruos autẽ non, & q; neruacea illa ſolum corporis ſimilitudine neruis ſimilãtur, nõ autem actione & utilitate, oportere autem organorum identitatem & diuerſitatem, ex ipſorum actionibus & uſibus dijudicare. Nã q; muſculi nõ ſint, ſed ligamẽta quæ in corde ſpectãtur, ex eo clare cognoſcitur, q; cordis motus eſt inceſſabilis, nec unq; quieſcit, quia agitatio eius naturalis eſt. muſculi autẽ nũc quidẽ mouentur, nũc uero à latione deſiſtũt, prout electio imperauit, cuius uolũtate ad motũ cientur. Sed quòd & nerui à cerebro proueniant, manifeſtum eſt, ex eo quod Galenus tertio de locis affectis ſe ſpectaſſe reffert. inquit enim uidiſſe ſe quendam, qui reliquis omnibus partibus reſolutis, & neruorum paralyſi affectis, nullam quæ ad faciei partes pertineret, actionem amiſit, ſeruata interim reſpiratione aliter enim uiuere non potuiſſet, ſed & lotium & alui ſedimina præter uoluntatis imperiũ deiecit, omni alia particula, dempta facie: ſenſu & motu priuata, quod inde adeo eueniebat, quoniã principiũ ſpinalis medullæ erat aliqua noxa affectũ, à quo (cerebro auctore) inferioribus mẽbris à facie ſenſus & motus demãdantur, ſicut rurſus faciei ipſi immediate ab ipſo cerebro nerui proueniunt, q; ſi faciei partes quoq; afficiantur, aut

conuellatur, cerebro iam noxam eſſe illatam oſtenditur, quòd profectò optime quod propoſitũ eſt, mihi demõſtrare uidetur. Si namq; à corde uirtus in neruis ſuſcipitur: (cũ enim quæritur à quo nerui producantur, nihil aliud uolumus ſignificare quàm à quo primum uirtus ſenſitiua & motiua, quæ per neruos ad muſculos defertur, in ipſos ut ita dixerim, immittatur) nullatenus poſſet contingere, ut uniuerſæ corporis partes quæ infra faciem conſtitutæ ſunt, omnino reſoluerentur, faciei partibus omnino ſeruatis illæſis. monſtri enim ſimile eſſet, & inopinabilis ſortitio, ut cor ad longiſſima quidem per multos in medio obices poſſet illam uirtutem ſentiendi trãſmittere, ad proxima autem atq; applicata tantumdem facere non ualeret. Hijs accedit quod non mediocrem fidem facit, q; nerui omnes (ut octauo de uſu partium Galenus) duriores conſiſtentia cerebro ſunt, non ſicut aliud genus ſubſtantiæ omnino differens, ſed enim eiuſdem naturæ cum illo exiſtunt, ſiccitate uero & ſpiſſitudine differũt. Ergo ut ad comperendinum ueluti & uadimonium reuertamur, q̃uis ex præcedentibus opinio eorum, qui principem animæ uim in corde conſtituunt, funditus euertatur, pluribus tamen ut hic philoſophorum omnium improbus ignauuſq; error ex mentibus eruatur, hoc certamen dirimere non pigebit. Nam ſi in corde ratiocinatrix animæ uis ſituetur, non commode poſſent animales actiones expleri, ſed cum illorum opera perfectiſſima ſint, ut non in melius incrementa ſuſcipere ualeant, nullus (opinor) ſanæ mentis eas in corde ſitas eſſe deraſa fronte contendet, ubi peſſime perficerentur. cum enim inceſſanti agitatione cor ipſum aſſidue moueatur, phantaſmata & uiſa in eo repoſita, præpete motione turbata à proprijs explendis munijs impedirẽtur, intellectio enim & ratiocinatio: quieti & ſtatui magis q̃ motui ſimiles eſſe uidentur. Ad hæc cum extuberans efferueſcenſq; calòr perturbet, & impediat omnes operationes animales, non recte eædem in corde perfectionem indiſpicerentur, cum tam feruidi & excandeſcentis caloris officina exiſtat. ſub enim tam ingenti caloris efferueſcentia atq; ebullitione, rerum idola atq; ſimulachra cum materialia ſint, ut pote quæ cum conditionibus indiuidualibus res ipſas menti repræſentent, euaporarent, extenuarentur, & ſuffituum modo ſòluerentur in auras: & cordis ipſius flammis deurerentur, immortali indeffeſſoq; igne conſumpta. Perirent itaq; entium imagines, in cordis ergaſtirio & latibulis poſitæ, & nos in profunda, & denſa nebula, & caligine uerſaremur: in tanta idolorum res ipſas repræſentantium ſtrage. Quòd ſi ſemiuſta & ſemiexeſa relinquerentur aliqua (deus bone) quàm nobis memoriola uacillaret, quæ confuſio, quæ indeterminatio noſtros corriperet animos? profectò Tireſia & talpa cæ-

*ciores inambularemus, dum præteritorum difficulter reminiſci poſſemus: ſimilli-
mi Platonici figmenti hominibus exiſtentes, qui ſemper in penitiore terræ ſpe-
lunca uitam tranſegiſſent, umbras tantummodo rerum ſpectare ſolui, quas ue-
ras eſſe res ſibimet perſuaderent, & mentirentur. Eueniret (me Hercules)
digniſſimum, coronaq́ par ſpectaculum, dum qui febris, Soliſue, aut iræ ratio-
ne, aut deniq́ quauis alia de cauſa exæſtuaret, nobis immemor eorum quæ
egiſſet, aduentaret. Quos tunc (putas) iocos: quos riſus, quos deniq́ cachin-
nos non nobis obliuioſior ille præſtaret? dum Dionem quidem, aut Theonem di-
cere, animiq́ ſententiam explicare uellet, cunctaretur tamen, quoniam illa ſemicom-
buſta Dionis effigies: Dionem ſibi redditum minorem oſtenderet, quem ipſe nu-
per uidiſſet præſtanti corpore, & procero conſpicuum. Sed ſcõmatis dimiſſis,
mihi non immerito, ſed iure optimo Galenus Archigenem contraria ſentien-
tem carpere uidetur, qui ad memoriam deperditam reſtaurandam cenſet dera-
ſo capiti cucurbitulas adhiberi. Oporteret enim (inquit) ſi ſuam ille ſectam
ſeruare ſtabilem uoluiſſet: omiſſo capite, cor cuius affectum memoriam eſſe putat,
medicandum ſuſcipere, quod tamen ſi ille ſibi permiſiſſet, ut pectori, & regionẽ
cordis cucurbitam adhiberet, nunq̃ Marſi patrem ſanare potuiſſet, ex quo illius
ſectæ falſitas Phœbo clarius oſtenditur. Sed & multum in hoc argumento Ari-
ſtoteles claudicauit, qui cum non ignoraret capitis repletionem inducere ſomnos,
grauiq́ ſomno ſtertere, atq́ tentari illos: qui cibis humidioribus ſunt uſi, aut plu-
rimo mero ſe ingurgitarunt, aut balneis frequentibus, calidiſq́ ſibi caput irriga-
runt, nullam tamen potuit probabilem inuenire rationem, & ſi promptiſſimus
eſſet ad inueniendum, perſuadendumq́ quod uellet, qua oſtenderet: quamobrem op-
pleto cerebro prima ſentiendi uis quieſcat, cum ipſa (ut ille putat) in cor-
de reſideat. Probabilius namq́ erat à pulmonis humore ſomnos euenire, qui cordi
nullius alterius rei gratia, q̃ ut illi deſeruiret, circumpoſitus eſt. Cum ergo con-
ſpiciamus ſenſus particulares: & ſenſum communem impotentes ob frigiditatem
reddi in ſomno, conſequitur ut is ſenſus in corde non ſit, quod retractis ſpiritibus,
& calore ad id tanquã ad ſcaturiginem, multo calidius effectum, potentius eſſet ad
functiones ſenſus communis obeundas. Quo in loco Ariſt. apertiſſime ac ſi in
retia incidiſſet: mihi teneri uidetur, cum infitiari iam talem ſenſum eſſe in cerebro
non poſſit, & ſi millies quas collegit rationes repliget. Quis enim medicorum ſom-
num conciliare cupiens alteri membro à capite, papauera & ſomnifera, hypno-
ticaue medicamẽta appoſuit? aut quis rurſus ob excedẽtes excubias, & peruigiliũ
immodicũ cor refrigerare eſt adorſus? at qui ſecundũ Ariſt. ſõnus primi ſenſitiui*

hoc eſt ſenſus communis affectio exiſtit, quod ex errore qui in ſomnis accidit, diſcas licebit, tunc enim ob feriationem ſenſus communis, ſæpe iudicatur: ꝙ idolum & uiſum ipſum ſit res ipſa cuius eſt imago, ut in ſomnis quia habeo idolum repreſentatiuum Platonis, iudico tale idolum eſſe ipſum Platonem, cum quo fari, & miſcere ſermones, & mutuas audire, & reddere uoces exiſtimo, in uigilijs autem id non euenit, nec enim iudicamus ſimulacbrum eſſe rem quam repreſentat, quoniam ſenſus communis non eſt feriatus, quem ueluti pro tribunali conſtitutum: iudicium ferre de ſenſuum exteriorum obiectis ſupra diſſeruimus. Themiſtius tamen Ariſtotelis paraphraſtes conatur oſtendere, cur ſomni eueniant ſenſu communi poſito in corde. inquit enim euaporamentum ad cerebrum delatum primum quidem refrigerari, inde ad cor deſcendere, & calorem eius obtundere, quo facto ſomnos obrepere ſit neceſſum. habet autem eius dictio ſic in libello quem de ſomno & uigilia edidit. Plane neceſſe eſt, id quod in uaporem ſoluitur, tabeſcitq́;, aliquatenus ſuſtolli, deinde reditum capeſſere, & ad inſtar euripi refluere. nam omne calidum in ſublime natura effertur, eo loci refrigeratur à cerebro, & conſiſtit, mox reciprocat, & deſcendit ad cor, refrigerato eius feruore ſomnus obrepit, ita efficitur ut ſomnus maxime à cibis proficiſcatur. nam alimonia ad ſummum caput uiam molita, ꝙdiu fluxum cerebro immiſcet, attentat & aggrauat. hinc ſalebræ illæ uerborum incertæ, hinc oculos nare, caput uergere, erigendi ſe facultatem auferri contingit. cum uero iam cõmeant cibi, & incidentes cordi calorem eius irrigant, tum profundo ſomno demergimur, & altum ſoporem flare incipimus. & rurſus inferius. Contingit ſomnus reditu corpulenti humoris, quem calor in ſublime per uenas leuauerit. non enim poteſt diutius eo loci quo ſubijt: alimentum morari: ſed congelaſcens aggrauanſq́;, de arce capitis deductu ponderis ſui pellitur. hucuſq́; Themiſtius. Sed ſalua uiri reuerentia nugacitas hæc mihi mera, & anilis garrulitas: nec homine digna qui philoſophiam profiteatur: eſſe uidetur. nam & ſpiritus & calor ad cor cum dormire incipit animal deducuntur, & tunc temporis calor cordis ualentior eſt: nam in ſomno cuditur & fabricatur multa ſpirituum copia in corde ob uim caloris quæ in eo eſt. nihil enim aliud mouet & regit in corpore ꝙ calor, atq́; ob eam cauſam frigent ſuperiora in ſomno, & circũquaq́; extrema corporis frigore cõplentur, contra inferiores loci ut pedes, ut uiſcera, & cætera quæ intrinſecus continentur caleſcunt. ad hæc non uidet nullam tam facilem eſſe uiam, qua euaporamentũ illud ad cor defferatur, ſi deſcenſurum ſit. oporteret enim ut per aſperas arterias ad pulmonẽ prius deduceretur: ubi periculũ nõ minimũ ſit, ne aïans

ſuffocetur: obſtructo ſpirãtis animæ itinere à craſſis lentiſq; humoribus deſcẽdentibus qui aeris occupent uias, ſed & conceſſo ad pulmones peruenire defluum illum halitum: cum pulmo ſit laxus, mollis, & ſpongioſus, imbibitus ibi detinebitur, abſq; hoc q; ad cor pertranſire ſinatur. Quod rurſus ſi admittamus, fiet ut quemadmodum pulmones phthiſim incurrunt ob catarrhũ ad ipſos à capite deriuatum, ſic cor propter defluxiones illas indies illabentes, abſceſſum (quod nephas dictu eſt) contrahere poſſet. Præterea ſomniculoſi ſunt, ut omnes teſtantur, qui incertas, & cõditas uenas habent, contra inſomniculoſi: quorum uenæ editæ, & conſpicuæ ſunt, at qui, ſi fiat ſomnus obruto calore cordis à deſcendente humore oppoſitum contingeret, nam ægre & difficulter, nec niſi tenuiſſima quædam illius uaporis portio, per uenas illas ſtrictiores deſcenderet. per uenas uero amplas affatim & ubertim uice imbris fuſus humor dilapſus, magis calorem cordis refrigeraret. Quemadmodũ enim aqua per fiſtulas graciles ducta lente & guttatim decurrit, per amplas miſſa celeriter & cũ magno impetu ruit, ita & ſpiritus ille corpulentus per arctos & nimium anguſtos illos meatus ægre tranſmitteretur. Ergo illorum cauſam qui uim animæ principem in corde ſtatuũt, impulſam, proſtratã, & conſtrictã quiuis facile animaduertere poteſt. Sed nec ratio illa qua Ariſt. & Chryſippus oppoſitum concludere ſuſpicantur, firmitatẽ obtinet: aiunt enim cor primum moueri, & ultimum quieſcere, ut ob eam rem ſenſus communis principium ſtatui debeat mouetur enim primũ cor motu ſecundũ pulſum, non autem ſecundum electionem, nec aliud quis oſtẽdere poterit: ex quo habetur motus quidem ſecundum electionem, cerebrum: alterius autem ſine electione facti cor eſſe principium. Sed non omnia organa ſenſuum (ait) in cerebrum terminantur: hoc adeo dictu abſurdum Galeno uiſum eſt, ut ad hunc modum octauo de uſu partiũ inſurgat. Quid dicis (inquit) ô Ariſtoteles? ego enim citra pudorem hunc ſermonẽ cõmemorare nequeo: nonne in utrãq; aurem dignus ratione immittitur neruus ipſis membranis? in utramq; uero partem naſi portio cerebri non multo maior ea quæ ad aures peruenit. In utrumq; uero oculum nonne uuus mollis neruus, unus item durus, ille in radicem eius, hic in mouentes muſculos implantatur? ad linguam autem nonne quatuor, duo quidem molles per palatum accedunt: duo autem duri iuxta utramq; aurem deſcendunt. Omnia namq; cerebro participant, ſi oportet credere oculis uidentibus, & manibus tangentibus: quorum qui iudicium negat, is uecors, & excors iure appellandus eſt. ad illud autem quod aiunt: non poſſe cerebrum principium ſenſus eſſe: cum ipſum non ſentiat, facilis reſponſio à Galeno datur, cerebrum à natura, non ut ſentiret, ſed ut ſenſuum inſtrumentis uim ſentiendi præſtaret, inſtitutum deputa-

tumq́; fuiſſe. Cerebrum igitur in capite ueluti in arce magni regis inſtar reſidens, principium animæ habet: ſenſus ueluti ſatellites quoſdam tenens circum habitantes. Et deniq́; quod in mundo cælum: hoc in hominibus caput, illud deorum domicilium, hoc rationis habitaculum. Sed cum iam plus nimium ſimus diuagati, & ſermo hic ſupra modum & umbilicum excreuerit, receptui canamus, & ad uaſa tandem conclamemus.

FINIS LIBRI DE CORDE.

GALENI LIBER DE PTISSANA ANTONIO LODOVICO INTERPRETE.

QVandoquidem non multo ante medicorum quoſdam, apud quendam ex ægrotis cremore ptiſſanæ utẽtes inueni, nec tamen quibusnam paſſionibus eam exhibere expediat, aut non expediat, ſatis diſtinguerent, nec modum & quantitatem quæ offerri habeat, aut tempus opportunum oblationi ſorbitionis probe ſecernere, aut cõſtituere noſſent, quin imo (ut uidetur) tunc temporis peraptum eſſe ptiſſanæ uſum existimarent, cum ſibi ueniſſet in mentem. Ob eam rem uiſum mihi eſt, de uſu ipſius ea præſcribere, quæcunq́; Hippocratem explicatius interpretari proponenti, prædici oportet propter multorum quæ ſequitur, aſſecutionem. rationem ſcilicet coctura, & uires, facultateſue ipſius, & quãnam actionem exerceat, & tempus competens, & quantitatem, & modum exhibendi; non minus autem quæcunq́; bona laborãtium corpora maneant, & conſequantur, qui eam competẽter ingeſſerint, ut rurſum è diuerſo q̃tum damni afferat, ſi non tempeſtiue propinetur. ad hæc quibus eam corporibus oportet: exhibeas, & quibus non oportet, per ordinem edocebo. Sed cum compoſitum quid & coagmentatum ptiſana exiſtat, & ſuccus eius. ex hordeo nanq́; pulchre purgato hoc eſt decorticato, & aqua cum tali decoctione præparãda erit, primũ quidẽ de partibus ipſius per quædã ueluti capita, & ſummas mihi dicendum eſſe cenſui. Niſi enim hæc quis prius commode explicauerit, diffinieritue, magnopere lædet, quantumuis reliqua omnia exactiſſime deinceps proſequatur. Quòd quidẽ igitur optimam aquã eligi oportet ad confectionẽ ptiſſanæ, nullus (opinor) in dubium uertit. porro hæc conſiſtẽtia, & guſtu, & olfactu,

& colore dijudicatur: ex guſtu quidem, & olfactu, ſi alienam nullam qualitatem
ſubmonſtret, hoc eſt ut dulcis non ſit, non ſalſuginoſa, non aceti præferēs ſaporem,
acidaue, aut acris, aut graueolens, aut putredine affecta, aut deniq; (ut in uniuerſum
dicam) ut nullam acceſſoriam qualitatem obtineat, ſed ſit omnis omnino qualitatis
expers, & ſeorſum exiſtens ab omni aduentitia qualitate, & omni mixtione carens,
quæ aut guſtum, aut odoratum immutet. Oportet quin etiam & pellucidam hanc
eſſe, & puram, quæq; nihil habeat limoſum, ſed eiuſmodi ſit, ut adamuſſim percola-
ta eſſe uideatur, & ab omnibus deniq; innatantibus arenulis prorſus ſeiugata, ſe-
motaq; eſto. Talis enim uero aqua ad uſum quidem utiliſſima exiſtit, ſi uero naturam
ſpectes, nec ſic quidem pura euaſit, ueluti nec aliquod aliud ſenſilium elementorum.
Quòd ſi (qualē diximus) talis extiterit, hæc ſane tibi mox perq̃ tenuiū partiū fue-
rit, & concoctu facilis, & prompte celeriterq; per corpus digeretur, & per ilia
non tarde tranſmeauerit, nec ſolum à naturali caliditate ſi epotetur, bene permuta-
bitur, ſed & exteriori igni communicans, breuiſſimo tempore calefiet, cuius ſane rei
locupletiſſimus teſtis Hippo. eſt: aquam namq; quæ affatim & celeriter caleſcat,
& rurſus celerrime frigeſcat, leuiſſimam eſſe cenſet: non quoad ponderis leuitatem,
ut quæ nullo negotio, pondere, uel menſura poſſet dignoſci, ſed leuiſſimam, hoc eſt
tenuium partium, quæq; in ſe ipſam facile aduerſas qualitates ſuſcipiat, audire opor
tet. Talis porro aqua & frigida eſt, & humida, & quam proprie aquam nūcupa-
ueris. quæ autem ſunt ſubſtantia aliqua, aut qualitate infectæ, quales uel bitumino-
ſæ, uel ſulphureæ, aut etiam aluminoſæ, tātum à natura aquæ receſſere, q̃tum infe-
ctio peruaſit. Si autem demonſtrari tibi poſtulas, frigefacere aquam, & humecta
re, hoc non ad præſentem ſermonem ſpectat quem de priſſana inſtituimus: præterq̃
q̃ frigiditatem eius, & humiditatem omnes ueteres demōſtrarunt, quibus & expe-
rientia ſubſcribit. quamobrem hoc omnium ſermone confeſſum accipiens, ad ſer-
monem de hordeo pertranſeo.

Hordeum igitur in uniuerſum ſumptum infrigidādi, & deſiccandi ui pollet, habet
autem abſterſiuum quid, & uentoſum. diſcretim autem & ſecundum partes, qui qui-
dē forinſecus eius eſt, furfuraceus cortex ſiccior euaſit, & magis deterſorius eſt.
quod uero intrinſecus exiſtit, carnoſum ueluti, & eſui aptum, abſtergit & ipſum,
ſed minus q̃ furfures qui in eo ſunt. habet autem nihil minus & flatuoſum quid in
ſeipſo. altera uero pellicula membranaue tenuis, quæ intra id quod eſt ueluti furfur
poſita eſt, & hordeum circūdat, atq; circūſcribit, mediam horū obtinuit poteſta-
tem, quo fit, ut non tantum abſtergat quantum furfuraceum, plus autem q̃ hordeū.
Illud uero ſermoni ſubaudiri oportet, q̃uis non dicatur, optima hordea eligi opor-

tere, quæq́; nihil habeãt ex putredine aſcititium, aut ſuperfluum humorem, neue ſint, aut admodum nouiter collecta, aut omnino nimis antiqua, iuniora nempe & nouiter decuſſa ſcatent excremẽtitia humiditate, quam ex regione ſibi contraxerunt, & excrementis redundant, & ſpiritu uentoſo turgent. at quæ antiqua & diuturna, tempore iam uieta & caduca ſunt reddita, & propriam depoſuere facultatem: quod uel rugæ in ipſis ingenitæ, & magnitudinis imminutio atq; decrementum, non obſcure tibi ſignificare poterunt. non minus autem & q; ijs contuſis uelut puluiſculus quidam tenuis ab ipſis decutitur. Plena igitur eſſe expedit hordea, quæ ad facturam ptiſanæ delegeris, nec aut apprime noua, aut peruetuſta, atq; omni extraria & hoſpite qualitate carentia. Sed nec hoc unum ſufficit, uerum & ulterior approbatio ab experientia, atq; periculum apponendum eſt. ultra dicta nãq; ſi inter coquendum in tumorẽ ampliorem attollãtur, hæc ipſa eligere oportet, ad ptiſanæ conſtructurã. modo uelit quis ipſam ſecundũ rationẽ quatenus poſſibile atq; decẽs eſt, efficere. Quæquidem igitur ſit optima aqua, & quo pacto diſcernitur, quodq́; ſit optimum hordeum, quibuſq́; maxime notis ipſum cognoſcatur, ſummatim & in tranſcurſu dictum à nobis eſt.

Relinquitur tertio agẽdum nobis de coctione, ſic uero ipſam ptiſanam præparare eſt mos, tundunt nãq;, atq; terunt prius in mortario in minutas particulas, poſtea coquũt celeriter, deinde uero ij quidem inijciũt ſapam defrutumue, ij autem amylum, nõnulli ſunt qui & cyminum, & mellis non nihil ſuperiaciant. eſt porro talis cõfectio abſurda, & reproba. Optima autem & pulchra eius conſtructio talis eſt: præmadefacere cum adhuc cruda eſt, atq; humectare in aqua oportet, inde manibus in tantum proteratur, quouſq; ad tenuem membranam peruentum ſit, atq; ob hoc rurſus ualide, magniſq; uiribus inter manus teritur, & pertractatur, donec paleoſum omne ſuccutiatur: niſi tamen quis uellet ipſam magis abſterſoriam conficere, tunc enim ſimul cum cortice ipſam concoquere præſtat.

Coquatur autẽ ad hunc modũ, ubi prius ipſam oppido coegeris, & perfricaueris, ad mollem & ſuauem ignem apponito, ubi eouſq; maneto, donec plurimũ ſucci emittat, ſi enim hoc (quo dixi) pacto decoquatur, omnem inflationem exuit: poſſidet autẽ quæcunq; bona Hippo. ipſe multo ante de illa atteſtatus eſt dũ ait. Glutinoſitas quæ in ea eſt, leuorem quendam obtinet, & continua exiſtit, ita ut ſi tangas, nullam aſpredinem ſentias, & lubrica, & mediocriter digitis cedens, & inſiticuloſa eſt, quæq; facile aluum ſubducat in morbis quibus conueniat: nec enim uentrem cohibet, ob aſtrictionem aliquam quæ inſit, nec conturbationem, aut ſubuerſionem uentriculi, cum decoquitur, operatur. nec intumeſcit in uentre, intumuit nãq; inter coquendum

quantũ apta erat attolli. Quód quidẽ igitur nihil glutinoſum, & meatuum obſtructiuum ptiſana habeat, ueluti omnia alia uiſcida palam eſt atq; manifeſtarium. abſtergit enim non ſordes tantũmodo corporis, ſed & pituitoſum ſuccum in uentriculo accruatum exhibita expurgat. Multa autem coctio, & exacta miſcilium unitas apparentem hunc lentorem molitur. hæc igitur quæ in ea apparet lentities, nullam habet aſpredinem, ſed lenis eſt undiq; & coæqualis, & manens, & continua: nulla enim aſtrictione aut acredine participat, ex quibus aſpritudo cauſatur. Quo fit ut leuorem quendam neceſſario ſortiatur, non quoad tactum dumtaxat, ſed & ſecundum uires. Cũcta nãq; alia tenacia, & glutinoſa, ueluti oleum, mel, & alia id genus tangenti quidem tibi apparebunt leuia & æqualia, ita ut nihil in ſe diuerſum & inæquale habere uideantur, quale eſt, ut pars quidem altera ſit tenuis, altera craſſa, aut diuulſa, diſiunctaue, quo fit, ut quoad tactum leuorem præferant, nullatenus uero ſi circa aliud quid eorum uires & efficaciam experiri uolueris. nec enim madefaciunt omnes corporis particulas, quibus applicuerint æqualiter & continenter, ſed diſsident &, ſeiunguntur ſecundum hoc ab inuicem uiſcoſorum omnium partes, excepta ptiſana. ipſa enim leuis exiſtens quoad ſenſum, & ſibi cohærens, nec interciſa indiuulſaue, ſecundum potentiam talem etiam ſeſe fert. His adde, ꝗ ex illis nulla uoluptas in guſtu percipitur, ptiſana autem non minus ſeorſum à cæteris hoc munus precario obtinuit, ut ſecundum guſtum ſuauis & iocunda eſſet, & præcipue in ægrotis. panis autẽ quãuis alia ſuperet ſecundum alendi facultatem, attamen & is non parum eſt inſuauis, quantum uis latice ſit inſperſus, ut pote qui mandi dentibuſq; teri etiam num indigeat. Hoc autem ſecundo ptiſana præſtat, ꝗ nullum ex elaboratione circa os, atq; tritura negotium faceſſit. habet namq; & lubricitatem, & præcipue cremor nihil in tranſitu meatibus infarctum relinquens, quẽadmodum omnia glutinoſa, dẽpta ptiſana. ipſa enim nullo negotio ſubit thoracis particulas, ob abſterſoriã uim qua eſt prædita. Non ſecius & ad ſubductionem alui eſt cõueniens, & ut alimentum per totum corpus digeratur: & præcipue ab ijs accepta, in quibus aſſumpta non commode perueniunt ad iocinoris cõuexas partes. Eſt porro tactui quin etiam mediocriter cedens, eſt humecta & inſiticuloſa, quorum quidem humiditatem ab aqua ſuſcepit, habuit autem ut frangibilis eſſet, ob hordei naturam medio modo exſiccantem. Illud enim quod ex contrarijs qualitatibus conflatum eſt, ita ut aliam quãdam naturam acquiſititiam inde retulerit, extremorum ſummitates effugit, atq; uitauit. Inſiticuloſos autem homines facit quia humida eſt: magis uero ꝗ aqua, & celerius ſitim adimit, ꝗtũuis ab ea in humiditate deficiat, quod ea ratione contingit, quoniam celerius per corpus digeritur, & quoniã permanentem ipſam

obtinuit,ratione lētoris ſeu uiſcoſitatis. hijs adijce quia etiam frigida exiſtit. atq; hijs de cauſis in febribus ardentibus quod magis conueniat, inuenias nihil, ut pote quæ ipſis ſecundum omnia aduerſetur,reffrigerans & humectans, & abſtergens ſuccos putredini obnoxios;& non parum præſtans corpori alimenti. ſemiputridos autem humores excoquens:& in ſuccum utilem tranſmutans, atq; hæc quidem habet omnia cū hoc q; nihil aſtringat,uel uentriculi euerſionem concitet, & hoc(ut dixi) non quoad tactum dumtaxat oſtēdit,ſed & quoad actionem, & poteſtatem. Eſt autem & guſtui propitia, hoc eſt nihil habens inſuaue, & humida, & inſiticuloſa propter uiſcoſitatem, & cohærentiam quæ ipſi ineſt. Porro quodcunq; quod leuorē habet, & humectū, & guſtui propitiū eſt, intātum etiā ab ſtyptico, aſtringente ue ſapore ſeceſſit, & quacūq; alia ualida qualitate, ſeu uehementi, longe alienum eſt. & præter omnia iamdicta & inſiticuloſa eſt ob coctionem cōuenientem. Cum talis autem ſit: acutis febribus eam exhibere operæpretium eſt, non eo duntaxat nomine, q; per omnia ipſis aduerſetur, ſed & quoniam omnium facillime concoquitur, & imbecillima eſt in omnibus qualitatibus, & uelociter per corpus diſtribuitur, & putridos quidem ſuccos expurgat: ob uim abſtergendi: ſemitabidos autem quin etiam concoquit.

Non tamen ſimpliciter in morbis exhibenda eſt, ſed multa prius prædiffinire & cōſtituere egemus. non enim hijs qui periclitantur eam exhibere decet, nec in ijs qui aut uenæ ſectione, aut purgatione, aut lauamine aliquo clyſmateue opus habeant, multo autem minus ijs qui aut excrementis ſecundum uentrem ſcatent, aut ſub magno dolore moleſtantur, ꝑtiūuis nulla medica fomenta, nec ſanguinis miſsionem, aut purgationem requirant, ſed nec ullo pacto in ſicciſsimis ſquallentibuſue morbis eam deuoraſſe commodum eſt.

Oportet præterea conſiderare tempus, & quantitatem, quæ debeat offerri. ſi conſuetus erat æger ſemel ueſci, præbeto & ipſe hanc ſorbitionem una uice dumtaxat. ſi autem bis in die cibos capiebat, & ipſe doſim duplicato.

Adauctio huius ſorbitionis, & appoſitio in morbis ſiccioribus nō oportet, ut fiat, indigent enim ualidioribus potionibus, ꝙ ſit ptiſſana, ut plus humectentur. Siccas ægritudines appello, pleuritida, peripleumoniā, & in uniuerſum omnes thoracis affectus, cū nihil ab ipſis expuitur. Secūdum iocinus autem, & uentrem, & inteſtina, ægritudines ſiccæ nuncupantur, cum nihil ab ipſis excernitur, & particulæ duræ fiunt. arteriarum quidem, & uenarū ſquallores ex lingua, & cute extrinſeca dignoſcuntur. Sic & capitis paſsiones, cum nihil per palatum, aut nares depurgatur. ſecundum hunc modum & inflāmationes phlegmonæue morbi ſicci dicūtur, à qui-

bus nihil in pus permutatur. in talibus autem affectionibus ptiſſanam propinare non confert, ut pote quæ non ualde humectet illa, quæ plurima & uehementi humectatoria poteſtate indigent, quiu potius ex plenitudine incommodum talibus corporibus præſtet. Quòd ſi corpus humidius extiterit, & quidpiam à pulmonibus deſpuatur, tunc temporis adaugere ſemper, & apponere potionẽ eius operæpretium fuerit. humectans enim, & incidens ſimiliter humores extantes in corpore, & firmitudinem particulis præſtans ob alimentum, mundum perficit exacte animal & purgatum ab infeſtãte ſuccorum uitio(quod Græci cacochymiam uocãt) conuenientibus namq; utriſq; facillime repurgantur uitioſa recremẽta. Nihil autem aliud inueneris, quod iſthæc ambo poſſideat, quæ ptiſſana, ut medicamentum, uel ut alimentum præſtat. ſed aut in extenuando & humectando nutrimentum defficiens habebit, ueluti panis, & far, & oua, & piſcis, aut inſcindet quidem, ſed non humectationem, aut alitionem ſecum adducet, ueluti acetum mulſum, & ſi quid aliud tale. Omnia hæc bona ptiſſana ſortita eſt, ſed tamen nullam utilitatẽ conciliat, ſi ſine exacta prædiffinitione exhibeatur. quin magis mortis cauſa conſiſtit oblata, ut ſi forte laborans indigeat clyſteri, ob purgationem excrementorum, aut uenæ ſectione ob cruoris redũdãtiã, aut propter dolorem, qui ut non deſineret: plenitudo in crimine fuit: mortis cauſa ptiſſana fuerit eam deuorãti: forte namq; & ipſa plenitudinem duplicato multiplicat, & propter hoc non oportet ipſam exhibere febri correpto, ſiue cum dolore ſiue expers doloris ſit febris, ſi paruo tempore interpoſito ab acceptione alimenti, homo febricitare incepit. & ſi nondum excrementa alui depoſuit. atq; iſtudmet prædiffinire oportet non in ſucco ſolum, ſed etiã in ipſa ptiſſana, quibus autem utilis fuerit, nec ipſis mox eam obtuliſſe conuenit, ſed prius quidem cremorem ſuccumue dumtaxat, inde plus quidem ſucci, parum autem ptiſſanæ propinato, poſtea ex æquo ambo exhibeto, ultimo ipſam ptiſſanam dumtaxat: cognoſcens probe ad firmitatem & nutricationem corporis maximam opem à ptiſſana conferri. ſuccum autem ad facilem elaborationem & concoctionẽ probam, & promptam diſtributionem per corpus multum præſtare.

Hæc tanq̃ in ſumma de ptiſſana nobis dicta ſunto, ut noris bene temperatum ipſius uſum, & quid neceſſario præconſtituere oporteat.

FINIS.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS LIBER DE eo ꝙ Galenus animam mortalem eſſe comprobare uiſus eſt.

NOn eſt huius operis ſcopus de animæ ſubſtantia quidpiam diſſerere, anceps namq; & lubricum, & omni ex parte periculoſum negotium hoc eſt. Philoſophi quippe uiri tametſi plurimum nimis anxie in hac re laborauerunt, & ingenia torſerunt, uix tamen ſuper ea re quidpiam certi, & minime controuerſum inuenire potuerunt. uixq; (quod aiunt) ſcopum ſatis attigiſſe uidentur. Galenus autem medicus omnium tam medicorum, q̃ philoſophorum qui omnibus ætatibus uixerunt, facile princeps: amplius de hac re inquirere adorſus eſt, nec enim ſuſtinuit abſolute credere quidpiam, quod per demōſtrationem ſcientificam non accepiſſet. eſt enim demonſtratio ſyllogiſmus faciens ſcire. Is igitur cum uideret, à philoſophis ſuper propoſita quæſtione, nequaquam lineales (quas uocant) demonſtrationes, ſed probabiles dumtaxat perſuaſiones afferri, & rationes aliquas in contrarium haberet, quas ſoluendo eſſe non poterat, facile in hanc partem inclinare uiſus eſt, ut animā mortalem aſſereret. Quamq; non ſimpliciter, & abſolute, ſed Socratico aſtu hoc faciat, nec enim quidpiam ponit, ſed contraria dumtaxat dicentes refellit. Namq; ut Socrates apud Platonem, ſe quidem ſapiētem non eſſe fatetur, ſed eos qui ſapientes uideri uolebant, quicūq; tandem ij forent: redarguit: atq; alios minime ſapere demonſtrat. Ita Galenus nunquam aperte & palam dicere auſus eſt: animam eſſe mortalem, ſed dicit ꝙ eſt complexio, uel ſubſtantia cerebri, uel ꝙ eſt ſpiritus, aut ꝙ ſpiritu utitur ad omnia munia tanq̃ inſtrumento. uel ꝙ fit ex temperamento quatuor primarum qualitatum, aut ꝙ illis qualitatibus permutatis, illa etiam alteratur: & ꝙ animi mores corporis temperamenta ſequuntur. & ꝙ potentiæ ſiue facultates animæ ipſius, quæ nihil aliud ſunt q̃ ipſa anima: naſcuntur & fiunt ex complexione, ſiue ſunt ipſamet complexio, & ipſam inſequuntur materiam. & alia id genus, ex quibus liquido deduci poteſt, animam eſſe morti obnoxiā. Atq; (ut apertius loquar) erubuit quidē Galenus fateri animā eſſe mortalem, rurſuſq; noluit concedere eam eſſe immortalem. nam cum eſſet artifex ſenſualis: & credendum eſſe exiſtimaret ijs quæ per ſenſus apparent, & pleraq; hoc ꝙ anima eſſet mortalis aſtruere uiderentur, adduci non potuit: ut ab ijs uel latū digitū diſcederet. atq; utinam Ariſtoteles ſummo uir ingenio, & accuratiſſimus in penſitandis philoſophorum placi-

tis, & in exigendis antiquorum opinionibus plane exactus: pari candore & ingenuitate mentem ſuam propalaſſet, nec ſepiæ inſtar quæ attramento effuſo: piſcatorum manus elabitur: obſcuriſſimis ſententijs ſua dicta obuoluiſſet: ut tum maxime cum comprehendi uidetur: effugiat. Viſus quippe eſt & ipſe dubius extitiſſe in hac ſententia, & in eam partem magis accedere: quæ animam mortalē affirmat. Quippe (ut Gregorius Nazanzenus ait) præter hoc ꝙ artis plus nimiū quàm par eſſet omnibus admiſcuit, & prouidentiam anguſtis nimis finibus limitaſſet: cum eam ſupernorum eſſe dixiſſet: nec ad inferiora illam produxit, tum & mortales de anima ſermones habuit. Nec ſatis intelligere potuit: quomodo ſi anima eſſet forma corporis: eſſet immortalis, uel ſi morte uacaret: quo pacto informaret corpus. Rurſus inquit, ꝙ ſi aliquod proprium opus eſt ipſius animæ, in quo non cum corpore communicet: ꝙ ipſa eſt ſeparabilis, ſi uero omnia opera ſunt animæ cum corpore communia, ſeparari non poſſit. Deinde oſtendere conatur omnia pene munia (atq; adeo ipſum intelligere, de quo minus uidetur) animam cum corpore habere cōmunia, atq; adeo nullum opus eſſe: in quo anima non indigeat corpore. Videtur (inquit) intellectio aut eſſe phātaſia, aut non ſine phātaſia, & exiſtimatione quadā Quid (Hercules) imbecillius dici à uiro docto, & ſummæ auctoritatis potuit? nihil profecto: quod perinde eſt, ac ſi diceret, intelligere aut corpus eſt, aut ſine corpore eſſe nō poteſt. Adhæc non ſatis aſſecutus apparet, quo pacto anima intelligere poſſet corpora: ſi eſſet ipſa corporis expers. Anaxagoras (inquit) ſolus ex omnibus dixit animam eſſe ſincerā, & purā, & corporis immunem, & ꝙ de foris accedat, ſed quo pacto intelligat: nō dixit. perinde ac ſi diceret difficillimum eſſe cōprehendere: quomodo intelligat anima corpora: ſi ipſa corpore careat. Præterea diffinitio quam dat de anima: cum dicit eam eſſe actum corporis phyſici, & organici in potentia uitam habentis: manifeſtum eſt, ꝙ de ſenſitiua, uel uegetatiua tantum aſſignatur: nec intellectiuæ animæ competit: ineptum eſt namq; ipſam diffinire, per hoc ꝙ uitā corpori phyſico potēti uiuere præſtet. Neſcio an in numerū eorū qui in eodem luto & ſalebra hæſerūt: Alexandrum maximū in peripatetica ſchola philoſophū reijtiā, nam is quoq; libro primo commentariorum in topica Ariſtotelis, hanc propoſitionem dicit eſſe demōſtrabilem, ꝙ anima quæ eſt forma corporis, ſit inſeparabilis, ita enim loco iam citato inquit. Exemplum demonſtrationis, uel ſyllogiſmi, qui cōſtat ex primis, & immediatis eſt hoc. In ſingulis quibuſq; entibus ſpeties, uel forma id eſt, quo res eſt, id quod eſt. nam cum omne quod actu exiſtit: ex materia & forma conſtet, nec res ſit id quod eſt, per materiam: ſequitur ꝙ per formam. deinde (inquit) ex hoc inferre poſſumus: ꝙ animal eſt id quod eſt, per ſpetiem, hoc eſt for-

mam. & rurſus ſi accipiamus pro minori hanc:ſed ſic eſt, quod animal eſt ſenſitiuũ propter animam: hinc infertur quod animal eſt animal propter animam: & q̃ anima ſit ſpecies corporis: poſt hæc ſi aſſumatur (inquit) hæc propoſitio anima eſt ſpecies corporis, ſed ſpecies ſiue forma animalis ipſa materialis eſt, (quam dicit eſſe euidentem) ad hæc quod materiale eſt: inſeparabile eſt: cõſequitur ergo quod anima quæ eſt ſpecies corporis, ſit inſeparabilis. Ecce dicit hanc eſſe demõſtrationem: & quod cõſtet ex immediatis propoſitionibus, quia præmiſſæ illæ ſiue proloquia: quod omnia conſtent ex materia, & forma, & quod animal propter animam ſentiat, & quod ſpecies ſiue forma animalis ſit materialis, ſint primæ, & indemõſtrabiles: quãquam (ut uerum fatear) non dicit Alexander animam rationalem eſſe inſeparabilem; ſed quod anima quæ eſt forma corporis, ſeparari non poſſit: quaſi ſentire uelit: binas eſſe in nobis animas: & quod intellectiua ſit immortalis: & non ſit forma corporis. Vide quam frigide philoſophati fuerunt, qui primũ nomen in philoſophis habent: atq; forſitam hæc ſilentio præteriiſſe præſtiterat: ne quis me hæc impia, & erronea deliramẽta potius q̃ nugamẽta plus nimio proſecutum fuiſſe arguat: quod ego libentius facio, quoniam utile eſt hoc ad oſtendendum, quod philoſophia adeo ad ueram pietatem non prodeſt: ut etiam plurimum obſit. Omnino enim de deo, de mundo, de anima, & primis rerũ principiis, & elementis, temere illi ſunt cõmenti: qui ſine uera religione ſoli ſapientiæ ſtuduerunt. illi enim (ut inquit Paulus) cum dicerent ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis. atq; (ut libere fatear: quod ſentio) illa rerum naturaliũ exacta & curioſa indagatio, & cõmentatio, nequaquam nos recta ad deũ ducit, felicitas enim noſtra magis conſiſtit in uolendo: quàm in intelligendo. Nam cum deus ſit naturæ ipſius boni cauſa, & deus & bonum conuertantur: illi ſane longe propius ad deũ accedunt, qui amare: quàm qui illum intelligere procurant: quiq; bonis operibus ipſum æmulari contendunt. Et maius quid eſt eſſe bonum: quàm eſſe philoſophum. Plæriq; qui litteras nunquam attigerunt, ſancte & innoxie uiuunt. Rurſus alii qui philoſophos ſe profitentur, quibuſq; (ut ille ait) breuior ſupercilio coma eſt, inflatis buccis ſpumantia uerba trutinant, ſeq; primos omnium mortalium credunt, & præ faſtu & inſolentia, omnia ſibi licere putant. quia (ut inquit Heraclitus) ſapientia mentem non producit, nec generat. Tandem (ut breuibus colligam) nemo dumtaxat qui mentem ſuam habeat: dubitare poteſt: an anima ſit immortalis, nec hæc noſtra commentatio: qua aliorum errores pandimus: aliorſum tendit: quàm ut cautiores reddat eos, qui criſtas tollunt: deq; ſe omnia temere pollicentur: ne ſapere plus nimio uelint, ſed ad ſobrietatem uſq; ſapiant: aliquã ſe ſcire exiſtiment, non cũcta. Maxima pars

corũ quæ ſcimus:eſt minima eorũ quæ ignoramus. Salomon cum eſſet ſapiẽtiſſimus omniũ qui ante ſe fuerunt mortalium, & ab hyſopo incipiens quæ naſcitur in pariete,uſq; ad cedros libani(ut ſacræ litteræ produnt)parabolas compoſuiſſet:& omnia tam maxima quàm minima mente complecteretur: tamen in uenerẽ minime cõceſſam:& mulierũ libidinẽ dilapſus eſt, ac ſimulachra coluit. quid ergo Salomoni ſapientia profuit?quid etiã Homero, qui cum piſcatorum iuuenum ænygma ſoluendo eſſe non potuiſſet:deſperatione captus interijt? quid item Ariſtoteli quem omnia ſecula decantãt,illa rerum naturalium, & moralium,& cũctorum quæ ſub lunari orbe habẽtur, tã diligentiſſima cognitio, & perſcrutatio cõmodi & emolumenti tulit? qui cum euripi maris qui ſepties in die fluit, refluitq;, naturam inueſtigaret,nec ſatis cauſam aſſequi potuiſſet, quæ tale opus moliretur: tanq; in rabiem quãdam ac animi deſponſionem uerſus,perinde ac ſi aliqua neſcire moleſte ferret: ſe ſaltu in illum cum quadã animi ægrã indignatione præcipitem dedit:mortis rationem prius epigrammate teſtatus.

Quia Ariſtoteles(inquit) non cepit Euripum.

Euripus cepit Ariſtotelem.

Atq; hoc tum alij plurimi teſtantur: tũ & Gregorius Naziãzenus in inuectiua prima contra Iulianum affirmat. Cleombrotus ambraciotes cum legiſſet librum unum Platonis de anima ex ſublimi & alto tecto ſe deiecit,proſiluitq;,ut malis præſentibus liberatus: otyus ad animæ ſuæ immortalitate fruendum pergeret, ſed ſufficere non poſſem: ſi philoſophorum ineptias enumerare pergam. Democritus cum ad philoſophiam ſe contuliſſet:agros inaratos incultoſq; reliquit, unde ouibus potius q̃ hominibus philoſophatus traditur. Ariſtippus cõtra cũ in mare proijci aurum iuſſiſſet, ne ſibi impedimento eſſet ad litteras, nec hominibus,nec cæteris animalibus philoſophatus eſt. Diogenes uitam canis plane exegit in dolio, cũ pera & baculo. Pyrrhon nõ eſſe ſatis exploratũ aiebat:uigilemus ne an dormiamus,dies ſit an nox:utri deſipiant magis ſtolidi an qui ſapientes putantur, ſi quid rogaretur: dicebat ſemper epecho, hoc eſt aſſenſum cohibeo:nihilq; aſſerere unq̃ aut affirmare auſus eſt,quoad mors cunctationem illam ſuam ceſſare fecit. Plotinus ſe hominem natum eſſe erubeſcebat. Empedocles deus immortalis haberi dum cupit:ſe in æthnæ montis ardentes crateras demiſit demens. Epicurus in epiſtola ad amicũ, nõ oportet(inquit)præ ſapientia cæteris hominibus antecellere: nec bello ſeruare Græcos quẽadmodum Themiſtocles & Epaminõdas fecerunt:ſed bibere uinum liberaliter: & ſalubriter. Pythagoras ne fabaceam ſegetem proculcaret,ab Acragantino hoſte captus interijt. Socrates cũ honeſtius è carcere fugere potuiſſet:maluit epotare

cicutam:

cicutā. & iā ſenior fidiculis operā nauauit: lyrāq; pulſare didicit: quod leuitati aſcribi poteſt. Idē inhoneſto puerorum amore tenebatur: & (quod riſu dignum eſt) nullam melius quàm obſtetricandi artem ſe callere dicebat: ſed melius fecit cum dixit: (hoc inquit) ſcio quòd nihil ſcio, & philoſophandi, rerumq; naturalium cauſas inquirendi cura relicta, totum moribus emēdandis ſe tradidit. quin & Pythagoras recte non ſe ſapientem, ſed ſapientiæ ſtudioſum à Leonte tyrāno interrogatus profeſſus eſt. Plato item præclare ſentit: cum inquit. Philoſophia ſi per ætatē quis utatur: res præclara eſt, ſenem autem philoſophari non minus eſt turpe quàm trocho ludere, aut pila, ut enim pueris hæc facere decorum eſt: ſenibus inhoneſtum, ita & de philoſophia ſentire oportet. Huc pertinet etiamnū quod Menedemus non minus uere quàm feſtiue nimis & lepide dixit: eos qui Athenas ſtudiorum gratia proficiſcerentur: imprimis fieri ſapientes, ſequenti anno philoſophos, tertio rhetoras, ultimo tandē poſtea idiotas, perinde acſi minus indies ſaperent: quanto in ſapiētiæ ſtudio plus tēporis inſumpſiſſent. Quo circa inquit Paulus: ſapientia inflat, charitas ædificat. Nulli deterius labuntur, quàm qui uideri cupiunt plus ſapere, quàm oporteat. Deponenda eſt igitur ex animis iſta nonnullorum improba curioſitas, qui omnia ſcire uolunt, atq; etiam diuina myſteria cognoſcere tentant: cum ſint homines, & luteas (ut ille inquit) domos inhabitent. & de animæ immortalitate, de mūdi creatione, deque cæteris diuinis miraculis & operibus ambigunt, deique immēſam poteſtatem ſuo cerebro exiguo circumſcribere nituntur: atq; hos ſane præſtiterat non fuiſſe natos. Vnde quidam magni nominis philoſophus, cū per aliqua dierum ſpatia inſania laboraſſet, ut Ariſtoteles in libro de admirandis in natura reffert: in nihil ſapiendo uitam dixit eſſe dulciſſimam: & nunquàm ſibi melius fuiſſe quàm per delirij tempus aſſeruit. Euclides item cum interrogaretur: quidnam dij agūt: cætera ignoro (inquit) hoc tantum ſcio: quòd odio habent eos: qui talia curioſius rimari cōtendunt. Ergo ut illuc (unde abij) redeam, euidens eſt nimis, & conſpicua, & certo certior de animarū immortalitate credētibus ratio, nam ſi quis deum reuereatur, & timeat, & animo ſecum poſito attentius conſideret: facile animi ſui diuinitatem cernet. ſed hæc tanquàm parerga relinquamus.

FINIS.

GALENI LIBER QVO DISPVTAT, VTRVM SIT ANIMAL, ID quod utero continetur Antonio Lodouico medico interprete.

QVod dubitationem uſq; in diem hodiernam de uniuerſi natura, tam naturalibus, q̃ philoſophis omnibus præbet, hoc ijs qui ab Aſclepiade originẽ traxere, & qui ab ijs ſunt nati, de infante qui in utero gignutur: & conſiſtit, ambiguam cõſiderationẽ facit. Vt enim qui totius naturam inueſtigarunt, nihil certo diffinierũt, utrũ animal mũdus ſit, necne: ad eundem modum artis medicæ conditores, indeffinitũ de cõceptu qui producitur, ſermonẽ tradidere. propterea tanq̃ in re difficili, & difficulter comprehenſibili, quæq; non acceperit iudicantis ſententiam, de hijs quæ in hanc rem ſunt dicturus, cõmunem auditionẽ facere oportet. Nãq; tam ego qui dico cauſam, q̃ uos qui iudices ſedetis, naturam humanam (ut Socrates aiebat) ſortiti ſumus, unde qualiacũq; fuerint, quæ dicẽtur, magis acquieſcere uos decet, q̃ quidpiam ultra modum q̃ conueniat inquirere. Quippe ea quæ ſupra hoc negocium ſunt, dũtaxat primus deus nouit, & qui hunc famulitio comitatu conſequitur, & uirorum qui illi maxime fuerit amicus: ut inquit Plato. audite autem amice, & non inuidioſe potius, aut iniuria, qui hæc talia experiri conſueuiſtis: ita enim tum nos ardentius poſthac in hæc loca procedemus: uos autem immortalem gloriam in omne tempus habebitis: & uirtutis non inuidendũ nomen conſequemini. Sed quoniam de homine qui paruus quidam mũdus eſt: dicturi ſumus, principium à magno dicẽdi faciemus, cuius uelut mutuum quoddam, & particulæ exiſtimus. nam cum huius natura præconſtituta fuerit, facilior nobis omnino humana conſiſtẽtia reddetur: de hoc autem prius quæ nã res ſit mũdus diffiniemus: ſic enim facillime fiet, ut eius ſubſtãtia cõſiſtat nota per diffinitionem quæ totum ſignificat. Verũtamen antea q̃ de ſubſiſtentia eius agamus, ſtatuamus prius quid ſit animal, ut cum diffinitio nobis propoſitum expoſuerit, natura totius ſeminalis conſpicua appareat. Animal igitur eſt ſubſtãtia animata ſenſibilis in genere prædicabilis de omnibus quæ ſub ipſo reponuntur, inquantum autem ſimpliciter tale dicitur, omnia cohercens in ſeipſo continet. poſtq̃ autem differentia ſpecifica ſingulis apponitur: diuerſum genus conſtituitur, quod in ſpecies tanquàm in partes diſtribuitur. Videamus igitur utrũ animal mũdus dici mereatur, & ſi cũ à principio cõſtitutus fuerit, integram rurſus naturã obti-

nuerit. Mũdus igitur eſt cõſtitutio ex cælo, & tellure, & aqua, & aere, quæ mediam inter utrũq; naturã ſortiũtur, & ſpiritũ illũ principem, & primæuũ inſitum habens, qui per omnia penetrat: quẽ philoſophi uel animã, uel unitatem, uel inſectile, uel ignem, uel æquiuoce cũ genere ſpiritũ primũ nũcupant. Hæc igitur omnia, nihil ſane prohibet, ut antea q̃ hæc cõderentur: ꝙ hanc nomẽclaturam haberent, ſed tunc quidẽ confuſa, & indiſtincta erãt. & (ut quidã aiunt) materiæ, ſyluæq; nomen habebãt. Nunc autẽ hoc totũ mundi appellatione inſignitur, eo ꝙ elegãti, & bene ordinata modulatione: & (ut quis dixerit) tanq̃ in rythmo, atq; ornatu quodã, lationis impetu cieatur: hoc nãq; coſmos id eſt mundus apud Græcos ſignificat. Nam ſi qui immobile uniuerſũ cẽſuerũt, eos ego immobiles prorſus, ut nihil à lapidibus differãt, equidẽ reputabo. Ex integris igitur integer, ex perfectis perfectus, ex ſufficiẽtibus ſufficiẽs, ut nihil illi deſit: mũdus cõſtitutus eſt, & fuerat, & erit aĩal quod ex ſeipſo mouetur. Sed tũc quidẽ diſperſam, & facultatẽ rationis totius habẽtem potentiã poßidebat. Poſtq̃ autẽ diſcretus eſt, & à tetra illa caligine proceßit, peculiarem diſtinctãq; ſeminũ uirtutem mõſtrauit. hic quidem tellus apparens, hic autem aqua, illic uero in ignẽ ſimul cũ aere extenſus: ubiq; ſcilicet incrementi ratione per elemẽtorũ naturã: tãq̃ per quoſdã oculos in uniuerſum colluſtrãs, & Solis atq; Lunæ medijs fulgoribus: atq; eorum luciditate; & limpida trãſparẽtia; & ſplendore, omniũ motionũ dux, & princeps factus. Sic enim cõtẽperatus eſt, & cũ ad hũc modũ à principio conſtitutus eßet, & primã naturã ſortiretur, animal primũ, & ſpirabile, & mente præditũ: mũdus hic & tunc erãt: & nunc eße apparet. Quemadmodũ igitur nũq; in tantã audaciã quis proceßerit, ut mundũ animal fuiße neget: quãdo ueluti ad partũ gerebatur: oſtendimus enim ꝙ ex totis totus: & ex abſolutis abſolutus factus eſt, nullo enim modo integer, & undiquaq; abſolutus perficeretur, niſi eßet totus. ad eũ modũ nec quod in uẽtre cõtinetur, ꝙ non ſit aĩal, dicere quiſpiã poßit. perinde ut nec faber ærarius, aut is qui ferro operatur, uel ſtatuarius, aut nauiũ fabricator, uel aliquis ex huiuſcemodi artificibus, perfectũ quid, & abſolutũ ex ſe opus produxiße unq̃ diceretur, ſi aliquid defficiat, ut ſi manu, uel pede ſtatua careat, uel gladio aciẽ præbere artifex omittat, uel nauigio temonẽ nõ apponat. quod autẽ minime deffectuoſum eſt, & omnibus numeris ad integritatẽ cõſtans, cũ nihil defficit, perfectũ merito appellatur: ad eundẽ modũ mũdus, & cõceptus qui in aluo habetur, minime perfectã rationẽ ſuſtinuißent, ni tunc cũ ad eße producebãtur, ſubſtãtiã uniuerſi atq; totius ſuſcepißẽt. Ergo cũ hactenus ꝙ mũdus animal fuerit, & præterea ꝙ nunc etiam eſt, à nobis ſit dictum, ad hominis inſtitutũ qui poſt ipſum ſecundus quidam mundus eſt, ſermonem tranſponamus, atq; illud ante prædiffinia-

tur, ꝙ animal ſit conceptus, quod ex eo comprobatur, ꝙ animalis uſum præſtiterat: quãdo in utero infãs manebat. Vnde tanq̃; ex Delphico tripode Aſclepiadũ decus Hippocrates, de conceptu ita diffiniuit, ut oraculum & uaticinium reddidiſſe, & prædicaſſe uideretur. ipſius namq; primam conſtitutionem, & ueluti uitalitatem, ex totis conſtituit, ut pote qui probe nouerit, non aliter abſolutum produci poſſe: niſi ab abſolutis & integris genitura uitalitatem acciperet. Deriuatur (inquit) genitura à toto corpore, & à ſalubribus quidem ſalubris, ab inſalubribus autem inſalubris. aduertite uiri ab omni (dixit) parte deducitur, & tantum abfuit, ut genituram animal non cenſuerit, ut etiam obiectiones eius qui ad ipſum diceret, mutila nõ eſſe perfecta, diluerit. Nam cum cuperet ne hoc dubitaretur, ꝙ genitura animal ſit, dixit ꝙ qui ſunt ſalubres, & toto habitu corporis minime uitioſo conſtant, genituram ad perfectionem emittunt, qui uero prohibiti fuerint, in hoc impediuntur atq; hæc ſane res nullam dubitationem habet. Nam quo pacto niſi ipſa genitura in generatione ſit, ſalubris fieri poſſit? quod enim in rerum natura exiſtit, nondum tamen factum eſt, ſalubre euadere poteſt. atq; propterea ortum & genitum cõſequitur. Quippe ex ijs quæ liquido non ſunt, quædam nõdum facta fuerunt, partim uero fieri poſſunt, quẽadmodum indeffinitum ſemen hoc ipſum in ſe habet, ꝙ ex eo animal generari poſſit: eſt autem tunc in actu quando ab homine præbeatur. quædam uero nec ſunt, nec fieri poſſunt, nec rationem obtinent, ut ex ijs aliqua fieri queant, ut quod minime in natura exiſtit: hoc enim nec non entis, nec eius quod generandum eſt, rationem ſuſcipit, unde ſi recta ſapias, & cum Hippocrate ſentias, quod in utero cõtinetur, animal eſſe diffinies, cum id quod ipſum ſeminat, ex totis, & totius illi facultatem præbeat. Nec uero id dumtaxat ꝙ animal ſit, ꝙq; à toto corpore demãdetur: ſignificare Hippocrates fuit contentus, ſed etiam in q̄titate demonſtrauit, quòd totius principia ſortitum eſt, & ſimilia ijs poteſt à quibus radicem conſecutũ eſt cum ita ait. Gemini quidẽ uel unico coitu gignuntur, habent autem & ſinus, & clauos uteri. in quo loco nobis aperte cõſiderandum tradidit, quòd hoc quod in uteros ſemẽ coniectũ eſt: facultate animalis naturã ſortiatur. nã cũ multitudine exiguũ ſit, uiribus & poteſtate multũ adeo redditur, & cauſam primordialẽ à qua tanq̃; à principio profluxit: & uitalitatis ſubſtãntiam demõſtrat. Et ſicut illũ qui in ſilicibus ignis continetur: quiq; in calce diſperſus eſt, nullus proterea ignem eſſe negauerit, quòd non perurat: ut pote quod tunc in actum progrediatur, & ignis fiat: cum primũ materiã apprehẽderit, & externã ab uniuerſo inſpirationem acquiſierit. ad eum modũ, quod in muliebres locos ſemen cõiectum eſt, ſi quis illud animal eſſe ſtatuat, uerax utiq; mea ſententia deprehẽdetur. boc enim in potentia quidem animal iã

eſt, fit autem tunc in actu:cũ extra uterum procedens:ſe ipſum cum eo coniunxerit, quod principium præbuit. particula enim & reuulſio quædam mundi eſt: qui quoddam magnũ animal habetur. Verum genitura cum intus in penetralibus manet, & tanꝗ̃ in quibuſdam latibulis deliteſcit, confuſionis rationem tenet, poſtꝗ̃ autem diſcreta eſt, & ab hoc profundo tanꝗ̃ à congerie quadã informi(quã dixere chaos) euaſit, atq; proceſsit extra, ſimilẽ & cõgenerẽ naturam operationis actionibus cõplectitur, ut pote quæ lationibus internis quæ à ſeipſa procedunt, tunc incipiat moueri, & luciferos oculos per totum extendit, ſolis lunæq; naturam imitata, & mentem intellectumue ſtatuit, qui lationi ad ſimile(quæ eſt eiuſdem, uel eius quod eodem modo ſe habet) cõparatur. Quòd igitur abſurde nõnulli non eſſe animal id quod utẽtre geritur, ſunt opinati, ex iamdictis liquidum euadere poteſt. nunc uero quanta & qualia ſint, quæ animal fatiant, oſtẽdemus. Omne animal ab anima, & natura, & alimento, & ſpiritu diſpenſatur. anima ſpiritu nutritur, natura ex cibis tum humidis: tum ſiccis nutricatur, & alimoniam capeſsit. porro omnibus ijs (ut ita quis dixerit) diſpẽſationibus, fœtus qui in utero continetur, uti reſpitietur. tam ijs quæ ad animæ rationem pertinent, ꝗ̃ ijs quæ ad naturæ incrementum fatiunt, deuorat enim(ut Hippocrati placuiſſe ſentio) qui fœtum tũ ore, tum naribus ſpirationem ſuperne facere affirmat. Nonnulli autem ex Aſclepiadũ familia, & ſugere ipſum uteri acetabula, & concoquere arbitrantur, neceſſario enim conſequitur: ut ea quæ ingeſta ſunt, concoquantur, ꝗ̃uis maxime elaboratam à matre alimoniam accipiãt. alimentum autem apponi ſine facultate quæ ipſum ſuſcipiat, nec dum etiam aſsimilatũ iri: ut nutricationem exhibeat: non poſſumus. imaginari, ſed ꝙ fœtus ipſius natura ſimilitudinẽ faciat eius quod nutriturũ eſt, ei quod nutriri oportet, dicere neceſſe eſt, & ꝙ naturæ operà præbeat, & ſuſcipiat alimentũ, & omnino hoc fatiat, ut quod alienum eſt, diſcernatur. ad hunc enim modũ tum bilis utraq;, tum & humores omnes generantur, poſtꝗ̃ alimonia diſcreta eſt. Non autẽ illud arbitrandũ eſt ꝙ eà duntaxat materia, quæ per portas in iecur per umbilicum ex cõceptibus defertur, nutricationem præſtet: alitur enim etiã per has uias, ſed maxime per perfectiores, & alimonia fruitur: per quancũq; partẽ ingeratur. Nec uero cum Hippocrates dixerit. Antiquior autem cibus per abdomen & umbilicum conceptui confertur, ignorauiſſe ipſum arbitreris, ꝙ etiamnum per os ipſum cõceptus alatur, de hac enim uia(ut ſupra dictũ eſt)manifeſte aſſeruit. Euidens autem teſtimonium; ꝙ etiam quoq; in utero & locellis per os fœtus alimentũ accipiat, hoc ipſum aſſumere licet, ꝙ mox ut editus in lucem eſt, impetum connatum ad papillas habeat: qui niſi hac uti uia cõſueuiſſet: nequaꝗ̃ tã celerẽ ad ipſũ lationẽ, & impetũ faceret. Sed enim

poſtq; confectam alimoniam diſcreuit, eam in halitus flatuſue quoſdam tranſmutat, & ſubtiliat: ſpiritalemq; magis reddit, & ſingulis particulis facile apponit, & eam trãſmutationem facit, quæ eſt ex ſemine in humores, & eam quæ eſt ex humoribus in carnes, & uenas, & arterias, & oſſa, & uiſcera, & pinguedinem, & eã qua ex paruo fit multũ, & quod exiguũ eſt, magnũ euadit, cũ ſcilicet auctrix facultas ea cui inaugendi munus eſt datum, uſq; ad proprios limites augmenti ipſum extẽdat, & tanq; terminis quibuſdam circũſcribat. Quód igitur ſit animal, id quod uẽtre geritur, ſufficiẽter (ut arbitror) nobis demonſtratum eſt, ex eo quód naturæ operibus utatur. ꝙ autem tum anima, tum ratione participet, ex iis quæ mox afferemus: conſpicuum reddere conabor. Senſiteria in id dumtaxat omnia natura machinata eſt: ut animales facultates tranſmitteret, per oculos ſcilicet uiſoriã, per aures auditiuam, guſtatiuam autem, & eam quæ odores percipit, per linguam & nares. tactum autem per manus, & reliquum corporis cõtactum. Omnino igitur manifeſtum eſt, ꝙ uacuus locus non relinquatur, ſed in utero infante manente, ſubſtantiam animæ prædicta loca poſſidebunt. Sed & cerebrũ quod illius habitaculum eſt, mox á principio in ipſo alueo capitis conſiſtens, fœtus habere dignoſcitur. conſpicuum itaq; etiam ex iis redditur, ꝙ ſimulac ipſum ſemen in uterum proiectum eſt, una etiã animam ille omnium artifex inſeruit, ut ſimul cum corpore facultatem quæ ipſum regeret: atq; diſpẽſaret obtineret. An forſitam ignorare uidemur ꝙ exteriores artifices aliquorum inſtrumentorum cõſtructionem ad aliquarum operationum functiones moliãtur? ſic igitur carinam qui compingit naues: coagmentat, quæ ſit ueluti crepido quædam, & fundamentum gratia nauis factum, & uallum contra impetum undarum, & murus tutiſſimus, & propugnaculum petrarum ſub imis gurgitibus extantium. ſic & is qui tibias facit, materiam æris longis quibuſdam fiſtulis: & cuniculis excauat, ut immiſſos ore flatus ſuſcipiat. ſic muſicus fidiculas extendit, ut iis congruentibus: ſonores: cantuſq; moduletur. ſic medicus Pæonia pharmaca præparat, quibus aduerſum morborum agmina propugnat. duces item bellorum ante pugnæ conflictum præcepta quædam militibus tradere uidemus; quibus acies probe inſtruatur, ut hoſtium impetus inſultuſq; ruẽtium ſuſtinere poſſit. Quemadmodum igitur qui talia machinantur, alicuius rei gratia talẽ apparatum moliuntur: ad eum modum natura unamquamq; particularum, quæ in nobis eſt, conformat tanq; quæ futura ſit alicuius inſtrumentum. Sic etiam neruorum natura in quibus animæ domiciliũ eſt, cũ una ſimul cũ ſpiritu congerminet, & una concreſcat, hoc ipſum (inq;) maximã fidẽ reddit, ꝙ ſimul ꝙ corpus cõſtitutũ eſt: & in rerũ natura cõſtat, anima etiã cõſiſtat: nãq; & ſi nõdũ uideat, uel lingua ſapores

percipiat, nec aures uoces comprehendant, & eorum quæ ſunt calida, uel frigida, uel humida, uel ſicca, inſenſilis tactus eſſe reperiatur, & ſēſus in fœtu(quo ad actū inq;)otientur, hæc ipſa tamen deliteſcere, & incubare intus in conceptu ſupponuntur, & paulopoſt edito partu: hæc eadem operari poſſunt. Quidquod audacter ego quidem ſane cōtenderem, ꝙ hæc ipſa quies, & feriatio fœtus: etiam ſit operatio. Nam ꝙ dum adhuc in locellis puerulus manet: genis conuiueat, & naſum contractum habeat, & auribus minime ſonos ſuſcipiat: hoc ipſum certe imperantis animæ opus & munus eſt. Iam uero linguam ſaporū dignotione in conceptibus qui adhuc aluo geruntur, non eſſe præditam, nunq̃(opinor)quis dicere ſuſtinebit. nam quód ſapores eorumq; qualitates apprehendat: quopiam affectu circa cōceptum ſuborto, ſæpius adeo fit manifeſtum, ut res ipſa oculis pateat. Compertum quippe & exploratum habemus, quód ſæpicule in uteris infantuli immortui fuerint propter uitium per os ingeſtorum ciborum, adeo ut á tali alimonia cane peius & angue faceſſerent, & auerterentur: quia ſcilicet ut puer permaneret, natura guſtatricis facultatis interuentu quæ in lingua eſt, ciborum malitiam abominaretur. Iam uero cum reſpirationem(quod ſane animæ eſt opus)conceptus præbere uideantur(per oris namq; hiatum ut mox paulo ante diximus: conceptus reſpirant)ex hoc utiq; euidens rudimentum ſumi poteſt, ꝙ cum ſemine anima ſimul cum natura conſita ſit, animale namq; munus: non autem uegetatiuum ſiue naturale, quale plantis ineſt, reſpirationem eſſe medicorum filij diffinierunt. Puerile quippe & pene flagitioſum eſt, magnū eſſe argumētum & inditium opinari, ꝙ non ſit ipſa animæ munium:, ſi quis dicat, ꝙ dormiens: q̄uis nō præeligat reſpiret, quālibet ab electione reſpiratio procedere dicatur. Nā ueluti cum animal uigilat, fūctiones omnes & munia anima obire dignoſcitur, uidet enim, & audit, & per reliquos ſenſus ſenſibiliū rerū dignotionem perficit, & mouetur, & hæc omnia per ſenſationem apprehēdit, & omne negotium molimēq; ſubit, extendens ſeipſam in radiorum modum, & inferens inſtrumentis: quorum officio functionibus quæ ſunt uſui, ſubminiſtrat. ad eum modum noctu cum ſit quodāmodo contracta, &(ut ita dixerim)in cumulum collecta, nec á uiſibilibus obiectis moleſtetur, nec ab audibilibus cōturbetur, nec á guſtabilibus diſcernatur, nec ab odoribus ſubuertatur, nec ab ijs quæ ſub tactum cadunt alteretur, nec curſibus, uel deambulationibus, uel alijs exercitijs ad laborem uſq; agitetur, nec in aliquibus horum conſtituta ſit: reſpirationis ſubinde munus operatur. An forſitam naturam quidem uolentem, & nihil paſſam: nec laceſſitam, quæ facere oporteat, obire ſatis perſuaſum habemus: animā uero quæ diuiniorē ſortem particulāue ſortita eſt, ſuapte ſponte proprijs functionum muneribus incumbere non credimus?

At qui mortalis & terrena res natura eſt, & rationis expers, nec mentem habet, ſed ſolum mortalem circuitum nouit, & corruptibilem actionem ſuſcepit. anima uero cum ſit uniuerſalis animæ defluxio quædam: & cæleſtis tripudij: ſcientiam apprehẽdit, & ſemper uiã quæ ad id quod ſibi ſimile eſt, inambulans: tellurẽ ſuperat, errorem in aquis refugit, & aeris ſupra regionem ſcandit, & igne multo ſuperior euadit, & cæleſtem diuinitatẽ conſequitur, & per hũc ſupracæleſtem locum contemplatur, & cunctarum rerum domino coaſtat, & ſuperiorum ſpeculatrix fit, multotieſq; ipſis congeneribus naturis adeſt, & q̃uis in corpore mortali agat, unde & á quo proceſſerit, nihil minus nouit, quódq; deus omnium pater omnibus interſit, ijs ipſis oculis utens: in quibus ipſam collocauit, dignoſcit. Nequaq̃ igitur in tantam impudentiam deueniant aliqui, ut dicant ignorante anima reſpirationis munus perfici: cum ſomno corpus grauatur, ſuffitientior namq; ad omnia munia obeunda anima q̃ ipſa natura eſt, & multo utiq; potentior, & efficatior. Vel quæ tanta eſt eorũ uirorum ſapientia, ut naturã quidem conſimili modo in uigilantibus, & dormientibus operari poſſe cõfiteantur (cõcoquit enim, & diſtribuit, digeritq; alimoniam per corpus, & diſcernit, & apponit, & auget in utroq; tempore) ſolam autem animam, uigilant dum ſenſus: quæ corpori expediunt, facere poſſe concedant: dum autem ſomno ſopiuntur artus: ſimilia perficere non poſſe pernegent? Quamuis igitur ſuffitienter abundeq; ſit demonſtratum, animal eſſe id quod uentre cõtinetur: putidum tamen & temerarium eſt, non etiam ex ijs quæ extrinſecus apparẽt, prædictis maiorem fidem adhibere. Mures itaq;, & uermes ueluti in utero cum in ſylua cernimus, quo tempore gignuntur: animalia nominare conſueuimus omnes, corporis ſpiras & incoactos adhuc potius q̃ perfectos artus ſinuoſo flexu trahere, repereq; conſpitientes, quia facultas quæ ipſorum prouidẽtiam gerit, ipſis (ut arbitror) præſideat, in tantum autem eruditionis gradum proceſſimus: ut in fœtibus qui in utero animantur: etiamnum de præſidente illis facultate ambigamus, nobiſcumq; dubitemus: utrum ne palam animal, quod in utero geritur, nominare oporteat: an ſecus: præſertim præcinẽte Hippocrate, & tantum non eximia quadam tuba, & ſonoro ſuæ uocis claſſico hunc in modum admonente. Quæ non ſunt animalia, ex animalibus uiuificantur. omnium naturæ indoctæ, ut ſimul q̃ conſiſtunt: animalia eſſe intelligeremus. Illud autem naturæ omnium indoctæ tanq̃ ex oraculo quodam uaticinatus eſt, quod tum inexpugnabile, tum omni cõtentione maius eſt, ut ſi quis uel modo uel ſermone aliquo animationis cauſam expoſceret: ad naturam quæ omnia non docta ab aliquo producit: referretur. Omnino quód naturas dixit ſuffitientiſſimum prorſus eſt, ad circumſcribendas incredulorũ mentes: & quorumcumq; aliorum qui

conceptus qui in utero portantur, animalia eſſe negant. nam ſi natura ſingulis ut ſint perfectiones, fineſq; contribuit, dederit utiq; & fœtui qui geſtatur, talem perfectionem, qua animal ſit. Quo pacto autẽ putidum, & ingentis ſocordiæ argumentum non eſt, ſi quis cum animam ſimul & corpus animal eſſe confiteatur, hoc tamen appellare nomine non audeat? hoc enim ſimile perinde eſt, nec minus ridiculum, q̃ ſi cum ignis comburere habeat, qua re maxime ignis in ſpetie cõſtituitur, opus id quidem ꝙ ſcilicet comburat, quis fateri non dedignetur, nomen autem quo appellandũ eſt, nequaq̃ dicere ſuſtineat. rurſus ſi cum aeris caligo à ſole colluminatur, ꝙ hoc quidem ita fiat confiteatur, diem autem hanc rem nuncupatum iri minime concedat. aut etiam ſi quis id ipſum quod ex liquidis, & ſolidis coniunctum, & aggregatum eſt, nutrire utiq; diceret, alimoniam autem haud quaq̃ dicendam eſſe contenderet. aut ſi id quod ſecat: ferrum uel æs appellet, gladij autem enſiſue nomen refugiat, nec quod ſecare poteſt, ſectoriũ eſſe, dici ue admittat. Verum nullus (opinor) fuerit, tam monſtroſa ſapientia natus, qui aeris caliginem Solis fulgentibus radijs diſcuti conſpicatus, diem hoc opus non dixerit, uel qui quod ignis uſum exhibere reſpiciat, ignem non eſſe dicat appellandum, uel cum ſecantis operationem fuerit contemplatus, gladium eſſe huius rei nomen ſecum dubitet, nec qui ſemen cum animatur, perceperit, hanc illi appellationem inuideat. Quòd igitur & anima & natura conceptus ſit præditus, & utriuſq; muneribus participet, & quo pacto animal dici mereatur, abunde à nobis (ni fallor) eſt demonſtratũ: quod reliquũ eſt, animal adhuc id eſſe dicẽdum: quod etiam num in penetralibus & cauernis uteri firmiter adhæret: oſtendemus. Quòd ſi quis à nobis naturæ ratiocinationes requirat, hic dumtaxat hoc didiciſſe ſit contentus, ꝙ natura per ſe ipſam à nullo edocta, nulliuſq; doctrinam conſecuta, omnia ſponte ſuapte conficiat: nec enim quo pacto in plantis uermiculi naſcantur, uel ad quẽmodum ex equis & bobus, ueſpæ, aut apes oriũtur, facile quiſpiam noſtrum dicere, uel referre poſſit rogatus: ſed enim hoc omnia à natura ſimpliciter fiunt, nec enim uolucres quiſpiam uolare docuit, nec nos uel intelligere, uel uidere, uel audire didicimus. & q̃uis operum naturæ ſimus expertes, aues tamen uolatu ſecãtes aera conſpicimus: & nos ipſos ſine diſciplina intelligere, & uidere cognoſcimus: abſtruſa enim, & ſecreta, & multum noſtra intelligentia profundior naturæ quam per ſe ipſam facit, operatio eſt. Non igitur eam quæ fit in fœtubus ad uitam productionem: animationem eſſe diffidamus. nam nec ipſi conceptus ab aliquo poſtq̃ in lucem ſunt editi: aliquod propriorum munerum didicerunt. ſed adhuc cum intra uteros habentur: deuorant, & concoquunt, & alimentum diſtributũ diſcernunt, & poſtq̃ expurgatum eſt, particulis apponunt, & ſuperflua excrementa

effutiunt,ut cum in lucem proceſſerint:quas ſuperfluitates congeſſerũt, excernant, ſiquidem excrementum illud quod meconium Græci nominant, ſuperfluum eſt quod à tota alimonia,qua conceptus intus alitur, diſcernitur. & humor ille qui in urinario meatu,qui ad umbilicum eſt,continetur,etiam ſuperfluitas eſt. Quippe tũ uẽter,tum inteſtina(ut ſenior ſcribit auctor)per oris inſpirationem inflantur: & in tumorem attolluntur, & uia quædam ad podicem (cyſaròn Græci uocant) conſtituitur,nempe pedetentim & pauliſper alui excrementa in anum deducuntur: nihil enim aliud per cyſaròn id eſt podicem, quàm id quod archòn, hoc eſt anum Græci uocãt,intellexit. Nullus autẽ quia ea mẽbrana,(quã agnòn ab agnina mollitie uocant) ſit interpoſita,ex eo confici,& adduxiſſe nos arbitretur,ut dicamus, quòd fœtus per oris rictũ nutriri non poſſit.talis ſiquidẽ natura eſt:ut etiã per meatus eos:quibus id membranum pertuſum eſt,alimenti copiam ſufficere, & exhibere poſſit,& uiam inuenire queat, quæ ad decentiam ſufficiens ſit ſatis. Democritus igitur hominem ex homine, & canem ex cane, & bouem ex boue productũ iri aſſeuerat,uir cum cæleſtis inſpectionis mirifica eruditione præditus, tum uero naturã quæ in nobis eſt,præ cæteris philoſophis exacte cõtemplatus, hic igitur non poſſe non deſipiſcere eos inquit,qui non eſſe animal,quod in utero materno latitat,aſſeuerant,cum conceptum totum ex toto cõſtituerit:qui illud fuerit operatus,nec enim hominis rationẽ, quod gigneretur habuiſſet,niſi omnes in ſeipſo perfectionis rationes & abſolutas coherceret, taliaq́; facere debuiſſet,qualia hæc ſũt à quibus genitura ſeminata eſt.nam ſicuti ſemina coniecta quæ uel quanto,uel quãtitate deffecerũt, loca ſortiuntur,& quæ ex ipſis procreantur,uel in totius membratura, hoc eſt ſingularũ particularũ conſtitutione peccant, uel non omnibus artubus abſoluta edun tur,uel figuras aliorum animaliũ habentia generantur, ad eum modum quæcũq́; ſemina diſcreta & perfecta exiſtunt,rationem animalium perfectorum cõſequuntur. Nam ſi quid deffecit,impedimẽtum totius naturæ, & mutilationem ad munia agenda facit, & mancos,defectoſq́; conceptus edit. quod autem minime impeditum eſt, animalia utiq́; ex ſemine conſtituit. Faceſſant igitur philoſophi, ut qui ſuperiorum rerum non ſint myſterijs initiati, nullius medicorũ qui ab Aſclepiade nomen traxere,ratio habeatur,ut qui naturæ rerum cõtemplationem, ne per ſomnium quidem inſpexerint,cum à natura humana cõceptus abdicare, & tanq́; peregrinos in exiliũ mittere ſuis diſputationibus contendunt. ſed ipſi potius multo ante ſecum recogitent,uel à ſenioribus diſcant, uel à parentibus in memoriam reducantur, q́; & ipſi fuerint olim embrya,id eſt conceptus, fœtuſue.q́;q́; priuſq́; à uulua in lucem prodirent extra,perfecte prius in utero conformati, & effigiem membrorum abſolutam

ſortiti ſunt, quódq; ex genitura radicem ut eſſent ipſi acceperunt, ut dementiæ idcirco naturam condemnare, & temeritatis eam arguere non oporteat. Profecto enim nihil aliud hoc eſt, q̃ facile de naturæ reſponſis & oraculis ſententiam ferre, ſi qui dicant, q ea animalia quæ ipſa ex tellure affabre operetur, animalia ſint, & q omnia habeant, quæ reliqua eiuſdem generis quæ in abditis matricibus generantur, quibus natura generationis cauſam præbuerit, eos autem qui in utero nutriti & educati ſunt, animalia eſſe negent, & diffiteantur. An forſitam ex triticeis quidem granis, triticea grana producẽtur, & ex alijs ſeminibus ſimilia prodibũt, & ex plãtis plantæ naſcentur, quæ eandem cum ijs quæ iam ſunt nata: naturam ſuſceperint, homo autem animal reliquis diuinius, & cunctis melius, & deo ſecũdum potentiam ſimile, quod tantum infortunium eſt, ut non eandem diuinitatem cum ſeminantibus ſortiatur? Sed cum hactenus in hunc locum ſermonẽ deduxerim, ex legibus iam, & accidentibus animatos eſſe conceptus: notum & apertum faciemus, quæ cum uiuendi cauſam in naturam acceptam refferant, hoc ipſum ut bene uiuatur, nobis ſuppeditant, cum tranſgreſſoribus debitas pœnas proponunt: eoſq; legum metu deterrent, hoc enim & nihil aliud leges meditãtur, quàm ut mala fieri ſubinde prohibeant, bona autem quæ uel iam adſunt, uel futura ſperantur, conſeruent, uel ex quibus maxime rebus parari poſſint, inueniant. atq; hæc ijs quibus leges condendi facultas eſt, maxime ſunt propoſita. Duobus igitur legum decrætis maximam uim habentibus animales eſſe conceptus comprobabimus. unũ decretum eſt, q punitionem, & uindictam in eos proſpexerit, qui aborſum fieri feciſſent, alterum ſecundùm legis ſigna tum eſt, quo cauetur, ut ij qui nõdum ſunt nati hæreditatem ſuſcipere, & adire poſſint, hoc ipſum namq; legum conditores exactius quàm cæteri mortales nouerunt, ut qui deorum opera in hoc fuerint emulati. deorum enim leges condere primum fuit inuentum, ſi quidem ille cunctorum qui eſt pater inter diuos: omnia lege diſpenſauit: illius etenim mundus imperijs cietur, & errones ſinguli proprios orbes, in ſtato & dimenſo tẽpore cõficiunt. quin & Sol & Luna cõſtitutos ſibi curſus, atq; diffinitos peragunt. ad hæc tellus alma opificis mandatis radices egit, & fundata eſt, fuſa eſt aqua, aer explicatus eſt, & ignis in ſublime ſcandit, & unũquodq; propriũ munus diligenter obſeruat, metuens (opinor) ne propriam, & ſibi poſitam legem tranſgrediatur. Sed & Cretenſibus Iuppiter, Lacedæmonijs Pythius Apollo, Athenienſibus Pallas, legũ iura tradiderũt, quorũ diſcipuli Lycurgus, & Solõ, cõſtanter nobis per ea duo capita (quæ mox ante retuli) fœtuũ ut minime foret dubitabilis, ſuppoſitionem tractauerũt. quippe qui niſi animalia fœtus eſſe putaſſent, nequaq̃ gentiũ eos qui aborſus auctores extitiſſent, manifeſtis ſupplitijs poſitis pu-

niuiſſent, ſed quoniam conceptus animalia eſſe, perſuaſum nimis habuerunt, conſequenter uindictam induxerunt, & ſeuere & grauiter adnimaduerterunt in eos qui aborſum prouocaſſent. Quis enim tam demens, & cerebri expers eſt, ut hominem perfectum, quiq; in confeſſo eſt homo: pro eo qui in utero eſt non homo: ad iudicem defferat: illiq; litem moueat: diemq; dicat: pro eo qui à principio animatus non eſt? Vel quis hæreditatem in conceptum deleget: quem hominem eſſe neſciat? Quo pacto O homo illum qui uentre cõtinetur: hæredem inſtituis moriturus: illiq; rerũ tuarum curam demandas: ſi illum animal non appellas? Quis eo uti ſucceſſore ſuſtineat: quẽ nondum ſi ſit: habet exploratum? Quis eum de quo dubitatur: dominum dixerit? profecto neminem tam portentoſa ſapientia, qui hæc dixerit: præditũ eſſe arbitror: Nondum Pericles Olimpius in lucem prodierat, & omnibus Græcis propter inſomniũ timendus erat. Non adhuc natus erat Piſiſtratus: & tyramnus iam erat. Non etiam dũ Olympias Alexandrũ pepererat, & cuncti Ammonis illum iam Iouis filium nuncupabant. Cipſelus cum adhuc in utero animaretur: regno imperabat: quãuis hæc Bacchiadæ non comprobarent: ſpectro illos perterrefaciente, Hecuba etiam Alexandrũ timuiſſe prius, quàm peperiſſe dictitatur, cum generoſius uiſum ipſam in ſtuporem ageret: ſed & cuncti quoq; Troiani ex eo homine qui nondum erat procreatus: futuras ſibi ipſis calamitates augurati ſunt. Alcmene præterea Herculem natum habitura: in metum & terriculum coniecit eos: qui contra pugnaturi ueniebant: & ut hoſtes minime auderent, eo dumtaxat ꝙ filium in uentre haberet: perfecerat. Tantum igitur abeſt: ut fœtus animalia non eſſe dicantur: quantum non ſolum ut animalia, ſed etiam natura humana ipſa ſunt robuſtiora, quamuis adhuc in uteris radicentur. Sed iam ad ipſos mihi conceptus ſermo conuertatur: ut qui ad perfectam & abſolutam uitalitatem quæ homini debetur: ſint conformati. Procedite mihi ex penetralibus: nec quidquam timueritis: nec generis diuiſionem, nec chariſſimorum diſſugium, nec facultatum detractionem, nil uobis multorum calumniatio, & eorum qui in ipſam naturam iniurij ſunt, aſtutia, & ueteratoria malitia præſcribit, quorũ uos ſane ultores utiq; conſiſtetis, ut Pericles, ut Piſiſtratus, ut Paris, ut Alexander Macedo, & ut Hercules.

FINIS.

ANNOTATIONES ALIQVOT ANTONII LODOVICI IN NONNVLlos aphoriſmos Hippocratis.

PRimi quartæ particulæ aphoriſmi ſententiã nec interpretes recte meo iudicio expoſuerũt, nec hactenus quiſq; cõmode (ut arbitror) expoſuit, in quo uetuſtiſſimus auctor de grauidarum purgatione peragit, qui ad hunc modum communiter, & uulgariter legitur. Grauidas ſi cõuenit purgare, à quarto menſe & uſq; ad ſeptimũ, ſed has minus: iuniora autem, & ſeniora uereri oportet. Quo loco cum particulam illam, ſed has minus, Galenus intactam omiſerit, & repugnare Hippocratis dicto uideatur, ego diligentius perpendendam opinor, mendoſeq; uulgo trãſtuliſſe interpretem mihi perſuadeo, ſed ſic lectitari debere cenſeo, minus uero quæ ſunt præter has (quod etiã in Græca ſcriptura cõtinetur) ut ſit ſẽſus eas quæ utero gerũt: inter quartũ & ſeptimum menſem ſi uſus requirat, purgãdas eſſe, quin & ſi parum à quarto defficiant, uel ſeptimum nonnihil excedant, has quoq; purgatione medicari, ſed minus ꝙ prædictas cõueniat, quæ ſcilicet tempus ab Hippocrate diffinitum in partu portando peragunt. at uero ſi grandior ſit receſſus, & diſtantia ab illis, quæ quarto iam mẽſe, uel ſeptimo uterũ geſtant, has nullatenus tentari pharmacis oportere, ita ut Hippocrates manifeſtiſſime diſtingat, quibuſnam in utero habentibus medicamenta dare conueniat: & quæ nam tentandæ non ſint. Nam primo illarum meminit, quæ menſibus intermedijs conceptum ferunt, quas purgare nihil uereri monet. Deinde illarũ quæ modicũ quid ab ab illis relinquuntur, quas tanto minus purgare conuenit, quanto à quadrimeſtribus illis atq; ſeptimeſtribus receſſerint. Poſtremo quæ magno interuallo ab illis abſunt, ut ſcilicet eas quæ nuper conceperunt, aut omnino mox non multo poſt ſunt pariturę, nullo pacto attingendas eſſe admonet, ne fœtum præcipitemus. Qui uero minus uero has legunt, nec ueritati Græcæ conſentiunt, nec ſatis recte exponunt. quum Hyppocrates audacter prægnantes quas purgare conuenit, aggrediatur, ut etiam uult ratio, non minus ꝙ neceſſum ſit, eas debere purgari, cum firmiſſime conceptus uteri acetabulis colligentur, ut nullus ſit metus, ne fœtus abortu eijciatur. atq; huic noſtræ ſententiæ etiam quæ ſequuntur ſuffragantur. nam ita ſcribit poſt ea quæ diximus. Paruula autem atq; ſeniora cauere decet, nam nipia (quæ uox Græce habetur) nihil aliud hoc loco ſignificat, ꝙ eas quæ nuper cõceperunt, nec uox comparatiua eſt, ut iuniora interpres conuerte-

rit, ſed poſitiua, ita ut apud Hippocratẽ eas ſignificet, quæ non diu eſt q; ſemẽ utero exceperunt, ut iam conceptus ſit cõformatus, ſicut preſbytera ab Hippocrate illæ dicuntur, quæcunq; grandiuſculos atq; permaturos retinent conceptus, ut quacũq; leui de cauſa aborſum faciant, ſi prouocentur, cum maiuſculus ſit intro conceptus, qui pedibus recalcitret, & ad egreſſum impellat. Non recte igitur iuniora conuertit, cum infantulas, hoc eſt eas quæ nuper delibatæ genituram hauſerunt, transtuliſſe oporteret.

GRaudis item error paſſim committitur in eo aphoriſmo Hippocratis exponendo, ubi ſenior auctor aſſeuerat, eos qui purgantur, omnino ſitim incurrere, in quo iuxta Græcam ueritatem ita inquit. Quicunq; in pharmaci potionibus: dum purgãtur, non ſitiunt, non quieſcunt, donec ſitiant, quod ea de cauſa accidere inquit Galenus, quia ſitis triplici de cauſa proueniat, aut ſcilicet medicamẽti ratione quod exhibitũ fuit, quæ omnia ut plurimũ calefactoria poteſtate pollent, aut propter humorẽ qui purgationibus deijciatur, qui ſi calens ſit, ſitim commoueat, aut propter temperaturam laborantis calidiorem, qui tales ſiticuloſi magis eſſe cõſueuerunt. atq; ita hanc ob cauſam eos quibus medicamẽtum oblatum fuit, omnino ſitituros eſſe, quoniã uel humor feruens: qualis eſt utraq; bilis, aut acris, & mordax, ſitimq; inducens excernatur, aut quia natura ægri calentior ſit, & præcipue uentriculi oſculũ feruidius ſuapte natura obtineat, aut quoniã medicamen quod ſitim ſua ſponte cõmittit: ingeſſerũt, qualia ferme ſunt omnia, quæ bilem aut flauam, aut atram per purgationes ſubducũt, aut deniq; quia licet natura ſit frigidior, is qui morbo præmitur, aut frigidus pituitoſuſq; ſit humor deijciẽdus, qui nunq̃ ſiti ægrum urgeret, ſitis tamen producitur, tum propter inanitionem quæ procedẽte purgatione fit: propter quam humido ſubtili oris ſtomachi abſumpto, ſitis conſequatur. tum quia & ſi medicamenta quæ pituitam depurgãt, minus acria & feruida ſint, q̃ quæ biles euacuant: aliquid tamen acritudinis obtineant. Noſtri uero cum Hippocrates narret ſymptoma ſeu accidens, quod ijs qui purgantur adueniat, perinde ac decretum accipiunt, & quod plurimum hominibus illis accidebat, qui nõ niſi helleboro, elaterio, eſula, pityuſaue, aut agreſti cucumere, aut tithymallis purgabantur, quæ omnia acris ſunt, & excalfactoriæ naturæ, etiam in omnibus utcunq; purgatis euenire arbitrantur. Sed quid ſi caſiam, ſi roſarum ſuccum, ſi medicinas frigidas & humidas molliter aluum ſubducẽtes exhibuerint, an ſiti cruciari ægros ſpectabunt? Vnde ille paſſim apud medicos uſus uſurpatur, plectendus potius q̃ probandus, qui indifferenter omnibus quos expurgarunt, cibos interdicunt, quoad ſiti urgeãtur, perinde ac ſi nunq̃ futura ſit cõpleta purgatio niſi præ ſiti lin-

guam canis modo exertam oſtendant ægrotantes, & tanq; legem obſeruant, quod melius eſſet ſi nunq; contingeret, cum ſit res præter naturam. Deniq; non quieſcant ut ipſi legunt, Græce ſed quieſcunt ſcribitur. ita ut magis enarret, quæ accidere paſſim cernebat, q̃ quid facto ſit opus admoneat, aut ſitim adhibendam conſulat. Noſtri in hoc non minus q̃ in alijs grauiſſime peccant, qui diũ ſitire ægros cogunt, atq; moliuntur: uires illis diſſoluunt.

EXPOSITIO ANTONII LODOVICI IN APHORISMVM

decimumſextum primæ ſectionis apud Hippocratem.

VIctus humidus omnibus febricitantibus confert: maxime uero pueris, & alijs qui tali uictu uti conſueuerunt. Hic aphoriſmus continet tres partes. Prima eſt ꝙ humidus hic uictus omnibus qui febri tenentur, ſit aptus. Secunda ꝙ etiam num tales humidæ diætæ pueris & infantibus conuentant. Tertia ꝙ quibuſcunq; qui aſſueti tali uictu ſunt uſi, humidam rationem uictus inſtituere decet. Quod igitur primo loco ait: manifeſtam rationem continet, cum enim (ut Galenus tertio artis medicinalis ſcribit) curatio unam propriam & communiſſimam habeat intentionem, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium, dicente Hippocrate morbos quicũq; ex repletione fiunt, euacuatione curari, & qui ex uacuitate proueniunt, plenitudine ſanari, & omnes deniq; morbos ſuis contrarijs expelli, ideo cum febris ægritudo calida ſit & ſicca, eſt enim cõuerſio naturalis caloris ad igneũ, ut in libro de morbis uulgaribus, & primo de uictu acutorum Galenus ſæpiſſime monet: illi inq̃tum talis eſt, uictus humidus & frigidus debebitur. Quòd ſi in aqua intercute cui febris adiungitur, curatio ſiccioribus diætis perficiatur, illud non obſtat, quominus ſermo Hippocratis uerus exiſtat, id enim non ratione febris, ſed ratione affectus complicati, qui curã ad ſe trahit, cõtingit. Vnaquæq; enim ſimplex ægritudo, ſimplici eget medela, ſi uero ad inuicem affectus complicentur, ad id quod magis urget: mens noſtra conuertitur, ſicut in morbo laterali in quo ſanguis ex empymate expuitur, cũ contrariæ indicationes copulentur, fieri ſolet. Illud uero annotaſſe non oberit, non eſſe ſcilicet de ratione febris, ut uictus humidus ei exhibeatur, febris enim in ſua eſſentia non eſt niſi in genere caloris præter naturã, & morbus ſimplex, indicatione tamẽ ſumpta

à ſymptomate quod ut plurimum febrientes comitatur,(nam calor ſupra modum inauctus reddit corpus ſiccius ꝗ oportet)ideo nos ex Hippocratis ſententia humidos uictus frigidoſq; illis qui febri tenētur, exhibemus. utilis præterea pueris uictus humidus. nam ut Galenus octauo de morbis curandis ait, quod ſecundum naturam eſt, ſimilia poſtulat, ſiquidē quod naturale eſt, cuſtodire, quod uero præternaturā: tollere ſtudemus, & tertio artis medicæ inquit calidiora calidioribus, ſicciora ſiccioribus præſidijs medicāda ſunt. ideo cū puerorum tēperatura humidiſſima ſit, atq; ea humiditas non ſit eis morbida, & excrementoſa, ut ſenibus propter imbecillitatē concoctionis, ſed naturalis, merito illis uictus humidus utillimus cenſetur. Quæ enim corpora ſecundum naturam ſe habent, ijs ſeruari cuſtodiriq; ſuum habitum decet, quæ uero morbo aliquo premūtur, hijs cōtra alterari & ad cōtrariam diſpoſitionē trahi, perutile eſt. Vnde & natura ipſa, quæ cōſultiſſime operatur, lac maternum in humentis alimenti uſum pueris præparauit, nec uero id ſolum effecit, ſed & facultates quaſdam naturales quibus eo utantur, ab initio protinus contulit, quando ſi nuper natis papilla in os inſeratur, mox lac ipſum deglutiunt, & ꝗ promptiſſime ſugunt, nec enim(ut pulchre Galenus ſecundo de ſymptomatū cauſis) didicit ullum animal, aut nauſeare, aut uomere, aut tuſſire, aut alimentum ſibi accommodum requirere. utilis ergo pueris uictus humidus. ad hæc autem non minus ijs qui humidis cibis uſi fuerunt. Conſuetudo enim in naturam tranſire aſſolet. unde probe dixerunt antiqui(inquit ſecundo de temperaturis Galenus) qui conſuetudinem naturam acquiſitam nuncuparunt. & Hippocrates tum in primo regiminis accutorum, tū in ſecunda ſectione aphoriſmorū multū conſuetudinem cōmendauit, cum ait. Qui conſueti ſunt ſolitos labores ferre ꝗuis imbecilles & ſenes ſint, iuuenibus & ualidis facilius ferunt, & rurſus. Quæ longo tēpore conſueta ſunt, & ſi deteriora ſint, minus infeſtare ſcribit, ꝗ illa, & ſi meliora, quibus nūꝗ quis fuerit uſus. Sed dubitāt quidam an ſi detur æger qui per ſanitatem pluribus cibis conſueuit uti, is etiam dum ægrotat, pluribus epulis alendus ſit, ꝗ ſi nunꝗ ſic conſueuiſſet. atq; hoc pacto quæſtioni ſatisfeciſſe ſe putat. ait namque ꝙ ſi optime ſanus concoquebat, quæcumq; in uentriculum ingeſſerat, huic etiam ægro alimenta augenda eſſe. ſin autem is qui in gluuici & crapulæ indulſit, epulas non ſuperabat, nec uincebat, ſed eis lædebatur, huic ſubtrahi nutrimentum oportere, cum plenitudinem cumularit, quā detrahi operæprecium ſit. Crediderim tamen ſi cum Galeno ſentiamus, aliter nobis eſſe dicendum. Is namq; putat ꝙ quoquo pacto conſuetis plurimis cibis uti: etiā dum decubuerunt, augere & addere alimoniam expediat. In calce itaq; libri primi de uictu acutorum duos comparat, alterum qui molliter ſit educatus, & imbecillum habeat uen-

*triculi oſtiũ, & plurimas dapes deuorarit, alterum qui aridam & muſculoſam cor
poris ſuperficiem obtineat, & paucis alimentis fuerit conſuetus, atque ſcribit borũ
utroque pleuritide detento, utrumq; facile mortem ſubiturum, ſi primus fame cober-
ceatur, ſecundo cibaria aſſignentur. Operæprecium namq; exiſtimat, ut uẽtriculus
eius qui ſepius cibos aſſumere ſolitus erat, alimento quod facile concoquatur, robo
retur, atque uigorem accipiat, cum alterum cibis ſuffocare nil ſit opus, qui tenuem ui
ctum non ægre tulerit, & uacare coctioni ægritudinis magis expediat, cui nunquã
niſi uires labantur, alimẽta, ſed potius cibi ſubtractio ſunt in uſu. Nam materia quæ
morbum committit, & uires contrarias indicationes ſecundum plurimum obtinẽt.
Nam uirtus alimentum non ſolum poſtulat, ſed flagitat, materia autem indicat de
ſui euacuatione, ciboſque uult negari, quibus intenta natura coquendis, minus morbi
digeſtionem perficiat. Vnde quidam Hippocrate auctore ſexta ſectione aphoriſmo
rum, qui ita ait. Cibus quem accipiunt ægrotantes, ſanis eſt uirtus, ægris uero
morbus: firmiter contendunt, ꝙ quæcunque cibatio in febribus aliquid includit erro-
ris. Sed circa ea quæ diximus uidetur id conſideratione dignum: & penſiculatione
ampliori egere. Nempe cum Ariſtoteles topicorum quarto aſſerat, febri & epi-
phoræ oculorum nihil eſſe contrarium, quo modo ergo quis probe dixerit febrem cõ
trarijs curari: aut quid nam reſpondendum eſt? ad quod facilis ſolutio dari poteſt.
nam cum Ariſtoteles poneret hanc conſiderationem topicam, quòd ſi duo genera
ſunt contraria, etiam ſpecies unius contrariantur ſpeciebus alterius, ut quoniam uir-
tuti aduerſum eſt uitium: etiã iuſtitiæ quæ eſt ſpecies uirtutis, iniuſtitia oppoſita
eſt. Sic eodẽ pacto auaritiæ liberalitas, & timiditati fortitudo opponitur, ſed tamẽ
nõ uſq; quaq; uerũ id eſſe demõſtrat, ut ex illis decipiamur ad hoc in uniuerſum aſſe-
rendum. Nam quàmuis ita ut plurimum contingat, non tamẽ adeo ut generalis aſſer-
tio pronunciari debeat, & affert inſtantiam de ſanitate & ægritudine. Quia licet
hæc duo ſint genera contraria, non tamẽ cuicunque morbo particulari qui ſub illo
generẽ reponitur, aliqua ſpecies ſanitatis peculiaris opponitur. Sed eadem met ſani-
tas ægritudini & cuicunque ſpeciei eius (ſicut mediũ ad extrema) eſt aduerſa. Nõ
ergo febri & ſuffuſioni nullum eſſe contrarium Ariſtoteles uult, ſed dumtaxat nul
lum cõtrarium ſpecificum habere intendit, aut etiam illud quis dicere poſſet, ꝙ febris
duo deſignat, alterum ꝙ ſit quidam calor dumtaxat, & hoc reſpectu nos illi frigida
opponamus, alio modo poteſt accipi, ut eſt diſpoſitio & affectus à naturali lege ex-
orbitans, impediens operationes, & ſic habet rationem morbi, nec illi aliqua ſalutis
ſpecies cui nomen ſit impoſitum, aduerſatur. Quin & ſi carere contrario febrem di
camus, non ideo febrem medicari non poſſemus, aut præſidijs careremus, quibus ea*

tolleretur, nam & ſubſtantia corrumpitur, cui nihil eſt contrarium, ut in categorijs Ariſtoteles prædicat: quia corruptis diſpoſitionibus quibus forma in proprio ſubiecto conſeruatur ſubſtantiam diſſipari eſt neceſſarium. Sic poſſet profligari febris adhibitis præſidijs quæ tollerent illa quibus febris fouetur, quamuis ipſi rationi febris, prout dicit quendam digreſſum à ſanitate non medederentur. ſicut claudicationem cum medicamur, non opus eſt ipſimet claudo inceſſui remedia adhibere, ſed ſat eſt cauſam amouere, qua fit ut homo claudicet. Quod uero de ſcammonio ſolet afferri, quód tertianam quidem morbũ bilioſum perſanat, cum tamen oppido & ꝙ impenſe calliditatẽ ſortitũ ſit, illud facile eſt in promptu, quód non curat diſtemperantiã factam, ſed illã quæ adhuc fit euacuãdo cauſam, qua dempta ex accidenti morbus remouetur. ſed hactenus aphoriſmi expoſitioni indulſiſſe abunde eſt, nunc ad alia paſſum cõuertam.

FINIS.

EXPOSITIO ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS IN DIFFINITIONEM QUAM DE HUMORIBUS AVICENNA CONSIGNAT.

HVmor eſt corpus humidũ liquidũ in quod imprimis nutriẽs cõuertitur. Ad huius textus amplam explicationem, tria per ordinem deo auſpice faciemus, primo litteram rudius exponemus, ſecũdo fuſius de humorũ generatione & loco agemus, tertio ſi quæ difficultas remanſerit, ea poſtremo enucleabitur. Pro primi declaratione dicimus, cõuenienter ordinem ſeruatum ab Auicẽna ductum à natura rei, cũ enim elementa priora ſint q̃ temperaturæ, cum ex illorum actione proueniant, ideo prius egit de elementis, tanq̃ natura prioribus, poſt uero de tẽperamentis determinauit. Et quia ut Galenus latiſſime probat primo. de elementis ſecundum Hippocratem ſanguis, pituita, bilis tum pallida, tum atra, terræ, aquæ, aeri, & igni generationem debent, ideo poſt pertractationem de elementis, & complexionibus non abſre ad diſputationem quæ de humoribus acceſſit. ad hæc cum pertractaturus eſſet de membris ſimilaribus, filamẽto, mẽbrana, carne, neruo, oſſe, ligamento, adipe, chartilagine, medulla, quæ ſunt elementa principalia, & ſenſilia noſtri corporis, & hæc habeant fieri ex humorũ cõmixtione, ideo merito prius negociũ de humoribus q̃ de mẽbris diſcutiendũ ſuſcepit. Triplex nãq; cõpoſitio eſt, humorũ ſcilicet ex elemẽtis: ſimilariũ partiũ ex humoribus, & organicorũ ex conſimilibus. Sed illud imprimis aduotemus, quod nullus non admonet, diffinitionem ſcilicet hanc intelligendam eſſe de humoribus naturalibus, qui per ſecundam conçoctionem in iocinore producuntur, per quod dictum excludũtur humiditates quas dicimus ſecundas, & chylus ipſe, & ſuperfluitas ſeroſa, & humores nõ naturales, quales ſunt phlegma uitreum, gipſeũ, & bilis uitello luteoue ouorũ ſimilis, & melancholia acida, & corradens, & deniq; omnis humor non naturalis. additur corpus humidum quod intelligẽdum eſt ad aſpectum. Nã bilis utraq; ſicca eſt, ad apparentiam tamen humida, & recte dixit humorem corpus humidum eſſe, cum enim alteratio nutrimentorum non poſſit ſubito fieri, ut in membra cõuertantur, & partes fiant nutriti, propter magnam diſtantiam ab eis, ideo oportuit has alterationes per gradus procedere, & quia etiã nutrimentum debet tranſire ad ſubſtantiam membri, ſiccum autem nec facile tranſcurrat, ut particulæ ſe præſentet, nec & ſi præſens ſit, uniri poſſet ob duritiem renitentem, ideò oportuit nutrimentum per humidam ſubſtantiam comparari, & ex cibarijs ſuccum fluxilem, & humectum neceſſarium fuit aſſugi, ſicca autem excrementa ſeparari. Ita ergo humida corpora ſunt nobis humores. Liquidũ autẽ tantum poteſt in diffinitione quantum fluxile, cum enim ſeparentur à cibis partes ſiccæ, quarum opus eſt retinere, & conſtringere, conſequitur ut hijs demptis partes humidæ fluant. Nutriẽs in primis tantum ualet q̃tũ chylus qui in uentre fit: dicitur enim primũ nu-

At qui mortalis & terrena res natura eſt, & rationis expers, nec mentem habet, ſed ſolum mortalem circuitum nouit, & corruptibilem actionem ſuſcepit. anima uero cum ſit uniuerſalis animæ defluxio quædam: & cæleſtis tripudij: ſcientiam apprehēdit, & ſemper uiā quæ ad id quod ſibi ſimile eſt, inambulans: tellurē ſuperat, errorem in aquis refugit, & aeris ſupra regionem ſcandit, & igne multo ſuperior euadit, & cæleſtem diuinitatē conſequitur, & per hūc ſupracæleſtem locum contemplatur, & cunctarum rerum domino coaſtat, & ſuperiorum ſpeculatrix fit, multotieſq; ipſis congeneribus naturis adeſt, & q̃uis in corpore mortali agat, unde & à quo proceſſerit, nihil minus nouit, quódq; deus omnium pater omnibus interſit, ijs ipſis oculis utens: in quibus ipſam collocauit, dignoſcit. Nequaq̃ igitur in tantam impudentiam deueniant aliqui, ut dicant ignorante anima reſpirationis munus perfici: cum ſomno corpus grauatur, ſuffitientior namq; ad omnia munia obeunda anima q̃ ipſa natura eſt, & multo utiq; potentior, & efficatior. Vel quæ tanta eſt eorū uirorum ſapientia, ut naturā quidem conſimili modo in uigilantibus, & dormientibus operari poſſe cōfiteantur (cōcoquit enim, & diſtribuit, digeritq; alimoniam per corpus, & diſcernit, & apponit, & auget in utroq; tempore) ſolam autem animam, uigilant dum ſenſus: quæ corpori expediunt, facere poſſe concedant: dum autem ſomno ſopiuntur artus: ſimilia perficere non poſſe pernegent? Quamuis igitur ſuffitienter abundeq; ſit demonſtratum, animal eſſe id quod uentre cōtinetur: putidum tamen & temerarium eſt, non etiam ex ijs quæ extrinſecus apparēt, prædictis maiorem fidem adhibere. Mures itaq;, & uermes ueluti in utero cum in ſylua cernimus, quo tempore gignuntur: animalia nominare conſueuimus omnes, corporis ſpiras & incoactos adhuc potius q̃ perfectos artus ſinuoſo flexu trahere, repereq; conſpitientes, quia facultas quæ ipſorum prouidētiam gerit, ipſis (ut arbitror) præſideat, in tantum autem eruditionis gradum proceſſimus: ut in fœtibus qui in utero animantur: etiamnum de præſidente illis facultate ambigamus, nobiſcumq; dubitemus: utrum ne palam animal, quod in utero geritur, nominare oporteat: an ſecus: præſertim præcinēte Hippocrate, & tantum non eximia quadam tuba, & ſonoro ſuæ uocis claſsico hunc in modum admonente. Quæ non ſunt animalia, ex animalibus uiuificantur. omnium naturæ indoctæ, ut ſimul q̃ conſiſtunt: animalia eſſe intelligeremus. Illud autem naturæ omnium indoctæ tanq̃ ex oraculo quodam uaticinatus eſt, quod tum inexpugnabile, tum omni cōtentione maius eſt, ut ſi quis uel modo uel ſermone aliquo animationis cauſam expoſceret: ad naturam quæ omnia non docta ab aliquo producit: referretur. Omnino quòd naturas dixit ſuffitientiſſimum prorſus eſt, ad circumſcribendas incredulorū mentes: & quorumcunq; aliorum qui

conceptus qui in utero portantur, animalia eſſe negant. nam ſi natura ſingulis ut ſint perfectiones, fineſq́ contribuit, dederit utiq́ & fœtui qui geſtatur, talem perfectionem, qua animal ſit. Quo pacto autē putidum, & ingentis ſocordiæ argumentum non eſt, ſi quis cum animam ſimul & corpus animal eſſe confiteatur, hoc tamen appellare nomine non audeat? hoc enim ſimile perinde eſt, nec minus ridiculum, quàm ſi cum ignis comburere habeat, qua re maxime ignis in ſpetie cōſtituitur, opus id quidem quòd ſcilicet comburat, quis fateri non dedignetur, nomen autem quo appellandū eſt, nequaquàm dicere ſuſtineat. rurſus ſi cum aeris caligo à ſole colluminatur, quòd hoc quidem ita fiat confiteatur, diem autem hanc rem nuncupatum iri minime concedat. aut etiam ſi quis id ipſum quod ex liquidis, & ſolidis coniunctum, & aggregatum eſt, nutrire utiq́ diceret, alimoniam autem haud quaquàm dicendam eſſe contenderet. aut ſi id quod ſecat: ferrum uel æs appellet, gladij autem enſiſue nomen refugiat, nec quod ſecare poteſt, ſectoriū eſſe, dici ue admittat. Verum nullus (opinor) fuerit, tam monſtroſa ſapientia natus, qui aeris caliginem Solis fulgentibus radijs diſcuti conſpicatus, diem hoc opus non dixerit, uel qui quod ignis uſum exhibere reſpiciat, ignem non eſſe dicat appellandum, uel cum ſecantis operationem fuerit contemplatus, gladium eſſe huius rei nomen ſecum dubitet, nec qui ſemen cum animatur, perceperit, hanc illi appellationem inuideat. Quòd igitur & anima & natura conceptus ſit præditus, & utriuſq́ muneribus participet, & quo pacto animal dici mereatur, abunde à nobis (ni fallor) eſt demonſtratū: quod reliquū eſt, animal adhuc id eſſe dicēdum: quod etiam num in penetralibus & cauernis uteri firmiter adhæret: oſtendemus. Quòd ſi quis à nobis naturæ ratiocinationes requirat, hic dumtaxat hoc didiciſſe ſit contentus, quòd natura per ſe ipſam à nullo edocta, nulliuſq́ doctrinam conſecuta, omnia ſponte ſuapte conficiat: nec enim quo pacto in plantis uermiculi naſcantur, uel ad quēmodum ex equis & bobus, ueſpæ, aut apes oriātur, facile quiſpiam noſtrum dicere, uel referre poſſit rogatus: ſed enim hoc omnia à natura ſimpliciter fiunt, nec enim uolucres quiſpiam uolare docuit, nec nos uel intelligere, uel uidere, uel audire didicimus. & quàmuis operum naturæ ſimus expertes, aues tamen uolatu ſecātes aera conſpicimus: & nos ipſos ſine diſciplina intelligere, & uidere cognoſcimus: abſtruſa enim, & ſecreta, & multum noſtra intelligentia profundior naturæ quam per ſe ipſam facit, operatio eſt. Non igitur eam quæ fit in fœtubus ad uitam productionem: animationem eſſe diffidamus. nam nec ipſi conceptus ab aliquo poſtquàm in lucem ſunt editi: aliquod propriorum munerum didicerunt. ſed adhuc cum intra uteros habentur: deuorant, & concoquunt, & alimentum diſtributū diſcernunt, & poſtquàm expurgatum eſt, particulis apponunt, & ſuperflua excrementa

effutiunt, ut cum in lucem proceſſerint: quas ſuperfluitates congeſſerũt, excernant, ſiquidem excrementum illud quod meconium Græci nominant, ſuperfluum eſt quod à tota alimonia, qua conceptus intus alitur, diſcernitur. & humor ille qui in urinario meatu, qui ad umbilicum eſt, continetur, etiam ſuperfluitas eſt. Quippe tũ uẽter, tum inteſtina (ut ſenior ſcribit auctor) per oris inſpirationem inflantur: & in tumorem attolluntur, & uia quædam ad podicem (cyſarón Græci uocant) conſtituitur, nempe pedetentim & paulisper alui excrementa in anum deducuntur: nihil enim aliud per cyſarón id eſt podicem, quàm id quod archón, hoc eſt anum Græci uocãt, intellexit. Nullus autẽ quia ea mẽbrana, (quã agnón ab agnina mollitie uocant) ſit interpoſita, ex eo confici, & adduxiſſe nos arbitretur, ut dicamus, quòd fœtus per oris rictũ nutriri non poſſit. talis ſiquidẽ natura eſt: ut etiã per meatus eos: quibus id membranum pertuſum eſt, alimenti copiam ſufficere, & exhibere poſſit, & uiam inuenire queat, quæ ad decentiam ſufficiens ſit ſatis. Democritus igitur hominem ex homine, & canem ex cane, & bouem ex boue productũ iri aſſeuerat, uir cum cæleſtis inſpectionis mirifica eruditione præditus, tum uero naturã quæ in nobis eſt, præ cæteris philoſophis exacte cõtemplatus, hic igitur non poſſe non deſipiſcere eos inquit, qui non eſſe animal, quod in utero materno latitat, aſſeuerant, cum conceptum totum ex toto cõſtituerit: qui illud fuerit operatus, nec enim hominis rationẽ, quod gigneretur habuiſſet, niſi omnes in ſeipſo perfectionis rationes & abſolutas coherceret, taliaq́; facere debuiſſet, qualia hæc ſũt à quibus genitura ſeminata eſt. nam ſicuti ſemina coniecta quæ uel quanto, uel quãtitate deffecerũt, loca ſortiuntur, & quæ ex ipſis procreantur, uel in totius membratura, hoc eſt ſingularũ particularũ conſtitutione peccant, uel non omnibus artubus abſoluta edun tur, uel figuras aliorum animaliũ habentia generantur, ad eum modum quæcũq́; ſemina diſcreta & perfecta exiſtunt, rationem animalium perfectorum cõſequuntur. Nam ſi quid deffecit, impedimẽtum totius naturæ, & mutilationem ad munia agenda facit, & mancos, defectoſq́; conceptus edit. quod autem minime impeditum eſt, animalia utiq́; ex ſemine conſtituit. Faceſſant igitur philoſophi, ut qui ſuperiorum rerum non ſint myſterijs initiati, nullius medicorũ qui ab Aſclepiade nomen traxere, ratio habeatur, ut qui naturæ rerum cõtemplationem, ne per ſomnium quidem inſpexerint, cum à natura humana cõceptus abdicare, & tanq́; peregrinos in exiliũ mittere ſuis diſputationibus contendunt. ſed ipſi potius multo ante ſecum recogitent, uel à ſenioribus diſcant, uel à parentibus in memoriam reducantur, q́ & ipſi fuerint olim embrya, id eſt conceptus, fœtuſue. q́q́; priuſq́; à uulua in lucem prodirent extra, perfecte prius in utero conformati, & effigiem membrorum abſolutam

ſortiti ſunt, quódq́; ex genitura radicem ut eſſent ipſi acceperunt, ut dementiæ idcirco naturam condemnare, & temeritatis eam arguere non oporteat. Profectò enim nihil aliud hoc eſt, quàm facile de naturæ reſponſis & oraculis ſententiam ferre, ſi qui dicant, quòd ea animalia quæ ipſa ex tellure affabre operetur, animalia ſint, & quòd omnia habeant, quæ reliqua eiuſdem generis quæ in abditis matricibus generantur, quibus natura generationis cauſam præbuerit, eos autem qui in utero nutriti & educati ſunt, animalia eſſe negent, & diffiteantur. An forſitam ex triticeis quidem granis, triticea grana producentur, & ex alijs ſeminibus ſimilia prodibũt, & ex plãtis plantæ naſcentur, quæ eandem cum ijs quæ iam ſunt nata: naturam ſuſceperint, homo autem animal reliquis diuinius, & cunctis melius, & deo ſecũdum potentiam ſimile, quod tantum infortunium eſt, ut non eandem diuinitatem cum ſeminantibus ſortiatur? Sed cum hactenus in hunc locum ſermonẽ deduxerim, ex legibus iam, & accidentibus animatos eſſe conceptus: notum & apertum faciemus, quæ cum uiuendi cauſam in naturam acceptam refferant, hoc ipſum ut bene uiuatur, nobis ſuppeditant, cum tranſgreſſoribus debitas pœnas proponunt: eoſq́; legum metu deterrent, hoc enim & nihil aliud leges meditãtur, quàm ut mala fieri ſubinde prohibeant, bona autem quæ uel iam adſunt, uel futura ſperantur, conſeruent, uel ex quibus maxime rebus parari poſſint, inueniant. atq́; hæc ijs quibus leges condendi facultas eſt, maxime ſunt propoſita. Duobus igitur legum decrætis maximam uim habentibus animales eſſe conceptus comprobabimus. unũ decretum eſt, quòd punitionem, & uindictam in eos proſpexerit, qui aborſum fieri feciſſent, alterum ſecundùm legis ſignatum eſt, quo cauetur, ut ij qui nõdum ſunt nati hæreditatem ſuſcipere, & adire poſſint, hoc ipſum namq́; legum conditores exactius quàm cæteri mortales nouerunt, ut qui deorum opera in hoc fuerint emulati. deorum enim leges condere primum fuit inuentum, ſi quidem ille cunctorum qui eſt pater inter diuos: omnia lege diſpenſauit: illius etenim mundus imperijs cietur, & erriones ſinguli proprios orbes, in ſtato & dimenſo tẽpore cõficiunt. quin & Sol & Luna cõſtitutos ſibi curſus, atq́; diffinitos peragunt. ad hæc tellus alma opificis mandatis radices egit, & fundata eſt, fuſa eſt aqua, aer explicatus eſt, & ignis in ſublime ſcandit, & unũquodq́; propriũ munus diligenter obſeruat, metuens (opinor) ne propriam, & ſibi poſitam legem tranſgrediatur. Sed & Cretenſibus Iuppiter, Lacedæmonijs Pythius Apollo, Athenienſibus Pallas, legũ iura tradiderũt, quorũ diſcipuli Lycurgus, & Solõ, cõſtanter nobis per ea duo capita (quæ mox ante retuli) fœtuũ ut minime foret dubitabilis, ſuppoſitionem tractauerũt. quippe qui niſi animalia fœtus eſſe putaſſent, nequaq́; gentiũ eos qui aborſus auctores extitiſſent, manifeſtis ſupplitijs poſitis pu-

niuiſſent, ſed quoniam conceptus animalia eſſe, perſuaſum nimis habuerunt, conſequenter uindictam induxerunt, & ſeuere & grauiter adnimaduerterunt in eos qui aborſum prouocaſſent. Quis enim tam demens, & cerebri expers eſt, ut hominem perfectum, quiq́ in confeſſo eſt homo: pro eo qui in utero eſt non homo: ad iudicem defferat: illiq́ litem moueat: diemq́ dicat: pro eo qui à principio animatus non eſt? Vel quis hæreditatem in conceptum deleget: quem hominem eſſe neſciat? Quo pacto O homo illum qui uentre cõtinetur: hæredem inſtituis moriturus: illiq́ rerũ tuarum curam demandas: ſi illum animal non appellas? Quis eo uti ſucceſſore ſuſtineat: quẽ nondum ſi ſit: habet exploratum? Quis eum de quo dubitatur: dominum dixerit? profecto neminem tam portentoſa ſapientia, qui hæc dixerit: præditũ eſſe arbitror: Nondum Pericles Olimpius in lucem prodierat, & omnibus Græcis propter inſomniũ timendus erat. Non adhuc natus erat Piſiſtratus: & tyramnus iam erat. Non etiam dũ Olympias Alexandrũ pepererat, & cuncti Ammonis illum iam Iouis filium nuncupabant. Cipſelus cum adhuc in utero animaretur: regno imperabat: quãuis hæc Bacchiadæ non comprobarent: ſpectro illos perterrefaciente, Hecuba etiam Alexandrũ timuiſſe prius, quàm peperiſſe dictitatur, cum generoſius uiſum ipſam in ſtuporem ageret: ſed & cuncti quoq́ Troiani ex eo homine qui nondum erat procreatus: futuras ſibi ipſis calamitates augurati ſunt. Alcmene præterea Herculem natum habitura: in metum & terriculum coniecit eos: qui contra pugnaturi ueniebant: & ut hoſtes minime auderent, eo dumtaxat q̃ filium in uentre haberet: perfecerat. Tantum igitur abeſt: ut fœtus animalia non eſſe dicantur: quantum non ſolum ut animalia, ſed etiam natura humana ipſa ſunt robuſtiora, quamuis adhuc in uteris radicentur. Sed iam ad ipſos mihi conceptus ſermo conuertatur: ut qui ad perfectam & abſolutam uitalitatem quæ homini debetur: ſint conformati. Procedite mihi ex penetralibus: nec quidquam timueritis: nec generis diuiſionem, nec chariſſimorum diſfugium, nec facultatum detractionem, nil uobis multorum calumniatio, & eorum qui in ipſam naturam iniurij ſunt, aſtutia, & ueteratoria malitia præſcribit, quorũ uos ſane ultores utiq́ conſiſtetis, ut Pericles, ut Piſiſtratus, ut Paris, ut Alexander Macedo, & ut Hercules.

FINIS.

ANNOTATIONES ALIQVOT ANTONII LODOVICI IN NONNVLlos aphoriſmos Hippocratis.

PRimi quartæ particulæ aphoriſmi ſententiã nec interpretes recte meo iudicio expoſuerũt, nec hactenus quiſꝙ cõmode (ut arbitror) expoſuit, in quo uetuſtiſſimus auctor de grauidarum purgatione peragit, qui ad hunc modum communiter, & uulgariter legitur. Grauidas ſi cõuenit purgare, à quarto menſe & uſꝙ ad ſeptimũ, ſed has minus: iuniora autem, & ſeniora ereri oportet. Quo loco cum particulam illam, ſed has minus, Galenus intactam omiſerit, & repugnare Hippocratis dicto uideatur, ego diligentius perpendendam opinor, mendoſeꝗ uulgo trãſtuliſſe interpretem mihi perſuadeo, ſed ſic lectitari debere cenſeo, minus uero quæ ſunt præter has (quod etiã in Græca ſcriptura cõtinetur) ut ſit ſẽſus eas quæ utero gerũt: inter quartũ & ſeptimum menſem ſi uſus requirat, purgãdas eſſe, quin & ſi parum à quarto dꝛfficiant, uel ſeptimum nonnihil excedant, has quoꝗ purgatione medicari, ſed minus ꝙ prædictas cõueniat, quæ ſcilicet tempus ab Hippocrate diffinitum in partu portando peragunt. at uero ſi grandior ſit receſſus, & diſtantia ab illis, quæ quarto iam mẽſe, uel ſeptimo uterũ geſtant, has nullatenus tentari pharmacis oportere, ita ut Hippocrates manifeſtiſſime diſtingat, quibuſnam in utero habentibus medicamenta dare conueniat: & quæ nam tentandæ non ſint. Nam primo illarum meminit, quæ menſibus intermedijs conceptum ferunt, quas purgare nihil uereri monet. Deinde illarũ quæ modicũ quid ab ab illis relinquuntur, quas tanto minus purgare conuenit, quanto à quadrimeſtribus illis atꝗ ſeptimeſtribus receſſerint. Poſtremo quæ magno interuallo ab illis abſunt, ut ſcilicet eas quæ nuper conceperunt, aut omnino mox non multo poſt ſunt pariture, nullo pacto attingendas eſſe admonet, ne fœtum præcipitemus. Qui uero minus uero has legunt, nec ueritati Græcæ conſentiunt, nec ſatis recte exponunt. quum Hyppocrates audacter prægnantes quas purgare conuenit, aggrediatur, ut etiam uult ratio, non minus ꝙ neceſſum ſit, eas debere purgari, cum firmiſſime conceptus uteri acetabulis colligentur, ut nullus ſit metus, ne fœtus abortu eijciatur. atꝗ huic noſtræ ſententiæ etiam quæ ſequuntur ſuffragantur. nam ita ſcribit poſt ea quæ diximus. Paruula autem atꝗ ſeniora cauere decet, nam nipia (quæ uox Græce habetur) nihil aliud hoc loco ſignificat, ꝙ eas quæ nuper cõceperunt, nec uox comparatiua eſt, ut iuniora interpres conuerte-

*rit, ſed poſitiua, ita ut apud Hippocratẽ eas ſignificet, quæ non diu eſt ꝙ ſemẽ utero
exceperunt, ut iam conceptus ſit cõformatus, ſicut preſbytera ab Hippocrate illæ
dicuntur, quæcumq; grandiuſculos atq; permaturos retinent conceptus, ut quacũq;
leui de cauſa aborſum faciant, ſi prouocentur, cum maiuſculus ſit intro conceptus,
qui pedibus recalcitret, & ad egreſſum impellat. Non recte igitur iuniora conuer-
tit, cum infantulas, hoc eſt eas quæ nuper delibatæ genituram hauſerunt, tranſtu-
liſſe oporteret.*

*GRandis item error paſſim committitur in eo aphoriſmo Hippocratis
exponendo, ubi ſenior auctor aſſeuerat, eos qui purgantur, omnino ſi-
tim incurrere, in quo iuxta Græcam ueritatem ita inquit. Quicunq; in
pharmaci potionibus: dum purgãtur, non ſitiunt, non quieſcunt, donec
ſitiant, quod ea de cauſa accidere inquit Galenus, quia ſitis triplici de cauſa proue-
niat, aut ſcilicet medicamẽti ratione quod exhibitũ fuit, quæ omnia ut plurimũ cale-
factoria poteſtate pollent, aut propter humorẽ qui purgationibus deijciatur, qui ſi
calens ſit, ſitim commoueat, aut propter temperaturam laborantis calidiorem, qui
tales ſiticuloſi magis eſſe cõſueuerunt. atq; ita hanc ob cauſam eos quibus medicamẽ
tum oblatum fuit, omnino ſitituros eſſe, quoniã uel humor feruens: qualis eſt utraq;
bilis, aut acris, & mordax, ſitimq; inducens excernatur, aut quia natura ægri calen
tior ſit, & præcipue uentriculi oſculũ feruidius ſuapte natura obtineat, aut quoniã
medicamen quod ſitim ſua ſponte cõmittit: ingeſſerũt, qualia ferme ſunt omnia, quæ
bilem aut flauam, aut atram per purgationes ſubducũt, aut deniq; quia licet natura
ſit frigidior, is qui morbo premitur, aut frigidus pituitoſuſq; ſit humor deijciẽdus,
qui nunq̃ ſiti ægrum urgeret, ſitis tamen producitur, tum propter inanitionem quæ
procedẽte purgatione fit: propter quam humido ſubtili oris ſtomachi abſumpto, ſi-
tis conſequatur. tum quia & ſi medicamenta quæ pituitam depurgãt, minus acria
& feruida ſint, q̃ quæ biles euacuant: aliquid tamen acritudinis obtineant. Noſtri
uero cum Hippocrates narret ſymptoma ſeu accidens, quod ijs qui purgantur ad-
ueniat, perinde ac decretum accipiunt, & quod plurimum hominibus illis accidebat,
qui nõ niſi helleboro, elaterio, eſula, pityuſaue, aut agreſti cucumere, aut tithymallis
purgabantur, quæ omnia acris ſunt; & excalfactoriæ naturæ, etiam in omnibus
utcumq; purgatis euenire arbitrantur. Sed quid ſi caſiam, ſi roſarum ſuccum, ſi me-
dicinas frigidas & humidas molliter aluum ſubducẽtes exhibuerint, an ſiti cruciari
ægros ſpectabunt? Vnde ille paſſim apud medicos uſus uſurpatur, plectendus po-
tius q̃ probandus, qui indifferenter omnibus quos expurgarunt, cibos interdicunt,
quoad ſiti urgeãtur, perinde ac ſi nunq̃ futura ſit cõpleta purgatio niſi præ ſiti lin-*

guam canis modo exertam oſtendant ægrotantes, & tanq; legem obſeruant, quod melius eſſet ſi nunq; contingeret, cum ſit res præter naturam. Deniq; non quieſcant ut ipſi legunt, Græce ſed quieſcunt ſcribitur. ita ut magis enarret, quæ accidere paſſim cernebat, q; quid facto ſit opus admoneat, aut ſitim adhibendam conſulat. Noſtri in hoc non minus q; in alijs grauiſſime peccant, qui diu ſitire ægros cogunt, atq; moliuntur: uires illis diſſoluunt.

EXPOSITIO ANTONII LODOVICI IN APHORISMVM

decimumſextum primæ ſectionis apud Hippocratem.

Victus humidus omnibus febricitantibus confert: maxime uero pueris, & alijs qui tali uictu uti conſueuerunt. Hic aphoriſmus continet tres partes. Prima eſt q; humidus hic uictus omnibus qui febri tenentur, ſit aptus. Secunda q; etiam num tales humidæ diætæ pueris & infantibus conueniant. Tertia q; quibuſcunq; qui aſſueti tali uictu ſunt uſi, humidam rationem uictus inſtituere decet. Quod igitur primo loco ait: manifeſtam rationem continet, cum enim (ut Galenus tertio artis medicinalis ſcribit) curatio unam propriam & communiſſimam habeat intentionem, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium, dicente Hippocrate morbos quicūq; ex repletione fiunt, euacuatione curari, & qui ex uacuitate proueniunt, plenitudine ſanari, & omnes deniq; morbos ſuis contrarijs expelli, ideo cum febris ægritudo calida ſit & ſicca, eſt enim cōuerſio naturalis caloris ad igneū, ut in libro de morbis uulgaribus, & primo de uictu acutorum Galenus ſæpiſſime monet: illi inq;tum talis eſt, uictus humidus & frigidus debebitur. Quod ſi in aqua intercute cui febris adiungitur, curatio ſiccioribus diætis perficiatur, illud non obſtat, quominus ſermo Hippocratis uerus exiſtat, id enim non ratione febris, ſed ratione affectus complicati, qui curā ad ſe trahit, cōtingit. Vnaquæq; enim ſimplex ægritudo, ſimplici eget medela, ſi uero ad inuicem affectus complicentur, ad id quod magis urget: mens noſtra conuertitur, ſicut in morbo laterali in quo ſanguis ex empymate expuitur, cū contrariæ indicationes copulentur, fieri ſolet. Illud uero annotaſſe non oberit, non eſſe ſcilicet de ratione febris, ut uictus humidus ei exhibeatur, febris enim in ſua eſſentia non eſt niſi in genere caloris præter naturā, & morbus ſimplex, indicatione tamē ſumpta

à ſymptomate quod ut plurimum febrientes comitatur,(nam calor ſupra modum inauctus reddit corpus ſiccius ꝙ oportet)ideo nos ex Hippocratis ſententia humidos uictus frigidoſq; illis qui febri tenētur,exhibemus.utilis præterea pueris uictus humidus : nam ut Galenus octauo de morbis curandis ait,quod ſecundum naturam eſt,ſimilia poſtulat,ſiquidē quod naturale eſt,cuſtodire, quod uero præternaturā:tollere ſtudemus, & tertio artis medicæ inquit calidiora calidioribus, ſicciora ſiccioribus præſidijs medicāda ſunt.ideo cū puerorum tēperatura humidiſſima ſit, atq; ea humiditas non ſit eis morbida, & excrementoſa,ut ſenibus propter imbecillitatē concoctionis,ſed naturalis,merito illis uictus humidus utillimus cenſetur.Quæ enim corpora ſecundum naturam ſe habent,ijs ſeruari cuſtodiriq; ſuum habitum decet,quæ uero morbo aliquo præmūtur,hijs cōtra alterari & adcōtrariam diſpoſitionē trahi,perutile eſt.Vnde & natura ipſa,quæ cōſultiſſime operatur,lac maternum in humentis alimenti uſum pueris præparauit,nec uero id ſolum effecit , ſed & facultates quaſdam naturales quibus eo utantur, ab initio protinus contulit,quando ſi nuper natis papilla in os inſeratur , mox lac ipſum deglutiunt , & ꝙ promptiſſime ſugunt,nec enim(ut pulchre Galenus ſecundo de ſymptomatū cauſis) didicit ullum animal,aut nauſeare, aut uomere, aut tuſſire,aut alimentum ſibi accommodum requirere.utilis ergo pueris uictus humidus.ad hæc autem non minus ijs qui humidis cibis uſi fuerunt.Conſuetudo enim in naturam tranſire aſſolet.unde probe dixerunt antiqui(inquit ſecundo de temperaturis Galenus) qui conſuetudinem naturam acquiſitam nuncuparunt. & Hippocrates tum in primo regiminis accutorum , tū in ſecunda ſectione aphoriſmorū multū conſuetudinem cōmendauit,cum ait. Qui conſueti ſunt ſolitos labores ferre ꝙuis imbecilles & ſenes ſint , iuuenibus & ualidis facilius ferunt, & rurſus.Quæ longo tēpore conſueta ſunt , & ſi deteriora ſint , minus infeſtare ſcribit,ꝙ illa, & ſi meliora,quibus nūꝙ quis fuerit uſus . Sed dubitāt quidam an ſi detur æger qui per ſanitatem pluribus cibis conſueuit uti, is etiam dum ægrotat,pluribus epulis alendus ſit,ꝙ ſi nunꝙ ſic conſueuiſſet. atq; hoc pacto quæſtioni ſatisfeciſſe ſe putat. ait namque ꝗ ſi optime ſanus concoquebat , quæcumq; in uentriculum ingeſſerat , huic etiam ægro alimenta augenda eſſe . ſin autem is qui in gluuiei & crapulæ indulſit, epulas non ſuperabat, nec uincebat, ſed eis lædebatur, huic ſubtrahi nutrimentum oportere,cum plenitudinem cumularit, quā detrahi operæprecium ſit.Crediderim tamen ſi cum Galeno ſentiamus , aliter nobis eſſe dicendum.Is namq; putat ꝗ quoquo pacto conſuetis plurimis cibis uti:etiā dum decubuerunt,augere & addere alimoniam expediat. In calce itaq; libri primi de uictu acutorum duos comparat,alterum quā molliter ſit educatus, & imbecillum habeat uen-

triculi oſtiũ, & plurimas dapes deuorarit, alterum qui aridam & muſculoſam cor poris ſuperficiem obtineat, & paucis alimentis fuerit conſuetus, atque ſcribit borũ utroque pleuritide detento, utrumq; facile mortem ſubiturum, ſi primus fame coher-ceatur, ſecundo cibaria aſſignentur. Operæprecium namq; exiſtimat, ut uẽtriculus eius qui ſepius cibos aſſumere ſolitus erat, alimento quod facile concoquatur, robo retur, atque uigorem accipiat, cum alterum cibis ſuffocare nil ſit opus, qui tenuem ui ctum non ægre tulerit, & uacare coctioni ægritudinis magis expediat, cui nunquã niſi uires labantur, alimẽta, ſed potius cibi ſubtractio ſunt in uſu. Nam materia quæ morbum committit, & uires contrarias indicationes ſecundum plurimum obtinẽt. Nam uirtus alimentum non ſolum poſtulat, ſed flagitat, materia autem indicat de ſui euacuatione, ciboſque uult negari, quibus intenta natura coquendis, minus morbi digeſtionem perficiat. Vnde quidam Hippocrate auctore ſexta ſectione aphoriſmo rum, qui ita ait. Cibus quem accipiunt ægrotantes, ſanis eſt uirtus, ægris uero morbus: firmiter contendunt, ꝙ quæcunque cibatio in febribus aliquid includit erro-ris. Sed circa ea quæ diximus uidetur id conſideratione dignum: & penſiculatione ampliori egere. Nempe cum Ariſtoteles topicorum quarto aſſerat, febri & epi-phoræ oculorum nihil eſſe contrarium, quo modo ergo quis probe dixerit febrem cõ trarijs curari: aut quid nam reſpondendum eſt? ad quod facilis ſolutio dari poteſt. nam cum Ariſtoteles poneret hanc conſiderationem topicam, quòd ſi duo genera ſunt contraria, etiam ſpecies unius contrariantur ſpeciebus alterius, ut quoniam uir-tuti aduerſum eſt uitium: etiã iuſtitiæ quæ eſt ſpecies uirtutis, iniuſtitia oppoſita eſt. Sic eodẽ pacto auaritiæ liberalitas, & timiditati fortitudo opponitur, ſed tamẽ nõ uſq; quaq; uerũ id eſſe demõſtrat, ut ex illis decipiamur ad hoc in uniuerſum aſſe-rendum. Nam quàmuis ita ut plurimum contingat, non tamẽ adeo ut generalis aſſer-tio pronunciari debeat, & affert inſtantiam de ſanitate & ægritudine. Quia licet hæc duo ſint genera contraria, non tamẽ cuicunque morbo particulari qui ſub illo genere reponitur, aliqua ſpecies ſanitatis peculiaris opponitur. Sed eademmet ſani-tas ægritudini & cuicunque ſpeciei eius (ſicut mediũ ad extrema) eſt aduerſa. Nõ ergo febri & ſuffuſioni nullum eſſe contrarium Ariſtoteles uult, ſed dumtaxat nul lum cõtrarium ſpecificum habere intendit, aut etiam illud quis dicere poſſet, ꝙ febris duo deſignat, alterum ꝙ ſit quidam calor dumtaxat, & hoc reſpectu nos illi frigida opponamus, alio modo poteſt accipi, ut eſt diſpoſitio & affectus à naturali lege ex-orbitans, impediens operationes, & ſic habet rationem morbi, nec illi aliqua ſalutis ſpecies cui nomen ſit impoſitum, aduerſatur. Quin & ſi carere contrario febrem di camus, non ideo febrem medicari non poſſemus, aut præſidijs careremus, quibus ea

HVmor eſt corpus humidũ liquidũ in quod imprimis nutriẽs cõuertitur. Ad huius textus amplam explicationem, tria per ordinem deo auſpice faciemus, primo litteram rudius exponemus, ſecũdo fuſius de humorũ generatione & loco agemus, tertio ſi quæ difficultas remanſerit, ea poſtremo enucleabitur. Pro primi declaratione dicimus, cõuenienter ordinem ſeruatum ab Auicẽna ductum à natura rei, cũ enim elementa priora ſint ꝙ temperaturæ, cum ex illorum actione proueniant, ideo prius egit de elementis, tanꝙ natura prioribus, poſt uero de tẽperamentis determinauit. Et quia ut Galenus latiſſime probat primo de elementis ſecundum Hippocratem ſanguis, pituita, bilis tum pallida, tum atra, terræ, aquæ, aeri, & igni generationem debent, ideo poſt pertractationem de elementis, & complexionibus non abs re ad diſputationem quæ de humoribus acceſſit. ad hæc cum pertractaturus eſſet de membris ſimilaribus, filamẽto, mẽbrana, carne, neruo, oſſe, ligamento, adipe, chartilagine, medulla, quæ ſunt elementa principalia, & ſenſilia noſtri corporis, & hæc habeant fieri ex humorũ cõmixtione, ideo merito prius negociũ de humoribus ꝙ de mẽbris diſcutiendũ ſuſcepit. Triplex nãq; cõpoſitio eſt, humorũ ſcilicet ex elemẽtis: ſimilariũ partiũ ex humoribus, & organicorũ ex conſimilibus. Sed illud imprimis adnotemus, quod nullus non admonet, diffinitionem ſcilicet hanc intelligendam eſſe de humoribus naturalibus, qui per ſecundam conçoctionem in iocinore producuntur, per quod dictum excludũtur humiditates quas dicimus ſecundas, & chylus ipſe, & ſuperfluitas ſeroſa, & humores nõ naturales, quales ſunt phlegma uitreum, gipſeũ, & bilis uitello luteoue ouorũ ſimilis, & melancholia acida, & corradens, & deniq; omnis humor non naturalis. additur corpus humidum quod intelligẽdum eſt ad aſpectum. Nã bilis utraq; ſicca eſt, ad apparentiam tamen humida, & recte dixit humorem corpus humidum eſſe, cum enim alteratio nutrimentorum non poſſit ſubito fieri, ut in membra cõuertantur, & partes fiant nutriti, propter magnam diſtantiam ab eis, ideo oportuit has alterationes per gradus procedere, & quia etiã nutrimentum debet tranſire ad ſubſtantiam membri, ſiccum autem nec facile tranſcurrat, ut particulæ ſe præſentet, nec & ſi præſens ſit, uniri poſſet ob duritiem renitentem, ideo oportuit nutrimentum per humidam ſubſtantiam comparari, & ex cibarijs ſuccum fluxilem, & humectum neceſſarium fuit aſſugi, ſicca autem ex crementa ſeparari. Ita ergo humida corpora ſunt nobis humores. Liquidũ autẽ tantum poteſt in diffinitione quantum fluxile, cum enim ſeparentur à cibis partes ſiccæ, quarum opus eſt retinere, & conſtringere, conſequitur ut hijs demptis partes humidæ fluant. Nutriẽs in primis tantum ualet ꝙtũ chylus qui in uentre fit: dicitur enim primũ nu-

triẽs, quoniã eſt primũ quod eſt futurũ alimentum. Sed impropriè chylus immo &
humores ipſi nutriẽtia dicũtur, ut enim Galenus primo de naturalibus facultatibus
eſt auctor: nutrimentũ propriè eſt, quod iã nutrit, & eſt id quod iã aſsimilatũ eſt,
& mẽbri formã induit. ita enim inquit. Nutrimentũ propriè quod nutrit, quod uero
ueluti nutriens eſt, nõdum tamẽ nutriuit, cuiuſmodi eſt quod agglutinatur, & quod
apponitur, id nutrimentũ non eſt propriè, ſed æquiuocè, atq; hoc magis quod eſt in
uentriculo, id tãq; nutriturũ ſit aliquãdo, ſi probe cõcoctum fuerit, nutrimẽtum ap-
pellatur. ad hunc modũ edulia quoq; nutrimẽta uocamus, non utiq; ꝙ iam animal nu-
triant, nec ꝙ talia ſint qualia quæ nutriunt, ſed ꝙ nutritura ſint, ſi rectè digerãtur.
atq; hanc diſtinctionem Hippo. ſentire in libro de uictu uidetur, cũ ait. Nutrimen-
tum quod nutrit, nutrimentũ quod ueluti nutrimentum eſt, nutrimentũ quod nutritu
rũ eſt. Quod enim iam aſsimilatur, appellauit nutrimẽtum, quod uero appoſitũ, aut
agglutinatum eſt, ueluti nutrimẽtum. Reliquum omne ſeu in uẽtre ſeu in uenis cõti-
neatur, futurũ nutrimẽtũ. Dicitur ergo chylus tertio modo nutriens. nã priuſq; ad
nutricationem ſit aptus: in humores quatuor, ſcilicet ſanguinẽ, duplicẽ bilẽ, & pitui
tã cõuertitur, ex qua diffinitiõe alia melior dici poteſt hæc ſcilicet. Humor natura-
lis eſt corpus humidum quoad aſpectum, fluxile, generatum in iocinore, quod per ſe-
quentes tranſmutationes aptum eſt mẽbris aſsimilari. aduertendũ uero illud eſt ex
Galeni ſententia, non eſſe idem agglutinationem, & appoſitionem, nã in hydropis
genere illo quod anaſarca dicitur, alimentũ quidem apponitur, uidetur enim ijs tum
caro humida madenſq; eſſe, tum ſolidarum partium quæq; ſimiliter affecta, quod ta
men propterea ꝙ aquoſius eſt, nec lenticiem glutiniq; conſiſtentiam, quæ caloris na
turalis ope prouenit: adeptum eſt, adhærentiam conſequi non ualet. In uitiliginibus
quidem nutrimenti glutinationem factam uidemus, non tamen aſſimilationem. Re-
cte ergo dictum eſt, primum debere fieri appoſitionem, mox adhærentiam, deinde aſ-
ſimilationem membro, quod nutriendum eſt. Ex qua diffinitione humoris illud pri-
mo inferri poteſt, quòd quilibet humor dũ exiſtit in ſua meta naturali, requirit quã-
dã humiditatẽ, & ita humores poſſunt dici puri altero duorũ modorũ, aut quia ſepa
rati ab alijs hũoribus, aut quia carent illa ſeroſitate, qua eos indigere dicebamus, &
tũc ſi talis humor eſt bilioſus, aut ſãguinis naturã reffert: efficitur nocuus, & febres
ualde malignas ĩducit. Vnde Galenus ſecũdo de facultatibus naturalibus ita ſcribit:
biles aliæ ſũt meracæ & puræ, aliæ ſero quodã imbutæ. Sũt aũt circa ea q̃ diximus,
duo textus apud Galenũ qui frontibus oppoſitis pugnare uidẽtur, inquit enim ſecũ
do de tẽperamẽtis. Sedimẽtũ ſãguinis & fex atra bilis eſt, frigidior & craſſior ſan
guine, ſicut flaua bilis lõge calidior: frigidiſſimũ uero omniũ quæ ĩ animali habẽtur:

pituita eſt, inſtrumentum autem quo hæc cognoſcuntur, eſt ſenſus tactus, in libro autem de morborum cauſis ita ſcribit. Flaua bilis poteſtate calida eſt, & ſicca, atra ſicca, & frigida, ſanguis calidus, & humidus, pituita frigida & humida. Videtur eſſe diſcrepatio, cum modo appellet flauam bilem actu calidam & ſiccam, modo poteſtate quo loco contradixiſſe ſibi Galenum Moſes Aegyptius arbitratus eſt, falſus mea quidem ſententia. actu enim ut ego ſentio talis dicitur, quoniam non oportet ut reducatur ad actum, ut ſuum opus producat, poteſtate calida, & ſicca cenſetur, quoniam poteſt talem effectum facere, quando enim in uentriculo ea continetur, perpetua ſiti urgemur, ubi per uomitum eiecta eſt, ſitis recedit. Sic ſanguis poteſt dici calidus & humidus poteſtate & actu, quoniam in ſe iam habeat calorem, & illum producere poßit, ut gladius dum lignum ſecat, poſſe ſecare diceretur, non enim iam ſinderet, niſi poßet. atq; cum hæc rudi minerua ſint à nobis explicata, reliquum eſt ut ad ſecundam partem pedem feramus, in qua altius hæc ſunt repetenda, & dicamus cum Galeno in libro de ſanitate tuenda, & tractatu de conſtitutione artis medicæ, quia ſiccitas, & ſubſtantiæ totius fluor, & euaporatio, quam inſitus calor excitat, in nobis continenter procedit, hinc oportuit cibos & potum afferre, & artem obtinere, quæ ſaluti corporum præficiatur. Si enim impatile, omniſq; affectionis corpus noſtrum expers eßet, ſicut adamas, minime artem ullam requireret, quæ ei tuendo præſideret, quoniam uero duplices corruptionis cauſas obtinet internas: ſcilicet ſiccitatem quæ continue augetur, & ſubſtantiæ totius fluorem, ideo opus fuit arte, quæ eius incommoda ſarciret atque corrigeret. Nam cum tota moles animalium in perpetuo fluxu ſit, ni ſimilis altera ſubſtantia, pro ea quæ deffluxerit, ſubrogetur, cita morte præmeremur: cibo igitur quicquid ſubſtantiæ ſiccioris effluxit, reſtituimus, potione quicquid humidioris. atq; hic rurſus ſummopere conſiderandum eſt, quod ſi cum Galeno potius quam cum arabibus ſtemus, ars hæc quæ prouidet, curamque gerit ſanitatis, quam medicinam nuncupamus, eſt una artium factiuarum, & non ſciẽtia, ut paßim iactatur, ita enim Galenus in libro de conſtitutione artis medicatiuæ ſcribit. Medica facultas ex earum numero artium cenſebitur, quæ iam factum opus inſtaurant, non autem ex illis quæ nouum efficiunt. Nõnullæ ſiquidem artes ipſas res operãtur, ut textoria, & coriaria. quædam uitiata corruptaque reſartiunt, ueluti eæ artes, quæ laceras ueſtes, & diſruptos calceos conſuunt, & uerſus finem eiuſdem libri ita narrat. Eſt igitur medicina una factiuarum artium, non tamen ſimpliciter, ut ædificatoria, & fabrilis, ſed ueluti quæ collapſas ædes, aut aliquam domus partem reſartiunt.

ex quo unum corolarium egregium contra communes deduci poteſt, quòd ſecundum Galeni mentem corpus humanum non debet ſtatui ſubiectum conſiderationis in medicina. Cum enim medica facultas ſit ars reſectiua, ut diximus, per id quod reſficit non per id circa quod operatur: eſt à cæteris artibus diſtinguenda, cum nihil uetet uarias artes circa eandem rem reficiendam uerſari. Nam alia quidem ars eſt, quæ imbricum, alia quæ tegulas, alia quæ pauimenta inſtaurat, nec differũt inter ſe domus ipſius ratione, ſed propter illud quod reparatur. Cum itaꝙ medicina & aliæ artes circa corpus humanum uerſari poſſint, aliud in eo reficiendo, uel conſeruando, per ſanitatem non per corpus humanum ſeparandam eſſe ab alijs ſatis conſtat, cui etiam ſententiæ Galenus in libro de ſectis ſubſcribit dum ait Scopus medicæ artis ſanitas eſt, finis autem eius poſſeſſio. quod etiam Georgius Lecapenus in libello quem de ſyntaxi cõpoſuit, manifeſte ſenſit dum ait. Omnis ars rationalis, & actiua ſubiectum habet, & finem, ut philoſophia ſubiectum habet omnia entia, finem autem ut deo homines quoad poſſunt ſimiles euadant, medicina cum circa humana corpora incumbat, pro fine habet ſanitatem. ſed redeamus illuc unde ſumus digreſſi. Quia igitur neceſſarium erat nutriri animalis particulas, ideo rationabiliter natura uias plurimas in corporibus diuiſit, quaſdam quidem publicas & communes, per quas omnia nutrimenta defferentur, & quoſdam uelut angiportus, & anguſtas uias deuehẽtes ad ſingulas partes alimentum. Sed maxima & prima omnium uia eſt canalis qui œſophagus dicitur, per quem alimonia ab ore ad uentrem ueluti ad promptuarium aliquod commune omnium particularum in medio animali conſtructum deffertur, qui ut ſuum munus commodius perficeret, tunicam duplicem obtinuit, interiorem ex fibris longitudinalibus ad trahendum, exteriorem ex latitudinalibus. quæ quidem duo fibrarum genera mutuas operas ſibi præſtant. atꝙ hinc patet cur facilius ſit deglutire ꝙ uomere, quòd ſcilicet deglutiatur duabus tunicis uentris agentibus, interna attrahente, externaꝙ ſimul trudente, uomatur autem officio tantum exterioris. Stomachus ergo ſeu uentriculus tanꝙ diuinum non humanum quoddam ſit opifitium laborat circa cibaria primo labore: mox ut à gula œſophagoue ſuſcepit. ut enim in bene inſtitutis urbibus qui circa tritici elaborationem uerſantur: ſiquid terræ, aut lapidum, aut ſilueſtrium ſeminum ſimul cum eo inferatur, præpurgant, ita uentris uirtus, quod noxium in cibis eſt, & alendo ineptum, pellit deorſum. reliquũ cõmodius efficiẽs, uenis quæ ad epar & inteſtina feruntur, diſtribuit. Et ueluti onerũ portatores in ciuitatibus mũdatum in prõptuario frumẽtũ, ad aliquã cõmunem totius urbis officinam, ut molam & cocturam ſubeat, defferũt, eodem modo

uenæ elaboratum in uentre cibum, ad locum quendam concoctionis communem (quod epar uocamus) baiulant, atque deportant, ingreſſus autem & acceſſus ad regionem hanc portæ epatis nuncupantur, quia ueluti nequaq̃ quis temere in ciuitatem pedem intulerit, ni prius portas ingrediatur, ad eum modum ni cibus per hunc locum tranſeat, nunq̃ ad epar penetrabit. at uero iocinus ipſum poſtq̃ nutrimentum accepit, perinde ac à famulis quibuſdam præparatum, & habens rudem quandam, & obſcuram ſubfigurationem, & deſcriptionem ſanguinis(ponimus enim in meſaraicis uirtutem quandam ſanguificam communicatam à carnoſitate epatis) ſuperaddit perfectum ornatum ad ſanguinis delineationem. Epati autem ineſt uirtus ſanguifica ratione propriæ carnoſitatis. atque hinc uenulæ quædam tenuiſſimæ per eius ſubſtantiam totam diſperguntur, ut melius eius carnem cremor à uentriculo ſibi commiſſus attingeret. Eſt autem epatis ſubſtantia ueluti ſanguis à quo omnis uapor abijt, & craſſior redditus, atq; hinc ſanguis rubedine ueſtitur, cum enim ſingularum particularum proprius ſit finis & ſcopus aſſimilare ſibi id quod alteratur, ſimili modo dum chylus à iocinore conuertitur, ſecundum illius naturam craſſior ſe ipſo multum, & rubicundior euadit. craſſior namq; chylo qui in uentre: ſanguis eſt, q̃uis ſubtilior ſit carne epatis, cum in illam nondum ſit perfecte tranſmutatus. Sed inſurgit hic medico digniſſima dubitatio, cur natura cum uenas meſeraicas deferentes chylum ad epar uniuerit ad portas, rurſus ipſas per epatis carnoſitatem in minutiſſimas uenas diuiſerit. uidetur enim temere uniuiſſe. Deinde cum poſſet in hoc uiſcere unum uentrem magnũ efficere, cur in pinnulas multas & fibras ſecreuit, ad quam pulcherrime ſecundum Galenum quarto & undecimo de uſu partium dicendum eſt, quòd id factum eſt, ut in uiſcere nutrimentum immorans, in ſanguinem perfecte tranſmutetur. Si enim feciſſet ſicut in corde, ita in epate unum magnum ſinum, perinde ac ciſternam, aut lagunculam quandam, deinde per unam uenam in ipſum epar intromitteret ſanguinem, per aliam uero extraheret, ne breuiſſimo quidem tempore in epate remaneret cremor ex uentre delatus, ſed uelociter per totum uiſcus pertranſiret. Vt igitur multas traheret moras, & perfecte alteraretur, meatuum anguſtiæ factæ ſunt. Quemadmodum in uentre pyloròs hoc eſt ianitor anguſto nimis exitu productus eſt, ne quid integre non elaboratum excederet. Et in inteſtinis inuolutiones eadem ratione factæ ſunt. Ita in teſtibus ut diu permaneret ſemen, arteriæ & uenæ multi formiter inuolutæ creatæ ſunt. Sic & rete mirabile magis in cerebro inuolutũ eſt, q̃ reliqua omnia quæ diximus, quoniã maiori ſubactione ſpiritus animalis eguit, quo rerũ cõtẽplationi & organis ſenſuũ incũbimus. Vt enim Galenus inquit

ubi natura uult diutius nutrimentum manere, ibi tranſitum difficilem operatur. Si igitur unus magnus uenter fuiſſet conſtructus, non manſiſſet diutius in epate ſanguis, quod ut ne fieret, uenulæ gracillimæ, per eius ſubſtantiam diſtribuuntur. Ergo cum ſuccus ille chyloſus ad epar defertur, quemadmodum in mero qui non dudum ſit à racemis expreſſus, ſi propter calorem innatum quem habet, altereſcat, duo excremēta proueniunt, alterum leuius, & aereum, qui flos dicitur, alterum grauius, & terreſtrius quod fex & amurca nuncupatur. Simili pacto in chylo per alterationem à carnoſitate epatis, quod ſupernatat, dicitur flaua bilis, reſidentia & ſedimētum atra: medium uero eorum ſanguis eſt. Sed maximam naturæ ſollertiā in eo nunq̃ ſatis admirari decet. ſoli enim uentri & maxime eius ori (quod ſtomachum proprie uocant) ſenſum indigentie & inanitionis inſtituit, excitantem & pungentem animal, ut afferat cibos, quibus ipſum nutriatur. quod rationabiliter factum eſt, cùm enim totius corporis particulæ nutrimentum à uenis oriuntibus à caua trahāt, ipſa autē caua ex uenis epatis, & hæ iterū ex iis quæ ad portas, & illæ rurſus ex uentre & inteſtinis, cumq́ nulla ſuperſit particula, ex qua uēter accipiat, neceſſum fuit animalibus, ut uentriculum eſcis extrinſecus comparatis replerent, in quo maxime à plantis differre dignoſcuntur, quæ promptuarium ſuppoſitum & ſubmiſſum, ipſam (inq̃) terrā habētes, cui adnatæ & complantatæ ſemper aſſidēt, nunq̃ non habent copiam eius quod eas nutriturum eſt. ipſi autem ſubſtantiæ animalium non erat cōueniens alimenti ex terra attractio, nam longe à tellure abſunt, & motu uoluntario utuntur, & locum ex loco permutant, & hoc eſt quod dixit auerrois in libris de anima (q̃uis ut arabes ſolent, bleſe potius ceu nutu quodā protulerit) oportere, ut animalibus adſit appetentia iuuatiui & nocitiui, quoniam alimentum animalium non eſt in potentia in pluribus rebus ſicut accidit plantis. Illud uero hac in parte ſummopere aduertendū arbitror: ꝙ uentriculus non ideo concoquit cibos, ut aliis membris eos reddat accommodos. ſic enim non naturæ eſſet organum, ſed animal ratione præditum. inquit enim Galenus capite tertio libri de motionibus dubiis. Quodlibet mēbrū proprio intendit commodo & reparationi, nec quicq̃ de aliis, meditatur. Sic epar nō cōuertit chylum in ſanguinē ratione aliorum membrorum, ſed propter ſe. ordinatur autem in uſum aliarum particularum à natura uniuerſali, de cuius intentione multa in rebus fiunt, quæ non fierent ex parte particularis agentis, ut ꝙ aqua in ſublime aſcendat, ut inane euitetur. nam q̃uis motus ad ſuperna aquæ diſconueniat, cui naturalis latio ad inferna fuit contributa; tamē ut uniuerſitati obtemperet, nōnunq̃ in altum ſcandit. Sic igitur cor cum pulſus non cōcitet, ut alia membra refrigerentur, ſed in priuatam utilitatem, abutitur

nihilominus natura uniuerſalis pulſum uſu ad ſalutem totius corporis. Dico igitur quòd ſi uentriculus concoquit cibos, eſt propriæ utilitatis gratia, cum enim fuerint concocti, ipſe nutritur ex cremore in cuius elaboratione perſtauit, quod auctoritate Galeni cõprobatũ etiã relinquimus, inquit enim tertio de naturalibus facultatibus. Concoctio ciborum in uentriculo mutatio eorum eſt in propriam qualitatem, & infra ita inquit. Ventriculus quod in cibis optimum eſt, paulatim ſibi attrahit, & in tunicas ſuas reponit, ubi uero abunde ſaturatus eſt, quod reliquum eſt dimittit, ueluti onerosum aliquid. & paulo inferius. Venter poſtquam ad ſatiem ſatur eſt redditus, quod utiliſſimum in cibis eſt, in tunicas ſuas ſugendo adiungit. quod uero ſuper eſt tanquam alienum onus abijcit, ut hinc manifeſtus Auerrois ſecundo collectionum error percipi poſſit, atque deprehendi dum ait. Nutrimentum ſtomachi ex chylo magis ſimilatur qualitati, quam quantitati. perinde ac ſi uellet innuere, quòd ſolam aliquam malam affectionem remoueat à uentriculo chylus ſuapte qualitate, non autem nutriat. Illud poſtremum ſit quòd tam chylòs quàm chymòs (nam utroque modo dicitur) quemcumque ſuccum ſaporemue indifferenter deſignat, priuatim tamen ad cremorem illum qui per primam cocturam in uentriculo generatur, à medicis hæc nomina tranſlata fuerunt.

FINIS.

GALENI DE PRAENOSCENDO DOCTISSIMVS LIBELLVS ANte nunquam excuſſus, Antonio Iodouico medico Olyſſipponenſi interprete.

QVantum ſane ad quamplurimos medicorum attinet, ô Epigenes quæ in ſingulis morbis ægris contingere debent, præſagire impoſſibile eſt, ex quo etenim tempore, illi qui non adeo ut eſſent, ſed ut uiderētur, maiorem operā impendunt, non in re medica dumtaxat, ſed etiā in alijs omnibus artibus indies multiplicari cæperunt, pulcherrimæ ſane artes neglectui habitæ ſunt: ea autem ſtudioſe homines exercuerunt: ex quibus apud uulgus dicendo, uel peragendo quidpiam ad uoluptatem, laudem & approbationē quis utiq; referre poſſit. Qualia hæc ſunt, aſſentatoris modo palpū obtrudere, ſingulis diebus ſalutatum ire diuites, & eos qui in ciuitatibus quamplurimum poſſunt comitari, & eorum latus cingere, cum domo progrediuntur, & rurſus reducere, cum in domum ſeſe conferunt, ſtipare in conuiuijs, ſcurram agere. Quamplures enimuero uideas eorū, qui hæc non ſolum facere dignantur, ſed etiam ueſtium, & annulorum procuratione, quæ magno nimis adeo ualore conſtent, & clientum multo ſatellitio, & argenteorum uaſorum apparatu, priuatos & uulgares homines perſuadent, quòd dignam emulatione peritiam ſint conſecuti. Itaq; ex ijs omnibus cum partim quidem pariant uoluptatem, partim autem homines ignaros & imperitos ueracis rerū dijudicationis attonitos reddāt, & in admirationē agāt, ut quidem iſti arbitrantur, plurimis bonis potiuntur. ſed enim (ut ego dicerem) cum alia longe bona ſint, ipſi ſibi falſa perſuaſerunt. Porro cum tales ſint, cætera etiam num alis, præter id quod fas & æquum eſt, facere nequidquam uerentur, & in minimo tempore artes docere polliciti, immodicam diſcipulorum turbam accumulant, quorum lenocinio ut in urbibus, in quibus uerſantur, magna ſubinde auctoritate, & facultate polleant, ipſi præcario conſequūtur. Hæc igitur communis artium infelicitas, uitam quam nunc agimus, comprehendit. Medicæ uero facultatis calamitas, multiformis ſubinde eſt. Sed enim unum dumtaxat ex ijs quæ in ea paſſim contingunt, quæq; ad me maxime ſpectant, (quod præſens eſt) aggredi decreui. Quippe ſi quiſpiam medicus eorū qui legitime artem didicerunt, inſaniam, deliriūue futurum in aliquo ægro, uel rigorem, uel profundū ſoporem, uel ſanguinis fluorem, uel ſecus aures ſuppurationem, uel aliū quemcunq; abſceſſum in quamuis aliam par-

ticulam, uel uomitum, uel ſudores, uel uentrem alui deiectione cõturbandum, uel deliquium animi, uel quidpiam id genus prædixerit, admodum peregrinũ nimis, & oſtẽtum uulgaribus præ inſolentia apparet. Et tantum utiq; abeſt, ut qui prædixit, in admiratione habeatur, ut præclare ſecum actum putet, ſi non quiſpiam ſagus & ueneficus eſſe uideatur. Porro ſunt pauci quidam ipſorũ, qui talem quidem inſpectionem, ut impoſsibilem non deſpondeant, ſed enim actutum cum alios medicos, tum uero eum qui prædixit, interrogant: ſi quippiam tale etiamnum priores inuenere, uel dumtaxat ipſius ſolius qui prædictionem fecit: ſit peculiare inuentum. Hinc igitur utiq; neceſſe eſt, ut alij quidem medici, quo ſuam imperitiam abſcondant, ſiue quòd inter eos forte ſint aliqui qui reuera ignorẽt, à nullo priorum aliquid talium ſcriptũ eſſe dicant, eum uero qui talem prædictionem oſtentet, impoſtorem & diuinaculum eſſe contendant. Is autem ad quem prædictio pertinet, in eas anguſtias conijciatur, ut nec quòd quamplurimi eorum, qui præceſſere, & maxime Hippocrates, qui omnium nobis bonorum fuit princeps, ſuper ea re ſcriptum reliquerint, tum pudore præſentium medicorum, tum ut odij ſuſpitionem deuitet, quidquam mutire audeat, nec uero ſe ipſum inueniſſe aſſerere ſuſtineat. Quippe qui ſi hoc diceret, mendatium tum ipſe non effugeret, tum uero ab illis maiore in odio haberetur. ambiguam igitur undiquaq; quæſtionem quiſpiam ſuſtinẽs, eo quòd cunctetur (opinor) & conſilium ineat, ueneficij ſuſpitionem eo ipſo quòd perpetuo rem differat, inauget, & tandem poſtremo in ſe ipſum inuidiam excitauit, ita ut ab illis inſidias pateretur. Prima autẽ dato mortifero uenenato poculo inſidiatio eſt. Secũda autẽ quã Quintus ſubijt, qui cum multo longe melior medicis eſſet omnium qui eius ætate uixerunt, ab urbe tamen expulſus eſt, prætextu quòd interficeret ægros. Quapropter duorum alterũ pati eum neceſſe eſt, qui philoſophico animo artem exercet, & ratione illis Aſclepiadibus non indigna, uel ſcilicet ut perinde, & conſimili modo ac Quintus fugitiuus & extorris factus, præclaræ ſenſationis præmia, & monumenta reportet, uel calumniam aperte ſuſtinẽs (ſiquidẽ minime audaculus fuerit) partim quidem reſpõdens, partim autem pauore perculſus, leporis (quod aiunt) uitã aguet, tremens perpetuo, & quidpiam ſe operiens paſſurum, præter hoc quòd ueneficij ſuſpitionẽ inaugeat. Quòd ſi ualidior, & paululum uiribus fretus, cominus cõgrediatur, & ſolus plæriſq; ueteratoribus hominibus, & qui quàmplurimos maxime reprobos modos exercuerunt, ipſe ex ſtudijs & bonis diſciplinis profectus, & talium expers malorum, obuiam in pugnam procedere nitatur, hoc fieri neceſſe eſt, uel ꝙ per uim expugnatus, reliquum uitæ tempus ſub illorum poteſtate euadat, ut eo ſubinde quamcũq; tandem in rẽ uoluerint, abutantur. Vel utiq; (ſiquidem pluſculum reſiſtat & certa-

mini adeo parem ſe geſſerit, mirabili quadam fortuna uſus: at ſaltim ut perpetuo illud omnium bellorum nequiſſimum (quod inteſtinum uocant) quin & debellet, & debelletur, nequaquam effugere poſſit. Quapropter contingere neceſſarium eſt, in plurimis eorum qui ad hunc modum animo affecti ſunt, & aliorum quicunque ſincero animi affectu ueritatem in honore habuerunt, non quo quidpiam ſibi rerum externarum compararent, ſed ipſam propter ſe ipſam: ut quando uel ſemel iniuſtitiam quæ uitã (quam nunc agimus) continet, fuerint experti, & manifeſte cognouerint, quod in nullum uſum hominibus futuri ſunt, ut à multorũ, uulgique colluuione faceſſant, & ueluti in hyeme ingenti, & uentorum turbine, atque tempeſtate, uel ſe ipſos ſaltim eripere ab impẽdenti exitio, & ſaluos facere contendãt. Hij utique quàm plurimis quidem, & uulgarium hominum turbæ ignoti ætatem agũt, noti uero, & chari maxime & imprimis dijs, deinde optimis uiris in quiete uiuunt. Omnium horum hominibus cauſa eſt, eorum (qui in ciuitatibus diuitijs pollent, & plurimum poſſunt) luxus, qui cum uoluptatem uirtutem ultra uenerentur, in nulla ratione ponũt eos qui pulchrum aliquid cognouerunt, & alijs ſubinde exponere poſſunt. Sed potius toti illis qui uoluptates ſuppeditant, intenti ſunt, & hos nimirum opibus accumulant, & admirantur, & ſublimes tollunt. Itaque hiſtrionũ qui in theatro fabulam ſaltãt, & aurigarum imagines, deorum ſtatuis pari gradu aſſidentes facere ſubinde haud uerentur, eos autem qui bonis litteris animum excoluerũt, in tantũ honorant, quoad eorũ opera, & uſu ſubinde indigent. Quod etenim in ſingulis pulchrũ eſt, non contemplantur, nec ex illis eos qui ſunt exacte eruditi ſuſtinent. Sed enim geometria & arithmetica, quantum ad ſumptuum, & expenſarum rationes, & ædes extruendas facit, aſtronomia autem, & diuinatoria facultate, quantum ſane attinet ad prænoſcendum, quorum nam hæredes futuri erunt, in tantum ijs artibus abutuntur. Quemadmodum & muſica non amplius indigent, quàm quatenus aurium demulcendarũ uoluptatem aucupentur. At uero horum omnium ualorem & ſummam dignitatem obtinentem philoſophiam, nec demõſtratiuam inſpectionem ulla ratione curãt. Præter quàm quatenus nonnullos rhetores neceſſitas impellit, & uſus, ut contẽplatione (quæ ſophiſtice uocatur) tanquam organo ueteratorio, & inſtrumento quo callide imponere poſſint, utantur, ipſam etenim philoſophiam nullo dignam momento exiſtimant. Sed ex omnibus diſciplinis quas homines profitẽtur, hanc omnium maxime inutilem eſſe ſibi perſuaſerunt, cui ſi quis ſtudiũ impẽdere uelit, non minus operam ludat, quàm ſi milium perforare nitatur. Hij igitur ſunt, qui ad medicæ facultatis ſolum uſum neceſſarium reſpiciunt, nec adhuc ſatis recte, ſed quemadmodũ Plato alicubi inquit, ſiquidem medicum, & coquum apud pueros & imprudentes homi-

nes iudicatum iri oporteat, quis nam illorũ ſit potior, non paulũlum quid magis ſed plura utiq; coquus retuliſſet. Hæc itaq; ego cum ignorarem, quo tempore primũ Romam peregre me contuli, nihil ſubinde tale ſuſpicans, non utique uerbis nudis & exilibus dumtaxat, ſed ipſis artis operibus facultatem demonſtrabam, cum & futura prædicerem, & morborum aptas curationes facerem, donec tale quid cõtigiſſet (ut ipſe noſti) qui a principio uſq; ad finẽ uniuerſæ ægritudini Eudemi peripatetici philoſophi præſens interfuiſti. Nam cum die quadam poſt balneas inæqualitas quædam illum imprimis: deinde rigor ab hora octaua corripuiſſet, in inedia ſeſe continere, & cibum non ſumere coactus eſt, poſtera die tametſi inculpate ſe haberet, tutius tamen arbitratus eſt, ut horam octauam nihil comedens tranſmitteret. Sed enim cũ uſque ad nonam, & porro ultra eſuritionem tuliſſet, nec quicquam in ea moleſtum inuaſit, nec aliqua ſubinde mutatio apparuit, lotus & modica de cibo deguſtans, in die tertia (ut ſubinde ſolebat) nobis obuiam factus eſt. Verum enimuero ut in tuto magis res eſſet, uiſum illi eſt, ut etiamnum per eam diem ſuſpectas horas tranſmitteret. Itaque poſt octauam lauit corpus, & mediocriter alitus, nihil ſibi ipſi graue perſuaſum habuerat euenturum. In quarta autem dierum in qua nobis obuiam factus ad balneas proficiſcebatur, ridibundus, & ſubinde in te oculos detorquens, utrũ dixit etiam num per hunc diem, qui quartus ab initio agitur, tutius ſit octauam horã tranſmittere, uel balneo iam ſit utendum. Tu igitur proinde ac alij omnes qui aderãt, perinde ac ſi nihil mali futurum eſſet, lauatum iri iuſſiſti. ego autem ſolus tacebam. Sed enim cum ipſe me de ſilentio interrogaſſet, reſpondi nõ eſſe mihi perfecte ſine ſuſpitione compertũ, an principium aliquod quartanæ acceſſionis in prima die in qua pulſus tangere, & arteriarum ictus explorare iuſſit, factum fuerit. Sed enim quandoquidẽ (inquã) pulſum tuũ naturalẽ (ſine quo modicas eius mutationes in id quod præter naturã eſt, agnoſcere operæprecium nõ eſt) minime ante nouerã, idcirco nihil exploratum ſuper ea re manifeſte diffiniui. Quemadmodum nec nunc tibi quidpiam amplius dicere poſſum, præter ſuſpitionem quam tunc temporis concepi. Hoc igitur dicto cum facile lotus eſt, tum uero mediocriter de cibo ingeſſit, deinde ſub ueſperam cum me accerſiri iuſſiſſet, & rurſus denuo pulſum eius mihi tangere præcepiſſet, eandem aſſertionem quam ante balneum, & magis adhuc confidentius quam tunc ex me audiuit. Huius igitur rei gratia ſatius uiſum eſt, ut diem ſequentem ſeptimam quidem a principio futuram, quartam autẽ ab illa exactius obſeruaret. Quapropter in domo ſubinde commoratus, tum lotus eſt, tum uero cibos plures ingeſſit, cum eum perfecte & in totum febre uacare medici aſſererent. Ego itaque tibi cum me rogitando interpellaſſes (omnino enim ſat ſcio: hoc meminiſſe debes) ſuſpitionem

mihi inceſſiſſe dixi, quòd præludium minimæ cuiuſdam quartanæ acceſſionis contigiſſet, deinde ad balneas diſceſſi, ut ſub ueſperam ægrum quendam non prope habitantem qui mihi uiſendus erat, ſuſpicerem. Porro Eudemus cum lotus eſſet, confeſtim quidem mox alimoniam aſſumpſit. Sed enim non multo poſt ſpatio elapſo, calorem per totum corpus diffuſum perſenſit, quem cum ex potu quem biberat, occaſionem habuiſse arbitraretur. (uinum enim uetus heſterna die hauſerat) hoc ipſum medicis nonnullis familiaribus expoſuit, ſed uero cum etiam num illi prompte in uinum culpam reieciſſent, nihil adhuc graue futurum ratus, in quarta poſt calorem factum tum lauit, tum uero more ſolito cibatum accepit. Cũ uero iam palam febricitare cepiſſet, tum plane quartanum circuitum eſse perſuaſus eſt. atque ex hoc me ſolum tempore ſubinde laudibus tollebat, ut qui exacte pulſus tetigiſſem, cum antea in ſola contemplatione philoſophica eximiam, & maxima ratione dignam habitudinem mihi eſse opinaretur, eorum autem quæ ad medicam facultatem pertinent, obiter curam poſuiſse me dumtaxat credidiſset. audierat enim patrem cum ad philoſophias me adduceret, per euidentia inſomnia fuiſse imperatum, ut non tanq̃ diſciplinam quampiã præter opus, & ab inſtituto alienam, etiam num medicæ opis decreta me ſubinde edoceret. Hoc autem mihi ſecundum quandam fortunam (ut etiam ipſe noſti) accidiſse contigit. nam cum ineunte autumno quidam homo ægritudinem acutam laborauiſſet, deinde cum iam à morbo uires reſumeret, ad quintam horam circiter febricitare cepiſſet, ego ubi hominem inuiſiſsem, tibi præſenti manifeſtiſſimam inuaſionem eſse quartanæ circuitionis exacte aſserui. Nempe quando ſecundum proportionem reditio ſubinde per quartã facta eſt, cum prædictionem à me factam ex te Eudemus accepiſſet, adhuc amplius, ut mihi animum attenderet, perſuaſus eſt. Quapropter poſtq̃ acceſſio ſubinde rediens in orbem, in magnitudinem proceſsit, optimis quibuſque medicis in unum coactis ex his qui in ciuitate erant, de morbi medela ut conſiderarent, quid nam faciundum eſse cenſerent dignatus eſt. Ego autem ſpontis meæ libenſque relictus ſum, cum nollem uerbis tenus cum illis digladiari. Vt uero famatiſsimis eorũ uiſum eſt, ut theriacam ipſe ebiberet matutino in illa die in qua acceſſio per quartam ſubinde reuertens futura expectabatur, illis iam digreſſis (ut noſti) te præſente me rogauit, quam nam ſententiam ſuper ciuſce medicaminis uſu haberem. Cognoſcis itaque quo pacto ipſi reſponderim, nihil ſubinde hæſitans, quòd nõ ſolum nihil præſidij & emolumenti medicamentum id allaturum eſſet, ſed etiam num duplam quartanam efficere deberet. Sed enim cum cauſam me ille reddere iuſſiſſet, propter quã in hunc modum ſic reſpondiſſem, incoctum adhuc morbum perſtare retuli, hoc autem præſidium quo uti uellet, talem uim habere, ut humorum uitium incoctum (cacochy-

niam uocant) & maxime in principio hyemis conducat, ſed tamen ita ut conturbet intus omnia, cum nec perfecte concoquere, nec diſcutere poſſit. Hæc igitur ego Eudemo in reſponſum reddidi, ſed etenim poſtera die, cum ad eum inuiſendum medici diluculo uenissent, cum nondum nos præſentes adeſſemus, pharmacum propinauerunt, tum quia illis ſubinde exponere ea que à me illi dicta fuerant, erubuiſſet, tum uero quòd ſimul omnes medicos qui ad eum uiſendum conuenerant, tanquam ſtipulantes cum inſtantia, haud quaꝙ modicum pharmaci oblationem illum iuuaturam fuiſſe, uno ore polliceri conſpiceret. Sed uero cum nihiloſetius ad eandem ſubinde horam acceſſio inuaſiſſet, interdum ita uſu in prima potione uenire dixerunt, ut moueretur morbus, & concuteretur, quòd ſi ſecundo bibiſſet, & rurſus pharmacum deuoraſſet, in totum morbus extirparetur, & omnino ſanus euaderet, ſi quidem in ea die in qua acceſsio per quartam ſubinde recurrens futura expectaretur, ſimili modo ac ante fecerat medicamētū acciperet. Atque illi quidem cum hæc dixiſſent, bona ſperantes abierunt. at uero quartana nequaꝙ circuitum ſequentem expectans, præter opinionem ſub octauam horam inuaſit multo fortior, quàm priori die feciſſet. Itaque cum ſummo mane medici cōueniſſent, rurſus (ut noſti) idem pharmacū exhibere operæprecium eſſe arbitrati ſunt. Quin & cum dediſſent in ea proportione (quæ priori acceſſioni reſponderet) medicamentum, receſſerunt. Porro acceſſio proportione reſpondens priori acceſſioni, ordine ſolito inuaſit, tum uero quæ ſecundo poſt ipſam facta eſt, quo circa poſt ueſperam me interrogauit, quam nam expectationem de futuris haberem. Ego autem (ut noſti) cum lationē arteriarum eius probe didiciſſem, nunc quidem ad præſens (dixi) impoſſibilis exiſto, ut quidpiā ſecure tibi ad interrogationem reſpondere poſſim: craſtino autem fortaſſis potuerim, ſimul ac conſpexero omnia, quæ noctu nequaꝙ dicenda cōtingent. Ergo cum ſub auroram aduentaſſem, & ijs conſpectis diligenter aſſeruari rurſus ſi quid de lotio interea reddidiſſet: iuſſiſſem, circiter horam quartam rediturum me dixi. Itaque mox ut tum urinas conſpexi, cum redijſſem, tum pulſuum ictus ſubinde pluſculum immoratus tetigiſſem: tertiam quartanæ inuaſionem ſub eandem ferme horam adfuturam eſſe illi conſtanter aſſerui. Ego itaque cum dicto receſſi, paulo autem poſt ad inuiſendum Eudemum aduenerunt cum Sergius, tum Paulus qui non multo poſt tempore elapſo prætor urbanus factus eſt, & flauius qui & ipſe cōſularis cū eſſet, circa Ariſtotelis philoſophiam acri ſtudio incubuerat, ſicut etiam num Paulus. Quibus cum omnia quæ ad me pertinebant: Eudemus enarraſſet, hodiernam prædictionem de futura inuaſione eum mœrore afficere dicebat, tametſi nihiloſetius diligenter obſeruaret, quemnā tandem euentum res ſortitura eſſet. Enimuero cum circa eandem horam qua præce-

dentes ingruerant,etiam num illa acceſſio inuaſiſſet. Eudemus quidem tum ipſe admiratione afficiebatur,tum uero omnibus eum inuiſentibus meas prædictiones notas faciebat. Hij autem propemodum omnes erant, quicunque in urbe Roma tum dignitate,tum doctrina longe cæteris præſtabant. Boethum itaque cum me adſummum in anatomica ſpeculatione exercitatum audiuiſſet, iam me rogaſſe contigerat, ut tum de uoce,tum de reſpiratione quo pacto fierent, & quorum inſtrumentorum adminiculo perficerentur,quidpiam oſtenderem. Vt igitur meũ nomen cognouit, tũ hoc ipſum Paulo narrauit,tum etiam me ab illo rogatum iri dixit,ut poſt experientiam quidpiam etiamnum ipſi oſtendere uellem,nihil etenim eſſe quod non ſpectaculo eorum quæ in diſſectionibus apparẽt,indigeat,Paulus dicebat. Simili modo Barbarus patruus Lucij imperatoris qui in Meſopotamia uocata prouincia erat, ſimul etiam ipſe quemadmodum Paulus:eiuſce diſciplinæ particeps fieri præcabatur. Poſtea uero etiam Seuerus uir conſul qui circa Ariſtotelis philoſophiam inſudauerat,animum in eam rem induxit. Quo pacto igitur quæ ad diſſectiones pertinent, geſta fuerint,cum probe admodum cognoſcas, breui duntaxat recordatione paulo poſt futura opus erit. Interea ad ea quæ circa Eudemum acciderant,reuertor. Cum etenim à tribus quartanis conficeretur,à medicis tanquam deſperatus fuerat relictus, cum iam media bruma eſſet. Ego autem tum quia præceptor eſſet, tum quòd prope eum forte fortuna me habitare contigerat,neceſſitatem habebam obtẽperandi, ut eũ cum me bis in die uocaret,inuiſerem. Porro ſub eiuſce temporis articulum Antigenes unus ex Quinti diſcipulis,qui cum Marino collocutus fuerat, de me cachinnos tollens,& qui omnium medicorum primas habere credebatur,adeo ut omnes qui plurimum in urbe poſſunt,curandos ſuſciperet.(me Hercules, haud noui, quid ita ſibi uideretur) eos qui me laudabãt,irridens,nõ multo poſt eos cognituros fore dicebat,quem nã laudibus ferant,quando Eudemum pheretro elatum uiderint. atque cũ hæc diceret interdum ad præſentes idiotas,id eſt priuatos homines ſermonem conuertens,interdum etiam ad medicos uultum deflectens aiebat. Eudemum ſexageſimũ tertium annum agentem,& tres quartanas habentem,in medio hyemis curaturũ Galenus ſe pollicetur. Tu quidem igitur ô chariſſime Epigenes tum prædictiones poſt hæc in eo factas,tum medelam quam adhibui, noui ſatis quòd prædicans perſtitiſti, mihi autem inuidiæ tum primum principium factum eſt,cum in admiratione habitus eſſem,tum ob uitæ honeſtatem,tum propter opera quæ in arte edebam. Quippe ex tribus quartanis eam quæ primo cepit,cum in tali die ceſſaturam fore prædixiſſem, miraculo ſum habitus,poſtquam uero etiam in tempore ſtato diffiniendo,in quo ſecũda ſoluenda foret,uerus extitiſſem,omnes obſtupuerunt. Sed etenim ut uel in tertia

ſaltim

ſaltim aberrarem, deos deprecabantur. Cum uero etiam num illa in die à me præſignata ceſſauiſſet, non de prædictionibus ſolum, ſed etiam ob curationem gloriam non modicam conſecutus ſum. at uero antigenes parum abfuit, quin tellurem ſubiret, propter conuitia quibus temere me fuerat proſecutus. Simili autem modo ac ipſi antigeni contigit, Martianus cuius ipſius maxima gloria apud medicos iuuenes erat ſub illud tempus, & adbuc prius, eo quòd maximam diſſectionum peritiam habere putaretur. Quin & libri duo diſſectionum ab eo ſcriptarum ſtudioſe legebantur. Hic (inq̃) cũ & ipſe moleſte ferret ob id q̃ Eudemus prædicaret, nõ ſolũ laudatũ iri debere me ab omnibus iuſte, ſed etiã oportere ut me cuncti admirarẽtur, nõ ex arte medica prædictiones has à me fieri, ſed ex diuinatoria calũniabatur, qui cum à quibuſdã interrogaretur, quam nã diuinatoriã facultatẽ diceret, interdũ quidem Oonisticen, id eſt quæ auguria captat, interdũ autem haruſpicinã quæ uictimarum exta rimatur, nõnũq̃ ſymbolicen, uel mathematicen aiebat. Poſtremo cũ dies iã inſtaret, in qua perfectã abſolutionẽ tertiæ quartanæ acceſſionis futuram ipſi prædixerã, apud Eudemũ tale quid factũ eſt. Circa horã nonã ad inuiſendum Eudemũ Martianus profectus nõ paulo uehemẽtiorẽ, ſed ualde multo præcedenti acceſſione præſentẽ exacerbationẽ exiſtere cũ dixiſſet, cõfeſtim uultu hilari, & ſplẽdido receſſit, cõſpicuo præ ſe ferens q̃ geſtiret perinde ac ſi prædictio à me facta, mẽtita deprehẽſa fuiſſet. Sed etenim cũ Eudemus illa die morbi ferendi facilitatem quãdã qualẽ nunq̃ antea perſenſiſſet, ut audacter cõſideret, q̃ minime (quod ad prædictionẽ attinet) fallẽdus eſſem, operiebatur, ut alius etiã medicus ad eũ uiſendũ proficiſceretur. Cũ autẽ nõ unus ſolus ſed bini, & terni ſeſe cõtuliſſent, quippe obſeruabant omnes, quẽ exitũ prædictio ſortiretur, deprecãtes, ut ſaltim uel in tertia quartana quæ reliqua erat, tũ in prædictione laberer, tũ in curatione illi adhibita falſus inuenirer. Eudemus itaq̃ ut & illi ſententiam ſuam ederent dignabatur. Sed enim cũ eãdẽ reſpõſionẽ audiuiſſet, quã Martianus fecerat, & ſimul illos Martiano hilariores factos animaduertiſſet, ipſe quoq̃ percepit q̃ ipſi etiam gaudio exilirent: perinde ac ſi tum prædictio, tum curatio à me factæ fruſtratæ euaſiſſent. Porro cum ego præter morem ſolitum cunctarer in quadam uiſitatione detentus, crebro ad me uocandum famulos miſit, cũ prope habitarẽ (ut dixi) leuitatẽ in ferendo morbo quàm habebat, à me iudicatum iri uolens. tandem cum adueniſſem, ille nec quoad ſederem ſuſtinens, manũ porrexit iubens, ut pulſus tãgerem. Vt uero contigi, me rogitabat cum ſtudio, quid nam tandem annunciarem. aſt ego leniter arridens, quid aliud quàm bona? (inquam) qualia hæc ſint, dixit ille, ſpeciatim mihi expone. Ego autem ſuſcepi, an non ſatis tibi ſuperque eſt, cum ſummam & caput ipſum af-

N

ſatim audieris,ut de futuris gaudeas : nullo pacto inquit : namque etiamnum ſecũ-
dum partes audire geſtio. Quando igitur ita uis,audi inquam.hac nocte perfecte ab
omni morbida affectione liberaberis, & tum ab accidentibus quæ nunc te præmũt,
tum etiã à futuris ſolutio conſequetur.atque hoc(dixi)nuper mihi per pulſuum cita
tiones natura quæ tuum corpus diſpenſat , ſignificauit quam concitatam conſpi-
cio,perinde ac ſi omne uitium contentum in humoribus,ex corpore extrudere contẽ
dat. Excipiens ille quomodo igitur(inquit) à natura hoc tibi ſignificatum eſſe di-
cas,non enim locuta hæc expoſuit:mihi reſponde. Omnino enim noſti,quòd tuum ma
gis ſermonem,quàm omnium horum frigidorum medicorum ſequar. Quoniã(inq̃)
lationem arteriarum in ſublime extulit longe plus, quàm utramq; aliarum dimenſio-
num quod perpetuo facere conſueuit , quando à corpore excernere nititur quod no-
xium eſt. Hæc cum dixiſſem, ſuſcipiens Eudemus dixit,ſed quandoquidem complu-
res excretionis uias natura ſecuit. namque & uomitus , & aluus diſrupta , quin &
ocyus urinarum copia, nec non ſudoris multi excretiones , adhæc ſanguinis è nari-
bus defluuia,item mariſca conſueta repente profluens euacuationem ſubitam opera-
ri cõſueuerunt,tuæ utiq; artis proprium fuerit, ut mihi euacuationis ſpeciem inter-
preteris. Cum ſanguinis fluor è naribus futurus eſt(inquam) hæc & hæc ſigna
præuia præcedunt,ſicut & ſudorum hæc. Quin etiam in ſermone appoſui ſigna,
quæ ad uomitiones futuras præcedere cõſueuerunt. Sed enim euacuationis copioſæ
per uentrem futuræ, & decretoriæ nullum ſignum peculiare habemus , ſed ex eo ꝙ
nullum aliorum adſit,conſequens ſane fuerit,ut hoc in te futurum eſſe ſperemus. Tũ
ille dialecticis inquit rationibus id quod fieri debet,inueniſti. Hæc quidem inter nos
ſub ueſperam diſſeruimus. Cum autem diluculo ad eum uiſendum aduenisſem : ipſe tu
prædictionis caput audiuiſti,cum non mediocriter (ut ſolebat) loqui philoſophus
ſuſtinuiſſet,ſed exerta uoce ad omnes nos amicos ingrediẽtes, uociferaretur, ꝙ Py-
thius apollo Galeni ex ore ægris uaticinia reddere uoluiſſet , cum hoc ſimul quòd
eos medicaretur, & perfecte in die præfata ſanitati refferret. Ergo ſolutionẽ mor-
bi quæ facta eſt,(integre enim iã ualere me ſum perſuaſus,)cũ ex multo ante tẽpore
pronũciaſſet,curationẽ ſimul cũ præſagio adhibuit,meq; ex tribus quartanis libera-
uit,in quas cũ ex intẽpeſtiua potione theriaci medicaminis incidiſſem, poſtq; tẽpus il-
lius exhibendi factũ eſt,hic nihil illis muſſitãtibus exhibẽs me incolumen perfecit, cum
tamẽ ab eis irrideretur,ſi quidẽ per hyemis tẽpus ſenẽ uirũ tribus quartanis laboran
tẽ ſanaturũ ſe arbitraretur. Porro medicæ artis idiotæ cũ hæc audirẽt : oẽs gaude-
bãt,eo ꝙ cõmune bonũ euaſurũ me ijs qui Romæ agerẽt,perſuaſũ habebãt, at uero
Martianus nõ ſolum medicus,ſed etiã nũ amicus,cũ pronunciationẽ de agitatione in

arterijs facta, quam illi tumultuariā exiſtimātes, ut nō decretoriam pertimuerant, á me habitā audijſſet, & Eudemum offendiſſet qui exacte ſecūdum naturam ſeſe haberet, laudare quidē nec uerbo tenus, me ſuſtinuit, cum autem ad Sandalarij apollinis tēplum deſcēdiſſet, forte obuius mihi factus eſt, mox autē nequidquam me ſalutato, ut de more habebat, rogitauit utrum legiſſem librū ſecundū de prædictionibus Hippocratis. Deinde uero cum annuiſſem ego, & quód mihi recte nonnulli medicorum pronunciare uiderētur, nō eſſe genuinū Hippocratis id opus, omnino ergo (inquit) cognoſcis quæ in eo ſcripta habentur. Ego autē talia (inquam) non uaticinor, ſed quorſum hoc á te dictum eſt, tum ille modo ſe ab Eudemo digreſſū fuiſſe retulit prædicante, quód heſterna ueſpera cum pulſus tetigiſſem, excretionē per infernam aluum futuram prædixiſſem, ita ut poſt hac non amplius febri corriperetur. Ergo hæc illo dicente dumtaxat reſpondens ego ab Eudemo non autem á me hæc audiuiſti, confeſtim præterij, profectuſq; ad Eudemum narraui quod factum eſſet, & malitiā medicorum qui præcellebant, admiratus ſum. Ille autem merito mihi hoc ita contigiſſe retulit, cauſas multas afferens, quas propter qui in hac patria medicinā exercent, ad ſummum malignitatis euaderent, atque eas omnes ordine in hunc ferme modum proſecutus eſt. Nequaq̃ exiſtimes quód boni uiri in hac urbe improbi euadant, ſed enim quicunque mali eſſe præuenere, rerum gerendarum materiam hic (lucra inquā multo maiora quám quæ in externis urbibus habeant) inuenerunt. Quin & plæroſq; diuites effectos conſpicientes, eorum actiones multiplices emulandas ſibi propoſuerunt, ita ut ex quám plurimis cauſis operæprecium ſit, ut in extremam malitiā proficiāt, quarum tibi nonnullas recenſebo: ut pote qui ex multo tēpore periculū fecerim. Nō enim ſolū natura, nec rerum dumtaxat ex quibus lucra comparātur materia, improbitatem auxit eorum, qui ſuapte ſponte ſunt improbi, ſed etiā diſciplina uiarū impoſturæ conſecuta eſt, quas uidebāt ab ijs qui ſibi ſimiles eſſent, exerceri. Deinde ꝙ in emulandis ijs exerceantur, quódque ſi ab aliquo forſam ueteratoriam facere fuerint deprehenſi, ad alios qui eos ipſos non cognoſcant, tranſitum facere poſſint, quibus tutius exhibeant quæ primum infeliciter obtulerunt. hoc (inquam) non utique exiguam uim habet, ut minime unquam imponendi finem faciant, & fucum facere quieſcant. Sed uero qui in paruis ciuitatibus uitam agunt, cum nec á lucrorum magnitudine, tanquam eſca alliciantur, quēadmodū qui Romæ ſunt, & facile á ciuibus cognoſcātur, tāetſi uel minimū quid deliquerint, inexercitatā cōtēplationē habēt. Enimuero hoc in loco ꝙ nō cognoſcātur ab omnibus quæ ſingulis diebus ueteratoriā faciētes agūt, malitiā naturæ eorū nimiū hoc adauget. Imponunt enim ijs qui eos ignorāt, ꝙ eos ante nunq̃ cōſpexerint, & maxime cum illos cōtra nōnulli propter

ſimplicitatẽ morũ remordere non poſſint. Quẽadmodum ipſi interſe, uel ſi minima quapiã iniuria afficiãtur, mordẽt. Quẽadmodũ ergo apud nos qui latrocinia faciẽdo graſſãtur: cũ alijs iniuria faciẽda eſt mutuã interſe opẽ ferre cõſueuerũt, ſibi ipſis autẽ parcũt, ad eũdẽ modũ eorũ nihilo abſimiles ſunt, qui cõiurati õẽs in hac urbe aduerſum nos faciunt, ſed enim eo ſolũ à latronibus differũt, ꝗ per urbẽ nõ in mõtibus malitiã exercent. Hæc cũ dixiſſet, aſt ego ſepius (inquam) iam propoſitũ meũ te audiuiſſe arbitror, ꝗ ſimul ac ſeditio in patria mea quæ nunc uiget, quieuerit, cõfeſtim me ab hac urbe profectũ cõſpicies, & exiguo adhuc tẽpore hic commorabor, ita ut ocyus ab aſtu & nequitia horũ improborũ hominũ faceſſam. Sed neſciũt illi hoc tibi datũ eſſe Eudemus dixit, quod ſi forte nouerint, quẽadmodũ ipſi mẽtiũtur omnes, ſimili modo te mẽtiri exiſtimabunt. Et ſicuti ipſi inopes, & indocti exiſtentes, cum in proprijs patrijs diſcere nõ poſſint, eo ꝗ alia (quæcũꝗ prædixi) defraudãtes cognoſcantur, in hanc urbẽ ſeſe cõtulerunt, ad eum modũ alios in eã fuiſſe profectos arbitrantur, ita ut abire nolint, priuſꝗ argentum copioſum cõflauerint. Quod ſi à ciuibus genus tuum, & poſſeſſionẽ audierint, ꝗ ex inopibus nõ ſis, omnino hoc à te propterea ut audituri decipiantur, cõmentũ fictũ fuiſſe dicent. Quæ enim ipſi feciſſent, hæc de omnibus ſuſpicantur. Hæc cum Eudemus dixiſſet, & alia id genus, quin & adieciſſet præterea ꝗ ſi minime fraudibus nos lædere, & circũuenire poſſent, ad inſidias per uenena cõuertantur, & inter narrandum iuuenem quẽdam qui annos decẽ circiter ante in urbem ſeſe cõtulerat, cum artis apparatum ipſis operibus perinde ac ego: oſtenderet: ab illis una cum duobus famulis, cum quibus uenerat, uenenatis potionibus fuiſſe ſublatum retuliſſet. Gratias tibi ago (inꝗ) chariſſime magiſter, quẽ omnia quæ ad eorũ improbitatẽ attinẽt, mihi enumeraſſe nõ piguit. Ego enim in tuto meipſum ſeruabo; & ſedulo hoc agam, ne cominus aduerſus eos cõgrediar, & imperitiam eorũ præcipitẽ operatus, ab hac ingenti, & quæ multorũ hominũ millibus ſcatet urbe, ad paruã & quam pauci numero hoĩes incolunt recedã, in qua oẽs nos ipſos mutuo cognoſcimus, tum ex quibus parentibus nati ſumus, tum uero quonam pacto de litteris, de facultatibus, de moribus, de uita habeamus. Ergo ad hoc cõuerſus ignorãtiã eorũ, & improbitatẽ redarguere nihil curaui, ſed prædictũ iuuenẽ ad quẽ cõfeſtim cũ adueniſſẽ, in prima die acceſſiõis quartanæ ĩuaſionẽ factã fuiſſe aſſerui, in manus ſuſceptum curaui, ſtatum morbi ſolutionis tempus (ſicut in Eudemo feceram) prædicens. Quid quod a te rogatus hominẽ quendam Charilamponis cubicularij, quemadmodum Græci omnes huius tẽporis nũcupant, uel ſomatophylacis id eſt corporis cuſtodiã agẽtis, (ut qui curioſius Attice loqui uolũt) in neruo percuſſum ſanaui, cum nullus ex medicis qui in palatio uerſabantur, hoc facere poſſet.

*Et poſt eũ in Sãdalario aliũ rhetoris Diomedis famulũ, cuius morbi diſpoſitionẽ
nec probatiſsimi ex aula inuenerãt, ſed per cõtraria lõge ſetius ꝙ par erat, curationẽ
faciebãt, paucis diebus ſanaui, cũ diuturnũ fore morbũ prædixiſsem. Sed & ineũte
æſtate in ijs qui Romæ primas tenebãt, tũ prædictiones tũ curatiões magna laude
dignas perfeci, unde magnã gloriã apud oẽs (ut noſti) cõſecutus ſum, & magnum
erat ubiq; nomẽ Galeni. Sed enim una cũ gloria ſimul inuidia augebatur ab illis or-
ta, qui ſeipſos quidpiã eſſe exiſtimabãt. ut qui pote à me in quacũq; artis parte uince
rẽtur. Qua propter urbẽ circũ curſim perambulantes, cũ alius aliud quid calũniare-
tur, dicebãt hic quidẽ ꝙ forte fortuna hũc quẽpiã perſanaſſem, cũ temerario & peri
culoſo curationis modo uſus fuiſſem, alius autẽ uitio dabat, ꝙ ex diuinãdi arte nõ au-
tẽ ex medica cõſideratiõe prædictiones fierẽt. acceſſit præterea quæſtio quã cũ ſtoi-
cis & peripateticis habui, cũ Boethus eos ſimul in unũ cõgregaſſet, ad hæc etiã Iu-
ſti uxor quam cũ tabeſceret abſq; hoc quód particula aliqua affecta uideretur, nõ ſo-
lũ amare, ſed etiã cuiuſnã amore teneretur deprehẽdi: atq; paulopoſt unde hoc inue-
nerim dicetur. Porro certamẽ quod aduerſus ſtoicos & peripateticos geſſi, cũ alij
nõnulli ſimul cũ illis præſentes tũ medici tũ philoſophi intereſſent, prius tibi in memo
riã referã proſequẽs, unde habuit exordiũ, ut ſi aliquibus dignis horũ ſermonũ cõmu
nionẽ impartiri uelis, hoc cõmẽtariũ ſeriẽ omnem rerũ geſtarũ cõtineat, & nequaq̃
ipſe negotiũ habeas, in enarrãdis omnibus quæ tũ per opera medicæ artis, tũ per diſ
ſectiões & ſermões ſuper ijs habitos à me ſunt geſta, cũ inuidos medicos & philoſo-
phos redarguerẽ. Quippe ab illis laceſſitus ad hoc deueni, cũ Homerus me docuiſset:
hominẽ ulciſci quicũq; prius moleſtus eſſe pergat. Tale igitur principiũ conuerſatio
cũ illis habuit. Flauius Boethus uir cõſularis quãtũ quidẽ rerũ pulchrarũ cupidus eſ-
ſet, & diſcẽdi ſtudio teneretur, etiã tu noviſti, præceptore is utiq; Alexãdro Da-
maſceno qui etiã uũ Platonis ſcita nouerat, ſed Ariſtotelicis magis placitis adhæ
rebat: utebatur. Quãdo igitur me admonuit, ut per diſsectioues edocerẽ, quo pacto
uox atq; reſpiratio fierẽt, tũ hœdos, tũ ſues multos comparauit. Quippe ſimijs nihil
indigere diſſectionẽ dixi, cũ ſimilẽ cõſtructionẽ partiũ nõ adeo hæc animalia ſolũ,
ſed etiã oĩa ferme pedeſtria obtineãt, tãetſi ex omnibus ferme quadrupedibus: quæcũ
que uocẽ magnam ædunt, lõge utiliora ijs habeantur, quæ uoce exiliori ſunt prædita
ad exhibẽdum aſſumpta demõſtratiua, ut fides quæſtionis propoſitæ haberetur. Por
ro in oſtenſione quæ fieri debebat, aderãt cum alij nonnulli, tum Adrianus rhetor
nõdum ſophiſtam agens, ſed adhuc cũ Boetho uiuẽs: & Demetrius Alexãdrinus
Phauorini ſodalis qui publice ſingulis diebus ſecundum formam dictionis Phauo-
rini ad propoſitas quæſtiones dicebat. Enimuero cum antequam ad diſſectionẽ fa-*

ciendã me accingerẽ, dixiſſẽq́; ꝙ ipſe quidẽ oſtenderẽ, quæ ex diſſectione apparerẽt, quæ uero exinde concluderentur, ratiocinari non adeo me ſolo melius, ſed maxime ex omnibus hoc facere magiſtrum Alexandrum poſſe ſperarem, alij quidem omnem ſermonem ut modeſtum acceperunt, cum honorem Alexandro haberent, & ſimul ut progreſsus ſine contentione ad totam ſubſtantiam fieret. Cognoſcis enim ꝙ hoc affectu ab omnibus Alexander notaretur, quemadmodũ tũ etiã aperte monſtrauit. Nã cum ego neruulos quoſdam minutiſsimos oſtendere promiſiſſem, ita ut trichoides, id eſt capilliformis quædam cõiugatio muſculis pharingis enaſceretur, alijs quidem ex ſiniſtris partibus prodeuntibus, nõnullis autem ex dextris, quibus uinculo interceptis, uel ſectis, inuocile animal euaderet: cum tamen nihil (quod ad uitæ functiones attinet) læderetur, ſuſcipiens Alexander antequam hoc oſtenderetur, hoc primo dixit, ſi tibi concedatur oportere nos, ut credamus ijs quæ per ſenſuum internuntium apparẽt. Quæ cũ ego audiuiſſem, relictis illis diſceſſi, unũ ſolũ locutus, ꝙ falſus cogitatione eſſem, cũ ad agreſtes Pyrronios de omnibus hæſitantes me uenire nõ putaſſem, aliter enim non in eum cœtum me cõtuliſſẽ. Porro poſtq̃ ego illinc abij, cum alij, tum uero Adrianus, & Demetrius Alexandro ſuccenſuerunt, qui cum ſemper inimico animo aduerſus illius cõtẽdẽdi libidinẽ affecti eſſent, probabilem tum occaſionem habuerunt, ut eum uehementer reprehenderent. Poſtq̃ autem omnibus bonarum litterarum ſtudioſis, quotcunque in Romana urbe erant, hoc innotuit, & Seuero, & Paulo, & Barbaro, omnes nimis adeo eum obiurgauerunt, & præſentibus ipſis diſſectiones fieri uoluerunt: cum ad hoc ipſum munus omnes alios quicunque tum in re medica, tum in philoſophia præſtabant, in unum cõgregaſſent. Enimuero cum pluribus diebus conuentus ageretur, & oſtendiſsem ego quòd inſpiratio diſtincto thorace fieret, expiratio autem cum contrahitur. Quin & muſculos laringis & præter hoc neruos qui in nos diffunduntur, quòd exortũ ex ſpinali medulla facerent, commonſtraſſem. Et quòd latio ſpiritus ad extra non uiolẽta, expirationẽ nõ ſonorã operaretur, uiolẽtã autẽ eſſe reliquã, quæ cũ fragore perficitur, quã efflationẽ nõiamus. atque item præterea inſinuaſsem: ꝙ hæc ſola talis in egreſſu per guttur percuſſa à neruis in chondro, id eſt in chartilagine exiſtẽtibus uocẽ ederet, & ꝙ hi à muſculis mouerẽtur, & quòd inſuper nerui eos mouẽtes, cũ male affecti euaderẽt, inuocilitatẽ efficerẽt, & tãdẽ cũ oẽs qui obloquerentur (quãdo hæc oſtẽdebã) redarguiſſẽ, Boethus ut eorũ omniũ cõmentaria haberet, me rogauit, cũq́; ipſe amanuenſes miſiſſet, qui per notas ocyus ſcribere conſueuerunt, oĩa tũ diſputata, tũ oſtenſa illis dictaui, nequaq́; prouidẽs: ſi plæriſq́; ea cõmẽtaria propalaturus eſſet. Et hactenus ô Epigenes nullus ijs contradicere auſus eſt, quamuis interim in

medio anni quindecim fuerint elapſi. Nã tãetſi cõplures cõtradicere laborarunt, & operam ſuã præſtiterunt, ut uel hoc ſolum quod contradixerint, audiantur, nunquam tamẽ ſcripta hoĩbus ſtudioſis iudicanda producere auſi fuerũt. Ergo quod supereſt, de cætero (quod pollicitus ſum) tibi enarrabo hiſtoriã, quam præſenti ſermoni apponere oportet, maxime quoniam nonnulli medicorum ſophiſtarum enarrantes quanã ratione amorem pellicis paternæ inueniſſe ſe Heraſiſtratus ſcribendũ ſibi putarit, per hoc quod arteriæ adoleſcentis ictibus quibuſdã amatorijs perſonarẽt, ex pulſibus id inuẽtũ eſſe dicere ſuſtinẽt, & quod paternã pellicẽ amaret. Ego uero quo nã pacto Heraſiſtratus hoc cognouit dicere non poſſũ, quo nã modo autẽ ipſe cognouerim, iam tibi referam. Cõuocatus quidẽ ſum ad inuiſendã mulierem, eo quod noctibus uigilare diceretur, & ſe ipſam momento in uarias decubitus formas tranſmutaret. Porro cum eam febri uacantem inueniſſem, interrogaui de ſingulis particulariter & ſigillatim quæ ipſi contigiſſent, ex quibus cauſis peruigilium contingere nouimus. Ea autẽ uix uel nequidquam in totum reſpondebat, præ ſe ferens quòd fruſtra interrogaretur, & poſtremo cum ſe in aliam partem cõuertiſſet, & ſuperiectis ueſtibus ſe ipſam totã corpore uniuerſo contexiſſet, & alio exiguo reticulo caput obuelaſſet, decubuit perinde ac ij qui ſomno indigent. Cũ igitur inde ego abijſſem, duorum alterũ eã pati cognoui, uel quòd mœrore propter atrã bilẽ afficeretur, uel quòd alicuius rei triſtitia affecta confiteri nollet. Quapropter in diẽ poſteram diſtuli, ut exactius ſuper ijs cognoſcerem, quo cum abijſſem, primum quidem famulam quæ hoſtium obſeruabat audiui, quòd eam modo conſpicere impoſſibile eſſet. Porro cum ſecundo adueniens hoc ipſum iterum audiuiſſem, tertio rurſus redij, dicente autem famula ut recederem, eo quòd mulier moleſtari nollet, & cognoſcens quòd me diſcedente ea tum lota eſſet, tum uero conſuetas dapes ingeſſiſſet, poſtridie ueni, & cum ſolus multifariam cum famula collucutus eſſem, aperte cognoui quòd aliquo mœrore uexaretur, quem forte fortuna inueni, quali ſubinde fortuna Heraſiſtratum uſum fuiſſe mihi perſuadeo. Nam cũ nullo affectu urgeri corpus mihi ante perſuaſum eſſet, ſed quòd animali quapiam animi ſollicitudine mulier præmeretur, forte ita contigit, ut in eodem ſubinde tempore, quo ad eam uiſendam fueram profectus hoc amplius confirmaretur: cum quidam ex theatro adueniens ſaltantem ſe Pyladem conſpexiſſe retuliſſet, quippe mox ipſi tum uultus, tum color permutatus eſt. Aſt ego cum hoc cõſpexiſſem, carpo mulieris inijciens manũ, pulſum inæqualẽ ſubito multipliciter factũ deprehendi, qui ſane pulſus animam conturbatam, & tumultu affectã demonſtrat. Idẽ ipſe illis etiam qui circa rẽ quampiam ſollicití uerſantur cõtigere ſolet. Poſtridie igitur cũ cuidã meorũ famulorũ mãdaſſẽ, ut quãdo

quòd cum anima perturbationibus cietur, quacunque ratione affecta, pulſus alterentur, ita ut nec æqualitatem naturalem, nec ordinem obſeruent. Vnico igitur duntaxat appoſito ex quo confeſtim quidem Boethus obſtupuit, cũ autem audiſſet, quo pacto inuentum eſt, non amplius admirari ſe dixit, ſed potius tanq̃ imperitos deſpicere eos, qui ita id theorema enũtiatumue ignorarent, ad aliud quidpiam enarrandum trãſibo. Nam cum alter filiorum eius ægrotaſſet, deinde uero cõualuiſſet, morbuſq; ſubinde reuerſus eſſet, & poſtea iterum quieuiſſet, & poſt hæc rurſus puer denuo febricitare cepiſſet, atque ego dicerem, quòd ipſe clãculũ comederet, nã quæ in aperto darentur: præter quàm quòd qualitatibus cõuenientia exiſterent, etiam num quãtitate commoderata eſſent, matrẽ pueri cuſtodem inſtituit pollicitam, ꝙ eum exacte cuſtodiret, ita ut per totam diem aſſideret, prohibitura ingredi eos, qui in domum illã ubi is lecto decũberet, introire uellent, cum cubiculum eius interne ab ea diligenter obſeratum & occluſum eſſet. Poſtquam quaternis diebus in hunc modum in cuſtodia habitus per noctem calefactus eſt: Boethus ægre ferens me ſuſcepto ad uiſendũ puerum in domum ducebat: eum uero comitabantur omnes quicunque per uiam obuiam ſeſe tulerunt, in quibus eras tu. Porro ingreſſus offendi puerum, qui ſimul ex cubiculo cum matre ad aliam domũculam proceſſerat, in qua erat lectus, ſuper quem mater pueri ſedebat, ſcabellum autem quoddam paulo infra medias lecti partes iungebatur, in quo puerum ſuper reclinatum obſeruabat, ut nullus ad eum accederet. Ad hæc uerò cathedra una ſcabelli erat, qualem commenſuratam, & mediocri magnitudine in collo ſupra ſe ipſa habere ſolent, è regione autem ſcamni ad lecti ſupernos fines ſibi ipſis proxima bina ſedilia iacebant, ſuper quibus Boethus cum nos ſedere feciſſet, & ipſe iuxta uxorem ſeſſitaſſet, adduxi (inquit) hũc Galenum, ut à te audiat de exacta cuſtodia, quæ in ijs diebus puero adhibita eſt, ut nihil in uictu deliquerit, atque ut primum conſpiciat, num quid reuera per noctem febricitarit, uel tu cum mihi eum calidiorem factum retuliſti, præ formidine falſa cõiectura ducta fuiſti, ut febrem eſſe putares calorem: qui propter aliam cauſam forſitam fuerit ſubortus. atq; ita ut quonam pacto peragat nobis exponat, & ut ſimul cuncta quæ ad eius uictũ attinent: te edoceat. Ergo cum ego in carpi dearticulatione pueri arteriam tetigiſſem, ipſum ſine febri perſtare dixi: adeo ut inde mihi cauillorum principium, quibus me præſtringerent, illis ſuppeditaretur, qui me uatem & diuinaculum nuncupare ſolent. Suſcipiens igitur Boethus dixit, & ego apud illos (ut noſti) te uatẽ uocare cõſueui quando tale quid dixeris, quale impoſſibile eſſe ut per artis medicæ theoremata hoc eſt præſtita cognoſcatur, qui tibi in arte ſunt emuli aſſeuerant. Sed enim hactenus omnia talia (dixi) me tibi monſtraſſe memini, ut per inſpectionem medicã in-

uenientur, præterquàm q; plerique medicorum ea ipſa ſcripta in commentarijs reliquerint. Ergo cũ omnes ut iam diuinationem ederem imperaſsetis, ego uos ſubinde precatus, ut dũtaxat adhuc ſemel mihi pulſus pueri explorare liceret, poſtq̃ hoc feci: teſtatum habebis (inquam) ô Boethe neminem me tecum ueniente cum per totum itineris ſpaciũ mutuo inter nos collocuti fuiſſemus, mihi dicendum uaticinium prænũciaſse. Cũ is itaque ſe teſtaturum cõceſſiſſet, noſti quo pacto ego leniter arridens, attendere, & porrigere ad audiendum aures præcepi, cum tale quid uatis effatum eſſe dicerem. Huic (inquam) Cyrillo hac in domo quidpiam eorum quæ edendo ſunt, abſconſum eſt, ut quando in balneas mater eius proficiſcens domum clauſerit, deinde ut res ſit tutior in ſeram hoſtij iniecta claue, fores exacte obſignauerit (hoc enim ſingulis diebus ipſam facientem audio) eius gnatus eo quod occultauerat arrepto, ad eũ modum ſine arbitris ingerat. Hæc cum Boethus audiuiſſet, cõfeſtim impetu ad puerum facto, cum loco corripit, & eo in lectum tranſlato, ſterni ſcabellũ iubens, quod occultum fuerat inuenire conabatur, perinde acſi mox apparere deberet. Poſtq̃ autem tũ lodices omnes, tum ſubſterniculum excuſſum eſt, rurſus imũ ex tomento ſtramentum excuti præcepit, deinde cum cathedrã extuliſſet, ſedulo cõſiderabat, nũquid quidpiam ſubtus occultum palam appareret. Porro cũ nihiloſetius nec ſic quidquã apparuiſſet, tranſlato ex lecto puero in ſcamnum: & lectum omnẽ denuo excutiens, reuoluenſque rurſus ſterni præcepit, & cum riſu me ſubinde reſpiciens, quid nã (inquit) tandẽ nunc dicit uates? Ego autem admiratus quòd nihil occultum reperiſſet, quibus in locis putauerat, quod ſolum inquiſitum non fuerat, cum nullus in eo quæſitum contineri ſuſpicatus eſſet, ſublatum excuſsi, hoc autem exiguum prorſus erat matris ſuæ reticulum quod ſuper cathedram iacebat, eo autem excuſſo panis particula ab eo contenta in tellurem cecidit, quod cum eueniſset, uos omnes una cum Boetho ridentes, & uaticinium commendantes, maximam uocem & plauſum extuliſtis. Enimuero Boethus qui ſuper oẽs riſu diffuſus fuerat, admirabatur quo pacto quod abſconſum eſt edendo aptum: pulſus ſignificare poſset. Sed enim quòd facturus puer foret, cum mater iret lauatum, à me ſignificatum eſt. Itaque ad eum hunc in modum reſpondi: ô acerrime hoc non cognoſcentibus pulſibus Galenus coniectauit, nam ianua exacte occluſa ut per multum ocium ſe puer licenter ingurgitare poſſet, non arduum erat conijcere, ſed enim quòd quidpiam clanculum abſconditum eſset, & quòd illud quod occultum eſt, edendo ſit aptum, pulſus mihi non annũciauit. Verumtamen cum turbatos eos conſpexiſſem: percepi (quẽadmodum in muliere amante, & in ſeruo domino rationem reddere timente) eam turbationem ob aliquem animalem affectum fieri, præſertim cum perfecte ſine febri in totũ puer per-

ſiſteret. Rogabis forſam quibus coniecturis motus, edendo eſſe quod fuerat abſconſum aſſerui, audi igitur. Cum cauſam dicturus puer non ſit, nec luctari, uel pancratio hoc eſt quinquertio experiri debeat, uel omnino oſtentationem quampiam ſit facturus, qua uel anima alijs, uel corpore præſtare cenſeatur, nec in totum de aliquo fuerit obiurgatus, animæ turbationem ex cibi importuna aſſumptione fuiſſe factam coniecimus. Cum ergo Boethus hæc audiuiſſet, per deos nequaꝙ admiratione affici ſe dixit, ſi hac ratione medicamenta, & curationes quas nullus medicorum nouit, cognouiſſem. Conſpicuum namꝗ eſſe, quòd nec ipſi tale opus aliquando oſtenderunt, adeo ut me quiduis potius quàm ex medica facultate eas res facere dicãt. Hij autem nõ ſolum (inquit) ignorare uidentur, qualis nam ſit pulſus eorum, qui aliquod certamen obire debent, uel qui de re aliqua ſolliciti ſatagunt, & conturbantur, ſed neque ſi quidem aliquis eorum forte fortuna cognouiſſet, quæ ipſe ſubtili ratiocinationis indagine collegiſti, ſubinde ratiocinari poſſit, eo quòd nec naturali prudentia ualeant, nec rationẽ exercitam diſciplinæ obtineant. Sed enim (inquam) probe quod ad malitiæ opera pertinet, tum probe exercitati, tum utique ſapientes ſunt. Horum igitur ô Epigenes ipſum te teſtem adhibere poſſum. Multorũ autem aliorum nedũ omnium: quæ in prima mea peregrinatione geſſi, alios complures teſtes habeo, quin & idipſum ab iiſdem qui à me curati fuerunt, ipſi tibi audiuiſſe licuit. Porro admirandum illud re uera fuit geſtum, quod non ſolum me paradoxologum, id eſt inopina dicentem, (ut complures medicorum prius nominabant) ſed & paradoxopœum hoc eſt inopina facientẽ uocari fecit. Boethi namque uxor cum in uocatum fluxum muliebrem incidiſſet, & medicos præſtantes à principijs quidem muliebri quodã pudore uereretur, quorum unum iam me omnes eſſe exiſtimabant, obſtetricibus cõſuetis optimiſque ex omnibus quæ in urbe erant, ſe ipſam cõmiſit, cum autem nihil iuuaretur, omnibus nobis congregatis, quid nã faciendum foret, Boethus cõſiderabat. Poſtꝙ autem omnes in hoc conuenimus, ut iuxta traditam curationem tũ ab Hippocrate, tum ab optimis medicis qui eum ſecuti ſunt: cuncta fierent, atque ipſe dignaretur, ut frequenter ego famulas illi miniſterium præſtantes inuiſerem, & ut materias particularium præſidiorum uiderem, ad uniuerſalem ſcopum reſpiciens, cuius hoc erat caput, ut non ſolum uteri loca, ſed etiam totum corpus deſiccaretur. Quin & muliebribus locis aſtringentia unguina adhiberem, ad hunc modum faciebam. Sed enim poſtea quam cum hæc rite feciſſent, morbus in deterius abire apparuit, merito omnes nos ambigere cepimus, dum aliam curationis rationem quærimus, ad quã ſubinde tranſiremus, cum nullus nec per rationem inuenire, nec meliorem curationem per experientiam meminiſſe poſſet, ꝙ eam quam optimi medici confiterentur. Por-

ro cum ita res haberent, tumor quidam ſub hoc tempus in uentre uiſus eſt, qualem mulieres grauidæ habere ſolent, adeo ut fœminarum nonnullæ quæ eam curabant, quia reuera concepiſſet, intumuiſſe uterum exiſtimarent. Haud tamen quiſq; ex alijs medicis ita perſuaſus eſt. Nam defluxionis muliebris notæ quæ per ſingulos dies excernebantur, huic opinioni contrarium teſtabantur. Ergo cum ea matrona cui eius ſeruandæ cura commiſſa erat, & quam optimã eſſe crediderat, perinde atq; in prægnationibus fieri ſolet, tum ſubinde reliqua ageret, tum in ſingulos dies lauaret, forte ita contigit, ut in prima domo balnearum uehementiſſimo dolore facto, quales parientibus accidere conſueuerunt, humor aqueus tanta quantitate excerneretur, ut animi deliquium paſſa à balneis mulier reduceretur. Porro cum mulieres quæ circa eam erant: clamarent ſubinde, & uociferarentur, nec ulla, nec pedes, nec manus, nec os uẽtriculi (quod ſtomachũ cõſueto more nuncupant) perfricaret, ego forte fortuna ante ianuam balnei externam aſſiſtens, ut clamorem audiui, intus inſilui, cumq; eã refrigeratam conſpexiſſem, aſſumpto nardino unguento, uentriculum ſubinde perfricui, præcipiens præſentibus ne temere uociferantes ſtarent. Sed ut aliæ quædã pedes calefacerent, aliæ manus, nõnullæ autem naribus ſuaues odores adhiberent. Tunc quidẽ igitur ocyus eam recepimus. Enimuero obſtetrix magno pudore afficiebatur, cum alui tumor ob euacuationem ſubſediſſet, non adeo q̃ in partus opinione decepta fuiſſet, quãtũ q̃ nobis fidem illi nõ habentibus aduerſaretur, ut quæ rem ſcientifice nouiſſet. Ergo cum ſinguli ambigerent quid faciendum eſſet, & non iuxta eandem intentionem quam prius habuerant, mulierem curandam eſſe, ſed ad aliud quid transeundum audacter cenſerent; noctu mihi cogitanti tale quid ſubijt. Cum animi defectus ipſi (ut dixi) accidiſſet, quando mulieres nihil opis afferre, ſed plorantes ſtare dixi, & ego ipſe unguento nardino in manus aſſumpto, uentris os, & ilia confricui, ſubinde recordatus ſum, me quòd in ijs locis tantam mollitiem muſculorum, qui in hypochondrijs ſunt, inueniſſem, (cum in principio ego uiolentius eos perfricare in animo propoſuiſſem) formidantem ne carne per uim preſſa, aliquam particulam liuidam efficerem, à uiolentia deſtitiſſe. Namque ut ſiquis extreme aſſimulare uelit, ſimilia lacti quod ad caſei genitum cogitur, non tamen adhuc coagulatũ eſt, omnia iuxta ilia apparuerunt. Ergo immodicam humiditatem (cum affectus aquoſus inſtar muſtei lactis exiſteret) deſiccandam fore omnes communi aſſenſu decreuimus. Enimuero cum curationis modum inuenire oporteret, non ſolum ex materia quæ deſiccandi uim haberet, ſed etiam quæ non calefaceret, ne corpus liquefaceret, cum frigidæ temperaturæ immodice exiſteret: & maxime quoniam æſtatis tempus erat, ſub illud tẽpus nos contrarium faciebamus: in marina arena calida eam reclinari facientes. Por

ro cum cõmunius aliud quid delictum quod ſingulis diebus à medicis in quàmplurimis morborum cõmitti ſolet, ratiocinatus eſſem, qui ſuperfluum quidem ut excernatur, curam adhibent, ut uero ſimilis humor illi qui excretus eſt, non gignatur, prætermittunt, cogitaui ut intentionem uictus facerem tum per potionem minimam, tum perfrictionem totius corporis, quin & per unctionem quæ fieret non per picem, & reſinam, ſed ex melle ſolo quod plurimum quidem decoqueretur: & in tantum infrigidaretur, ut fontium latici (qualem æſtatis tempore habere conſueuerunt) æque algidũ euaderet. Quid quod excremẽticiam & ſuperfluicam humiditatem, quemadmodum per ſummam cutem diſcutere melius eßе cognoui, eodem modo ad ueſicam ipſam deducere præſidijs, quæ ciendi urinas uim haberent, atque ut partim per imam aluum ſubduceretur, diligenti cura cõniterer, ſatius eſſe mihi perſuaſi. Enimuero cum ſeptem ferme ſecutis diebus poſt illam copioſam excretionem, in quibus Boethus nos omnes adhortabatur, ut tum in commune, tum priuatim aliquem curationis modum quæreremus, horum præſidiorum periculum fecißem, ipſum à præſentibus tum famulis, tum amicis abducens, domi ad hunc modum allocutus ſum. Cum nihil (inq̃) uſque in hodiernum diem, nec in uno quopiam ex medicis operibus aberraße me ſubinde probe admodum cognoſcas, conſidera tute ipſe, ſi decem integris diebus mihi cõcedis, ut circa uxorẽ tuam agam, quòd ſi ſingulis diebus indies melius habere uideatur, poſt hæc denuo alijs totidem mihi permittes aliquid circa ipſam agere. Quòd ſi aliud faciundum iudicas, tunc in totum ego ab ipſa perfecte recedam. Cum autẽ facilis mihi ipſe prompteq́; conceſſißet, primum quidem medicamentum quod aquam prolíceret, ad eam euacuandã exhibui, poſt hæc autem iuſſi, ut aquam biberet in qua tum aſarum, tum apium decoctum eßet. Poſtq̃ autem primis diebus duobus ijs peractis, nihil de fluxu apparuit, tertia rurſus non multã quantitatem exhibui de medicamento quod per infernã aluum excerneret, quod prius in uterum uergebat, cum non ſolum per urinas, ſed etiam per aluum imam ſubducere humorem, & deriuare uellẽ. Poſt hæc autem tum ex melle per ſingulos dies inunxi, tũ cõfricui totũ corpus imprimis quidem per lintea molliſſima, deinde per duriſſima, tum uero carnes auicularũ quæ in montibus degunt exhibui, tum piſcium, qui incolunt petras. Porro cum ex ijs præſidijs ad curationem uterer, nullum morbi ueſtigium apparuiſſet, Boethus ut pote qui probe noßet, quòd ſupra quàm pollicitus eram fuerã operatus, tum ut perfecte morbum perſanarem præcabatur, tum ut quo in reliquum tempus nequaquam ſimili modo morbus ſubinde reuerteretur, tuẽdæ ſanitatis rationẽ formulasue præſcriberem. Poſtq̃ autem menſe uix dum exacto probum uenuſtumque colorem exacte recepit, ut nihil à naturali habitu ad amuſſim intereſſet, nihilq́; ſubinde defluxio-

nis apparuit, quadringentos mihi quidem aureos miſit, quo facto inuidiam cumulo adauxit, qua me hij egregij generoſiq; medici proſequuntur, cum me laudibus commēdare non deſiſteret. Quid quod ipſe etiam quemadmodum & Seuerus Marcū aurelium imperatorem, qui ſub id tempus Romæ agebat, de meis rebus certiorem facere promptus erat. Nam Lucius ab urbe peregre profectus erat propter Parthicum bellum à Bologeſo excitatum. Ego autem cum eorum ſtudium cōſpexiſſem, ueritus ne ſi illi quidpiam facere præueniſſent, à reditu in patriam Aſiam prohiberer, admonui, ut ad breue tempus continerent. Ego namq; dixi me illis tempus dicturum, quando hoc mihi fieri uelim. Igitur ubi ſeditionem compreſſam quieuiſſe cognoui, ſubito ex Romana urbe diſceſſi, uidelicet prætextu quòd in Campaniam proficiſcerer, uno famulo relicto, qui domeſtica ſeruaret, cui præcepi ut cum nauigium obſeruaſſet, ex ijs quæ in Aſiam ſoluerent, die quadam accerſito quopiam ex ijs qui in Beburæ uico inſtitoriam faciunt, uenditis quæ in domo erant, confeſtim egrederetur, & nauim inſcendens in patriam proficiſceretur, recta in Siciliam nauigans. Hæc quidem igitur paulo poſt geſta fuere, ego autem in Capuam profectus, illinc in Brunduſium feſtinus iter direxi. Cum autem illuc perueniſſem, decreui ut in prima naue quācunq; nactus eſſem, ſiue in Durachium, ſeu in Grætiam ſolueret, mare tranſmitterem: ne quis forte uirorum ualde potentum, uel ipſe etiam num imperator, cum noſſet me tanquàm fugitiuum exijſſe, milite miſſo in Romam reuerti cogeret. Ego quidem igitur ad hunc modum poſt diem alterā in Caſiopen nauigaui, Enimuero cum amici quos Romæ reliqueram, me quærerent, famulumque quem domi relictum offenderunt, interrogaſſent, ubi nam agerem, ubi audierunt quòd in Campania commorarer, imprimis quidem quod eſt factum ſuſpicari ceperunt, procedente autem tempore cum nec me, nec meum hominem in Roma conſpexiſſent, feciſſe me, quæ ab initio prædixeram, cognouerunt. & uix tunc omnes perſuaſi ſunt, qui prius perſuaderi non poterant, mihi re uera in animo datum eſſe, Romā relinquere, & nō falſo, ſed ueraciter hoc dicebam. Porro non multo poſt tempore exacto, cum Lucius reuerſus eſſet, rurſuſque belli alterius, quod aduerſus Germanos debellatum eſt, principium conſtitiſſet, agitatumq; eſſet ſermone facto, de ijs qui operibus, non uerbis, tum medicam facultatem, tum philoſophiam oſtentarent, non pauci eorum qui circa eos aderāt, me talem exiſtere nominarunt. Ergo cum iam ab urbe extra egreſſi fuiſſent, ut bellum gererent, diffiniuiſſentque ut in alythia commorarentur per hyemē, cum exercitum compararent, & ſimul in numerum colligerent, ad me miſerunt iubentes, ut ad eos uenirem. Sed cum Lucius media bruma ad deos ſe recepiſſet, frater eius comportans in Romam corpus, & circa illud legitima fieri faciens, recta

iter in Germanos direxit iubens me ut eum ſequerer. Sed enim cum bonus & perhumanus eſſet, ipſum (ut noſti) perſuadere potui, ut Romæ me relinqueret. nam ocyus breuique poſt rediturus erat. Ergo omni tempore quo ille peregre commoratus eſt, ego cum conſuetæ malitiæ, tum medicorum, tum philoſophorum qui in urbe agebant, probe memor eſſem, decreui ut ab ea interdum alias in alium locum me reciperem, in quo filius eius Commodus ſe contineret, qui ſub Pytholao educabatur, qui ab ipſo imperatore Antonino mandata acceperat, ut me ad pueri curationem (ſi quãdo morbo corriperetur) uocitaret. Porro cum præter omnium expectationẽ ipſe in bello Germanico ſubinde moraretur, per hoc totum tempus tum philoſophicas, tum medicas commentationes multas conſcripſi, quas amicis poſtulantibus tradidi, rege in Romam reuerſo, cum apud illos ſolos eas futuras ſperaſſem. Nam ſi indignis eas tradẽdas fore reſciuiſſem, utique nec illis unq̃ tradidiſſem. Indignos autem uoco eos, qui animam praue affectam habentes, non ut diſcant quidpiam ad lectionem ſe conferunt, ſed ut aliqua ex ipſis cauillari, & præſtringere poſſint. In iis igitur libris omnis conſideratio tum prænotionis quæ per pulſus habetur, tum uero aliorum ſignorum quæ ad præſagia pertinent, ſcripta eſt. Ergo prænotionem quam in altero ex Quintialij filiis feci, ſi quidem tu ex qua nam contemplatione facta eſt, diſcere uelis, facilis utique & conſpicua nimis tibi erit, cum cõmentarios de iudicationibus legeris, præter hoc q. à pueris, tum in Geometria, tum in dialectica ingenium exercuiſti. Plæriſque autem iis medicis qui ſeſe ut in operibus artis exercerent, nullam curã fecerunt: in calliditatem autem cõuerſi, artem potius qua dolis, & uafriciis agerẽt, exercuerunt, impoſſibile eſt, ut quidpiam eorum quæ ſcripta ſunt, uel audiant, uel intelligant. Sextus igitur adeo acutiſſimo morbo laborare cepit, ut ſeptimam ſine iudicio tranſmittere non poſſet. Quæ nam autem huius ipſius præfinitio ſit, per commentaria de iudicatione ſcriptum eſt. In quibus etiam illud expoſui, quòd ſepiuſcule iudicatio ante prærumpatur, diem nequaq̃ expectans in qua fideliter morbus decernatur. Hoc autem Sexto contingere poſſe quarta die cognoui, ut Pytholao cubiculario rogitanti, ut de futuris reſponderem, hoc ipſum prædixiſſem. Hic enim cum de me quòd plæraque quæ ſapientiſſimi medici impoſſibilia eſſe putabant, prænuntiaſſem, periculum feciſſet, ideo me rogare cepit. Igitur ipſi ita ſubinde ridibundus reſpondi, q. ultra ſeptimum diem morbus amplius procedere non poſſet, quin ſexta uel ſeptima omnino die iudicandus eſſet. Quòd ſi in ſexta iudicium accepiſſet, eum ſubinde reuerſurum, ſi autem ſeptimanus decerneretur, firmum iudicium habiturum. omnino autem per ſudorem morbum fore decernendum. Porro poſtq̃ ſexto die ita iudicatus eſt, quemadmodum prædixeram: Sextus cum extreme contentioſus eſſet, ut me

falſum redargueret,ſi morbus non rediret,per ſingulos dies lauabatur, nec uinum bibere, nec quidpiam ingerere uoluit præter ptiſanæ cremorem, uel ipſam ptiſſanam per ſe, uel cum micis panis.ſepiuſcule autem cum ipſe panem aqua conſperſiſſet, hoc ſolo contentus erat. Hæc cum uſq; ad diem duodecimam feciſſet, in ea meam prænotionem uiciſſe ſe gloriabatur. tertiadecima autem die, uini aquoſi modicam quandam deguſtatiunculam bibit, cum hoc uero totã uictus rationem priori modico pleniorem fecit, ut tamen adhuc tenuis uictus ſeruaretur. Sed enim ſequenti die quæ à primo decubitu decima quarta agebatur, cum febrire cepiſſet, iuſſit ut nullus eius rei me certiorem faceret, cum febrem uehementem minime gentium futuram arbitraretur, & quòd ultra unam diem non extendenda eſſet. Enimuero cum procedente die ſemper & magis febris uires aſſumeret, Claudius Seuerus cum in ſuam ipſius domum, quæ illius ædibus erat proxima, reuerſus eſſet, cum eum febri correptum audiuiſſet, ubi illum uehementer febricitantem offendit, inprimis quidem rogauit, quamnã ſententiam ego de principio febris, quæ nunc ipſi contigiſſet, habere uiderer. Vt autem ab eo quod erat uerum edoctus eſt, quòd ſcilicet contendendi ſtudio me certiorem non feciſſet, quendam propere famulum ad me deſtinauit: ut ad inuiſendum Sextum pergerem, & poſt hoc ad ipſum deuenirem, ijs factis me ſubinde rogitare cepit, quid nã mihi de ſubuerſione morbi uideretur, hoc igitur ipſi reſponſum dedi, quòd ſcilicet Sexto prædixeram: ꝗ poſt tres dies hæc inuaſio ſoluenda foret, cum in ijs febris abſ de calida fieret, deinde ſeptima poſt decimam die à principio iudicatum iri deberet. Sextus igitur cum ſuauiter nimis futuram in breui morbi ſolutionem audiuiſſet, prõpte mihi fidem adhibuit (nam quod quiſque uidelicet cupit uehementer, hoc etiam libẽter fieri debere opinatur) Seuerus autem quòd quidem in eo quòd Sextum à morbo incolumen euaſurũ fore dicerem, nõ fallerer mea opinione, mihi credidit, quòd autem ad diem pertinet, in qua exacte & perfecte à morbo liber euaſurus eſſet, nequaꝗ fidem adhibuit, difficile nimis eſſe arbitratus, ſi abſq; hoc quòd uel ſequentem diem operirer, quidpiam certum de ijs quæ in quarta die futura eſſent, pronunciaſſem. Porro cum ita animo affectus eſſet, profundo mane in domum Sexti famulum qui poſt futuram uiſitationem me obſeruatum ad ipſum duceret, dimiſit: ubi poſtꝗ Sextum inuiſiſſem, ad ipſum ſum profectus. aduerſaberis (inquit) illis quæ heſterna die dixiſti, uel in eiſdem perſtabis. Enimuero cum multo amplius quàm heri eadem pronunciare, & ſentire me dicerẽ, poſt prandium rurſus me uocatum iterum rogauit, ſi de iudicatione Sexto futura conſtanter perſuaſus eſſem, igitur à me audiuit, quòd nũc magis quàm heri, hoc illi certo affirmare poſſim. Cum autem ab illo iterum inquiſitus eſſem, utrum cum ijs quæ prædixeram, eandem ſententiam tuerer, uel quidpiam dictorum

ctorum abrogarem, à me audiuit quòd nihil quidem illorum mouerem, ſed adeo quidpiam prædictis apponere uellem. Ille autem rurſus ſubinde rogitare me cœpit: quid nam hoc eſt, audiuit autem quòd cum decimaſeptima dies præteriſſet, ſudor circiter ferme horam noctis ſecundam incepturus eſſet. Num igitur (dixit) hæc etiam Pytholao dixiſti? ego autem tum ipſi me dixiſſe retuli, tum uero illum perſuaſum eſſe, quòd nec in prædictione, nec in curatione falli deberem. Omnino igitur (dixit) Pytholaus imperatorem hac de re certiorem fecerit, forte (inquam) hic dixit, mihi autem nulla cura eſt de gloria, quæ pro ijs rebus mihi debetur. Non enim circumcurſitare ſoleo, meas tum prædictiones, tum curationes prædicans, ut maiori odio tum medici, tum philoſophi me proſequantur, cum ueneficum & diuinaculum me appellent, & alios id genus contra me in uulgus rumuſculos ſpargant. Vobis autem amicis quicunque ob horum imperitiam, medicam artem deſpectui habuiſtis, artem dignam tum apolline, tum aſclepio oſtendo, cum eam hij medici iniuria afficiant. Quemadmodum philoſophi probro philoſophiam inurunt, qui cum nullo ex uulgo melius uiuant, ſeipſos nomine philoſophiæ honeſto nominare ſuſtinent. Hæc igitur ego tunc Seuero dixi: tu autem ô Epigenes probe malignitatem medicorum ferme omnium nouiſti, qui palam me aberrare deprecabantur, adeo ut per totum diem mitterent, qui cognoſcerent, ut ipſis quod futurum eſſet, denuntiarent. Non enim reſciuerant quòd Seuero & Pytholao crepuſculo ueſpertino futurum principium iudicationis prædixiſſem. Poſtquam autem circa horam ſeptimam Sextum noua acceſſione correptum audierunt, ridibundi, & ut qui gaudium continere non poſſent, omnibus obuijs (adeo ut cauillis non abſtinerent) cum conuitio dicebant, quòd admirabilis Galeni diuinatio in contrarium euaſiſſet. Porro cum morbi iudicatio ut priori die prædixeram, ſub ueſperam contigiſſet, omnes pudore ſuffuſi gradum retro tulerunt, atque hæc quidem cum nihil mirabile prædictio continuiſſet ut tibi expoſui, tum per commentaria à me in primum de morbis uulgaribus conſcripta, tum etiam per tractationem quam de criſibus edidi. Hij igitur medici non ſolum quæ ueteres ſcripſerunt, ignorant, ſed nec dies poſt ſeptimam numerare nouerunt, & maxime ſi æger ſine febri factus rurſus ex reuerſione febricitat, tametſi ab Hippocrate in Epidemiarũ libris omnes dies in ſingulis morbis uſq; ad extremã ſolutionẽ ſcripti habeantur, quamuis non ſolum decimaquarta die, ſed etiã ſexageſſima, uel octageſſima ſolutio fieri contingat. Hæc igitur prædictio tãetſi mirabilis plæriſq; medicis apparuit, nõ tamen talis reuera fuit, ut nec curatio

Commodi filij eius cum cognitione præſentium à me facta, cum ille peregre pro-
fectus ageret. Mirabilis autem re uera prædictio fuit, quæ nunc in ipſo rege con
tigit, cum ipſe & omnes medici quicumque cum eo peregre profecti ſunt, quan-
dam inuaſionem febrilem incepiſſe ſecunda & tertia die, mane & circa octa-
uam horam opinarentur: ſed omnes in hoc decepti fuiſſent. Enimuero priori die
amarum medicamentum quod ex aloe conficitur, ſub primam diei horam accepe-
rat, deinde uero theriacā ut ſingulis diebus ingerere ſolebat, etiamnũ circa horā fe-
re ſextam accepit. Deinde autem circa occaſus ſolis tum lauit, tum modicum
quid de cibo aſſumpſit, ſed per totam noctem torminibus factis ſimul cum eua-
cuatione per infernam aluum, ut propter hoc ipſe febricitare cepiſſet: medici qui
circa eum aderant, ubi eum inſpexiſſent, imprimis quidem quieſcere præceperunt,
deinde uero ſorbitione quadam data ad horam nonam aluerunt. Ego autem poſt
hæc ſum uocatus, ut ipſe etiam una cum alijs medicis in regia cubarem. Venit enim
quidam lucernis tum primo accenſis, qui me uocaret ſubinde, ut ad imperatorem
proficiſcerer. Igitur cum tres medici eſſent, qui mane ſummo & circa auroram
eum inuiſiſſent, pulſuſque tetigiſſent, omnes inuaſionis principium fieri iudicaue-
runt. aſt ego taciturnus ſilentio ſtabam, quod cum rex conſpicatus eſſet, me ſub-
inde intuens rogauit, cur cum alij tetigiſſent: ego ſolus nō tangerem, tunc igitur ipſi
ad hunc modum reſpondi. Cum bis iam hij pulſus explorauerint, qui forte iam in
peregrinatione, quam ipſi tecum ſuſceperunt, periculo ipſo proprietatem tuorum
pulſuum cognouerunt, magis eos præſentem affectionem, quæ nunc te præmit co-
gnituros ſpero. Porro cum ego hæc dixiſſem, & ipſum me etiam contingere præce-
piſſet, ut mihi pulſus præter cōmunem totius tum naturæ, tum ætatis modũ abeſſe
apparuerunt ab eo pulſu qui principium inuaſionis ſignificare uideretur, inuaſio-
nem quidem nullam febris adeſſe pronunciaui, urgeri autem comprimique uentricu-
lum eius ab aſſumpta alimonia, quæ ante excretionem in pituitam conuerteretur.
Cũ autē dignotio ſubinde regi arriſiſſet, ita ut illi laude digna uideretur, ter deinceps
dicens, hoc ipſum eſt, hoc ipſum eſt, hoc ipſum (quod dixiſti) eſt: à frigidiori namque
cibo me grauatum ſentio, rogauit quid nā ſubinde facere oporteat. Tum igitur ego
illi quæ cognoſcebā reſpōdi, atq; ita ipſum ſum allocutus, ꝙ ſi quis alius eſſet, qui ad
hũc modũ afficeretur, ipſi utiq; uinũ (quēadmodũ cōſueui) pipere inſperſo epotādũ
dediſſē. In uobis autē regibus, cũ tutiſſimis præſidijs medici uti cōſueuerint, nardino
unguēto calido lanā cōſperſā, ſuper uētriculi os imponere abũde eſt. Enĩuero cũ ille
etiãnũ alias hoc ĩ more ſibi poſitũ eſſe dixiſſet, ut ſi quādo de uētriculo cōquereretur,
unguētũ nardinũ purpureis uelleribus calidũ ſuſceptũ imponeret, mox Pytholao hoc

ut faceret præcepit, & nos dimitteret. Porro cum unguentum impoſitum eſſet, & pedes calefacti fuiſſent ab ijs qui calidis manibus confricabant, uinum Sabinum petiuit, & pipere inſperſo potauit, Pytholaoq́; dixit, quód unum dumtaxat medicũ haberet, & hunc ualde ingenuũ, perpetuoque (ut ipſe tu quoque probe noſti) ſuper me dicere perſtitit, quód medicorum primus ego quidem eſſem: philoſophorum uero ſolus. Quám plurimos namque non ſolum auaritiæ obnoxios, ſed etiam contentioſos, & ambitionis ſtudio laborantes, & inuidos, & malignos, peruerſiſque moris expertus fuerat. Ergo (quod dixi mox) hac uiſitatione nullam aliam magis admirandam equidem mihi contigiſſe arbitror. Nam cum omnibus qui optime artem quæ circa pulſus uerſatur, exercuerunt, quæſitum eſſet, (quorum ſane unus archigenes fuit) quódnam eſſet inuaſionis peculiare ſignum, cum nonnulli in principio contractionis arteriæ inuentum iri: quidam autem nequaquam in totum contractionem ſenſu percipi poſſe dictitarent. Ego egregia quadam felicitate uſus (quid enim aliud quiſpiã per ſuperos dicat?) cum tactum maxime ſenſilem, ut uel minimas in pulſibus differentias perſentire poſſet, ſortitus eſſem: in tantum nonnullos medicos delinquere ſum expertus, ut cum illi quoſdam inuaſione corripi incipientes, in balneas lotum mitterent, uel nutriri, cibumque aſſumere iuberent, ego prohibuerim. Igitur cum perpetuo de me ipſo periculum feciſſem, quód principium inuaſionis exacte cognoſcerem: præcipiti quadam, & forte temeraria confidentia, ſed tamen regi conſtanter nimis, quám primum ipſius pulſus tetigi, contrariam aſſertionem & pronuntiationem facere ſum auſus, tum ab ea quam ipſe ex ſe ipſo opinabatur, tum uero á medicis audierat. Iam uero illud quod in Commodo accidit, maximam admirationem continere aiunt, ſed enim re uera longo interuallo hoc facto inferius eſt. Nã cum ipſe á paleſtra antequám cibos aſſumeret, ueniſſet, ſub octauam ferme horam febris abunde calida hunc inuaſit. Enimuero cum ego pulſus tetigiſſem, quód particula aliqua inflammatione obſeſſa eſſet apparuit. Hæc cum Pytholaus audiuiſſet, mirari ſe dixit, ſi tonſillarum inflammatio, pueri pulſus alterare, & peruertere poſſet, cum nulla alia eius particula inflammatione affecta eſſet. Hoc dicto illi os aperiẽs ut inſpicerẽ iubet. Cũ autem aſperæ & nimis rubẽtes apparuiſſent, quãuis nõ magnam molẽ inflãmatio haberet, rogaui quiſnã eſſet, qui medicamẽto ſtomatico, id eſt ori medendo accõmodato, cui uehemẽtior (quám puero cõpeteret) aſtrictio ineſſet, inflãmationẽ perfricaſſet. Enimuero cũ ſeipſũ eſſe profiteretur, qui medicamẽto quod ex melle & cæra cõficitur, perfrictionẽ molitus eſſet, eũ ut ad mulſã in qua roſæ coctæ eſſent tranſitum faceret, admonui, & ut hoc ſolo tum per noctem, tum

per diem ſequentem totum ſepius ſimul cum nocte uteretur. Proinde cum inflãmatio diluculo tertia die ceſſauiſſet, parum abfuit, quin puer ſine febre eſſe uideretur. Ergo Pytholao perſuaſi, ut eum in balneum cubiculo proximum introduceret, deinde non multo poſt aqua ex ſolio uteretur, ita ut ſane aliæ particulæ aquis irrigarẽtur: ſolum autem caput conſpergeretur. igitur cum ipſe iam opipare pranſus eſſet, poſt ientaculum circa horam tertiam ania Fauſtina maxima ſanguinis neceſſitudine imperatori iuncta affuit excuſans quòd morbum duobus iam diebus exactis non reſciuiſſet, quòdque biduo eum non uidiſſet, heſterna enim die poſt prandium ſe de febri quæ illum corripuit, certiorem factam aſſeruit, alioquin conſpicuum eſſe addidit, quòd octauam horam tranſmittere deberemus, in qua inuaſiſſet acceſſio. Igitur Pytholaus ridibundus quo pacto (inquit) non Theſſalicam illam diatriton tranſmittere debemus? ſed enim hic Galenus (ait) cum eum mane inuiſiſſet, exiguum quid ipſum febricitare retulit, tum ut rurſus ſub ueſperã lauaretur: præcepit, tum uero ut cœnam acciperet, qualem cum integra ualitudine fruitur, cenare ſolet. Hæc cum Fauſtina audiuiſſet, exiguo illic tempore morata, medicum quendam ex methodicis qui eam aſſectabantur, apprehenſa manu ſecum ſimul eduxit, atque una cum ioco illudens ait. Galenum hunc noſti, quòd non uerbis, ſed operibus uobis methodicis aduerſetur. Multoties enim plæroſque febrili inuaſione capi incipientes, tum lauit, tum illis uinum bibendum exhibuit, ita ut nonnullos in prima die, aliquos in tertia ad conſueta munia obeunda remiſerit, in qua omnes uos cũ primis duabus diebus in inedia contineri ægros iubeatis: ut ſuſpectas horas lecto decumbentes tranſmittãt ſuadetis. Et nunc igitur dixit ſcientiæ firmitudinem monſtrauit in puero regio, qui cum peregre profecto patre in primis duabus diebus uehementer febri correptus fuiſſet, (ut etiam uos heſterna die audiuiſtis) tertia die nequaꝙ octauam horam tranſmittere ſuſtinens (quẽadmodum uos cenſetis) mox tum lauit, tum cibum dedit, aluitꝗ;, adeo ut Pytholaus eius alumnus, cum circa talia diligentiſſimus, & maxime exactus eſſe ſoleat, ut timiditatem diligentiam eius nimiam quiſpiam ſubinde nuncupare poſſit, quia de uiri arte periculum ſepius ante feciſſet, ſit perſuaſus: ut ante ſuſpectam horã tum lotum duceret, tum aleret. Ea igitur talia dicebat, cum uſque ad uehiculum interim progrederetur. ego autem cum illa iam lecticam inſcendere uellet, cum ibi ab ea diſcederem, hoc ſolum dumtaxat uerbum retuli. Feciſti ut multo magis quàm prius me medici odio haberent. Proinde cum diſceſſiſſem: Pytholao narraui, quòd propter tales medicos nuperrimus aliquas tractationes ſcripſiſſem, unam quidem circa differentias febrium, alias autẽ de decretorijs diebus, & tertiã de criſibus

in quibus commentarijs omnem cõſiderationem Hippocratem ſcripſiſſe à me expoſitum eſt, qua ſi quis utatur, quæ circa infirmos futura ſunt, præſagire poſſit. Hij autem adeo obtuſo ingenio ſunt præditi, ut nec cum mea enarratione ea diſcere poſſint. Tu enim ipſe Epigenes chariſſime ea omnia à me ſcripta (de quibus me prædicẽtem conſpexiſti) ab Hippocrate dicta eſſe, me demonſtraſſe cognoſcis. Nam illis (præter ea quæ ille ſcripſit) ſolam tractationem quæ circa pulſuum noticiam incumbit: appoſui, circa quam ſolam non elaboraſſe dignoſcitur. quemadmodum qui poſt eum ſecuti ſunt, cum alius aliud quid appoſuiſſet, uſque ad noſtrum tempus exornarunt. Quippe tum cognitio qua exacte dignotio affectionum corporis habeatur, tum prænotio eorum quæ futura ſunt, quin & quod te præſente geſtum eſt, quando de uenæ ſectione aliqui ex numero eorum qui Romæ primarium locum obtinent conſiderabant, per ea commentaria quæ edidi, ab Hippocrate abſolutiſſime demonſtrata oſtenduntur. Quintam enim diem morbi iuuenis agebat, enimuero uenæ ſectionis præſidium omiſſum utique eſſe uidebatur, cum ut in principio circa ſecundam uel tertiam, uel omnino ipſam diem quartam uſurparetur: ſane indigeret morbus. Deinde quoniam nec anni tempeſtas, nec ætas laborantis, ſicut nec uitalis facultatis imbecillitas, nec uictus exactus ante quàm morbo ſuccubuiſſet, contrariam indicationem faciebant, ſed omnia quæ uenam ſecandam eſſe indicabãt, ſibi inuicem mutuo ſtipulabantur: medici ut ſanguis mitteretur conſuluerunt, cum alioquin recta ſaperent. Ego autem cum omnia apparentia ſubinde ſigna ab Hippocrate dicta eorum quibus fluor ſanguinis per nares futurus eſt, probe cõſideraſſem, nõ recte tum inquam ipſos ſanguinis detractionem decreuiſſe, cum ad hoc ipſum natura deueniat, feſtinans excernere quod ipſam grauat: atque hoc cõfeſtim (tametſi minime nos moliamur) futurũ. enimuero medici ubi hæc audiuiſſent, longe utique admirati ſunt. Porro cum in lecto ſurrexiſſet æger, perinde ac ſi exilire uoluiſſet, rogatus quam ob cauſam ſaltu ſe è lecto proriperet, cum nihil mali ſubeſſet, rubrum ſanguineumque ſerpentem, per laquearia domus reptantem, ſpiras gyroſque corporis trahentem, conſpectum ſe pertimeſcere dixit, ne forte ſubinde ſublapſus temere in ipſum deferretur, atq; idcirco locum fugere in quo decumbens iacebat. Hæc illo dicẽte alij quidem nihil hoc ad futurum ſanguinis fluorem cõferre ſunt arbitrati. Ego autẽ cũ exacte tũ alia ſane omnia perpẽdiſſẽ, tũ dextrã naſi partẽ uſq; ad poma quæ ante nus obſcurũ rubore habuiſſet, multo nũc rubẽtiorẽ, & inſignẽ magis factã pernotaſſem, per narẽ dextrã ſanguinis fluorẽ momento poſt futurũ eſſe manifeſte cognoui. Quocirca cuidã ex præſẽtibus famulis infirmi ſilẽtio præcepi, ut uaſculũ ex ijs quæ ſanguinẽ ſuſcipere utilia eſſent, ſub ueſtẽ paratũ haberet. Deĩde cũ ſublata uoce medi

cis omnibus ut audire poſſent: dixiſſem, q. ſi uel minimo tẽporis ſpatio ſpectare ſuſtinerẽt, hominem ex dextra nare ſanguinẽ fundere animaduerſuri eſſent: omnes cachinno oborto irriſerunt, quòd in ſermone dextram narem appoſuiſſem, tũ (inquam) ego uel ambo ſane fieri oportet, uel in utriſque omnino me deceptum iri neceſſe eſt, amborũ enim prænotio ſub artis conſideratione cõtinetur, tum q. ex naribus ægro ſanguis defluxurus ſit: tũ uero quòd ex nare dextra. Quapropter famulũ qui uaſculum tegebat admonui, ut diligenter ijs quæ fierent animũ aduerteret, ut quamprimum ſanguinem ex naſo fundi conſpiceret, curriculo accelerans uaſculum ſupponeret. Vix dum finem dictis impoſueram, cum ſimul cum dicto æger digitum cruentũ, & ſanguine conſperſum extraxit, tum famulus feſtinus accurrẽs labrum ipſi ſuppoſuit, quo facto cum maximus clamor (ut noſti) ſubinde excitatus fuiſſet, medici quidem omnes terga uertentes effugerunt. Ego autem tibi cum me rogaſſes: ex Hippocratis dictis edoctus: omnem rationẽ præſagij expoſui. Quidquòd hoc etiamnum auctario me appoſuiſſe memini: q. uehemẽtem futurum ſanguinis fluorem ſperarem. nam naturæ impetus ualidus eſt: tũ morbus (inquam) incoctus perſtat, enimuero ad tales cauſas immodicæ euacuationes ſequi cõſueuerunt. Quamobrem cum tantillum tẽporis iuxta ægrum aſſidere ex re magis eſſe arbitratus eſſem: meum puerum miſi, ut cucurbitulam magnã afferret, ita ut à plæriſq; non foret conſpectus. Quinetiam cũ multus cruor in uaſe collectus eſſet, alio petito ſanguinẽ excepi, & cũ põdo quattuor librarum cũ dimidia ſanguinis iam profluxiſſe uidiſſem: tum ægrũ reſupino habitu conſtitui: tum ut frigidã poſcam naſo reſorberet: iuſſi, necnõ fronti ſpõgiam ex mulſa frigida madidam impoſui, tũ uero mox artus, manuſq;, & pedes uinculis probe ligaui. Proinde cum hæc nihil exegiſſent: cucurbitulam medicam ſub dextris præcordijs ſubijciens confeſtim ſanguinis fluorem cõpeſcui, quod ipſum etiam ex Hippocratis arte profectũ eſſe liquido à me tibi expoſitum eſt. Quapropter tum hæc, tum alia omnia quæcunque per artis opera monſtraui: ob hoc à me ſcripta ſunt.

Nãq; & rigorẽ futurũ quo pacto præcognoſcere liceat ſcripſi, & uẽtris effluxionẽ, & uomitũ, & urinarũ multitudinẽ immodicã, & retẽtionẽ, tum ſudores, & abſceſſus trans aures futuros, tum apoſtemata, & inſaniam, & profundam in ſomnũ delationẽ, & oĩa alia ſymptomata quæ ut ſigna, uel ut cauſæ (cũ iudicio finiri morbus debet) præcedere conſueuerunt. Quidquòd nonnulla (ut antea dixi) etiamnum aliquis ingenio fretus: & prouidus ex ſe ipſo coniectura ſatis aſſequi poſſit, quẽadmodum ego tum in Boethi filio conieci, tum uero amantem deprehendi, & famulum qui præ formidine mœrore confectus iacebat. Nuper (ut noſti) cum tale quid ego prædixiſſem, plæroſque mentis exceſſu capi prænotio compulit. Diſpen-

ſator enim quidã qui ſedulo omnia domini negotia curabat, adeo ut ea propter in honore haberetur, alijs cum medicis curantibus, ſeptimanus per ſudorem iudicatus eſt, poſtera die medici cum pulſum eius ſubinde deſſicientem inueniſſent, malignam diſpoſitionem in corpore clanculum latere exiſtimauerunt maximo errore decepti. Deinde cum una cum adoleſcentis hero ex domo foras ſe contuliſſent, forte fortuna mihi obuiam uenerunt, cumq; tum præſentes, tum uero præteritos omnes caſus, qui circa ægrum contigiſſent: enarraſſent, rogabant ut quid nam ſibi uellet quod in pulſu præter rationem accidit, docerentur. Ego proinde cum domũ in proximo eſſe audirem, in qua eum decumbere tradebant, cum ipſis ingreſſus iuuenis pulſum tetigi. Nam in ipſa ſenſili affectione (ut ſæpe tibi dixi) plærique præſtantes medici decipiuntur: ita ut magnum eſſe qui magnus pulſus non eſt arbitrentur. Quẽadmodum interdum uelocem, qui non eſt uelox, uel tardum qui tardus non eſt: eſſe diffiniunt. Simili modo circa obſcurorum, & uehementium, & durorum, & mollium pulſuũ dignotionem plærumq; delinquunt, & magis adhuc in dignoſcendis tum ordinatis & ordine carentibus, tum æqualibus & ſerie uacantibus, ſiue in cumulo, ſiue in unica arteriæ diſtinctione conſiſtãt: quos propter ego quattuor libros de dignotione pulſuum ſcripſi, qui ad alios quattuor præcedunt, qui de cauſis in pulſibus inſcribuntur: ijs namque ambabus tractationibus prænotio quæ per pulſus fieri debet indiget, quæ & ipſa in quattuor libris ſcripta continetur: propter quam bina illa commentaria exiſtunt. Porro cum inæqualitas quæ in unico pulſu conſiſtit, utiliſſima ſit (ut demonſtratum eſt) exercitio multo nimium & exacto eget ut dignoſcatur, ut potecum multas differentias obtineat. Plærique enim ita afficiuntur, ut nec agere, uel ſuſtinere (quæ prius inculpate agebant) patiantur, ſed lecto ſe committant, & pannis ſtragulisque indigeant, ut inuoluantur, ex quibus qui hoc pacto ſunt affecti: nonnulli uel per tres horas ipſam etiam num linguæ locutionem fugiunt, & quidpiam loqui graue nimium utique ſibi uidetur. Sed enim quando pulſus tũ qui in unica actione, tum qui in plurimis ordine ſeipſos mutuo excipientibus, nihil præter naturã aliud obtineat præter hoc ſolum quod fit cum deffectu, hoc tale accidens ſymptomaue à primo iam ortu generationis contractum eſſe cognoſcere operæprecium eſt. Hoc autem dignoſci difficillimum eſt, quin potius impoſſibile, abſque hoc quod omnes differentiæ quæ circa pulſus exiſtunt, exacte ſentiantur. Ergo cum hominem ad hunc modum ſe habere conſpicatus eſſem: medicis conſilium dedi, ut illum tuto pannis contectum perinde ut ualetudinarios curarent: qui à morbo reſumuntur. Deinde quando iam domo procedat, & munia conſueta obeat, tunc eos ſane (ſi quidem eius pulſus contingere uellent) defficientes ſubinde inuenturos eſſe dixi, ut ſub id temporis ſeſe

haberent, merito: quippe cum hoc ipſi naturæ ſponte, non ex quapiam morbida cauſa contigerit. Confeſtim igitur dictum cui minime fides adhibenda eſſet, crediderũt. Sed enim procedente tempore omnem pulſum illius defficiẽtem in uno ictu, alias ſecundum alium numerum inuenerunt. poſterius autem cum me offendiſſent, ut ex me audirent deprecati ſunt, per quas potiſſimum notas iuuenis naturam talem eſſe deprehendiſſem. quibus ego tum quàmprimis reſpondi, quod Iſocratem rhetorem retuliſſe accepi, à quodam ex diſcipulis interrogatum, ſi trium annorum ſpacio ſeſe in arte exercens: nunquid in tanto tempore de ſingulis propoſitis quæſtionibus apte & ornate dicere poſſet, quemadmodum reſpondentem uidebat Iſocratem: ita namque adoleſcenti utrum reſpondiſſe tradunt. Te quidem ô puer quàm maxime uellem: ut die una (quod rogitas) ediſcere poſſes. Ipſe autẽ (dixi) cum quàmplurimis annis me exercuiſſem: talem mihi peritiam cõparaui, alioquin (inquã) omnes quæcunque præter naturam inſunt in pulſibus differẽtias hoc libro perlecto facile uobis cognoſcere licet, erat autẽ primus liber de pulſuum differentijs omnibus cognoſcendis. Quin etiam uiam, qua uos ipſos ſubinde exercere poſſitis quattuor libris à me traditam habetis, quos uobis accipere licet, ut ſcriptas in hoc libro differentias omnes adeo calleatis: ut ex ore eas rogati dicatis. Hoc igitur opus ô Epigenes digniſſime medicæ prænotionis eſt, quẽadmodũ & quod ad acceſſionis inuaſionem pertinet, quæ circa imperatorẽ facta fuiſſe uidebatur. Cætera quæ complures medicorum admirantur: nihil porro ſimile habent, quod cum iis comparari poſſit. Sed enim propter multorũ ignorantiam admiranda eſſe apparẽt: nõ propter ſe ipſa, cum ijs qui legitime artis opera exercuerunt, haud quaquam difficilem prænotionem habeant.

FINIS.

ANTONII LODOVICI MEDICI

OLYSSIPPONENSIS LIBER DE ERRORIBVS PETRI APPONENSIS IN PROBLEMATIBVS ARISTOTELIS EXPONENDIS,

ad amicum præfatio.

CVM MIHI LODOVICVS NOſter ſignificaſſet utriquenoſtrum nõ uulgaris amicus,te Ariſtotelis problemata præclaris principibus legenda ſuſcepiſſe:placuit quo tibi rem gratam faciã(quod maxime cupio)aliquos apponenſis errores qui eos libros commẽtatus eſt, tibi præſenti epiſtola conſcribere:ut minus uiri auctoritas quæ aliquibus impoſturam facere poßet: falleret,& erroris anſam præberet, ſed minus ei fidei baberes: qui tam inſigniter aberrarit, is enim cum Ariſtotelem exponendũ ſumpſiſſet:non recte intellexit:nec quod promiſit ſatis præſtare potuit,tum antiquæ tralationis uitio,tum quia Ariſtotelis breuiloquẽtiam conſequi non cuiuſuis eſt,ſed difficile nimis & operoſum. Quia uero tecum uiro doctiſſimo mibi ſermo eſt:cui uel breuis ſermo ſufficiat,atque etiam num occupatiſſimo,quem longis uerborum ambagibus impedire & tenere non decet, ideo locum dumtaxat ſignificaſſe, & rem nutu atque digito(quod aiunt)indicaſſe ſat erit.

Quærit Ariſtoteles quarta problematum particula cur bomo ſui corporis pro portione plurimũ ſeminis emittat in concubitu,atq; id eſſe in cauſa ait quòd minus cibos conficiat, atque peruincat,quod uel ſatis fœtor excrementorum indicat, quæ in alijs animalibus nullius grauis ſunt odoris,atque ideo magis de ſuperfluo congerere, quod coitibus excernatur:at conciliator putat ab Ariſtotele dici bominem minus babere laboris in coquendo alimento,atque ideo contra omnem rationem aſtruit, bominem melius alimoniam concoquere,cum experientia atteſtetur contrarium, nam alia animantia cruda eſitant, bomo uel cõdimentis læditur.

In eadem particula Ariſtoteles quærit: cur bomines qui babent ixias non ſunt generatiui. Quidam per ixias uarices intelligunt. Sunt quibus boc non placeat, quia multos uaricoſos fieri dicãt, quibus multi fuerint liberi,ut apud Plutarchũ de

licet hominum tu uentres pertentas:atque manibus palpandos iubes, ut ſic umbilicus ſubaſper ne,an leuior ſit, dignoſcas. Sed ſcio quid uirum feſellit: putauit ſcilicet cum umbilicum audiuit, ad hominum umbilicos uocem fore referendam: nec ſcire potuit,nedum hominis: ſed & telluris, & orbis, & libri ac denique cuiuſcunque rei medium umbilicum uocari, & etiã regiones aliquas à poetis dici umbilicoſas. Sed uenia danda quia minus frequens in bonis auctoribus erat.

Pari errore egregius interpres in Ariſtotelis perpulchro quodam alio exponendo problemate falſus eſt. percunctatur enim philoſophus cur ſit, quod animantia quæ manuum ſciſſuras per totum habent porrectas: ſint uitæ longioris, quo in loco elegantiſſimus, & curioſiſſimus naturæ perſcrutator ſentit illa animantia uiuacioria eſſe: quæ magis ſint dearticulata, & maiorem obtinent particularum organizationem & diſtinctionem: atque eam ob rem hominem idẽ animal longeuum appellat: quia (ut quodam loco recenſet) ſit ſumme compoſitus, & poſtremus eorum quæ poſſunt componi. anſeres contra & anates, & quæ manus non habent diſtentas & diuiſas in digitos, ſed compaginatas, & in unam connexionem complicatas, quin & homines ſi qui naſcantur digitis connexis, ſibique adhæreſcentibus, breuiori tempore uitam extendere. Interpres problema de lineis per manus productis dici credit, atque ex philoſopho chiromanticum nobis Ariſtotelem facit, qui (puto) eas irriſerit ſemper uanitates, & hiſtrionum circulatorumque commenta exiſtimauerit, ut qui nunquam cum tot ſcripſerit, huiuſce rei mentionem feciſſe reperiatur, quam ſi uel aſſis faceret, aliquando commemoraſſet. Noſter autẽ ſubtiliſsimus interpres, cum Ariſtoteles de diuiſione manuum fuerit locutus: etiam ex illis delineationibus fata & annos uitæ exiſtimat poſſe præuideri. Verum nullos bonos habet iſta profeſsio auctores: nulliſque rationibus iſta dogmata fundantur. Ignauiſſimi quidam dumtaxat, & omnium bonarum litterarum inexpertiſſimi, lucri cupiditate moti: quo ars maiori in prætio foret, ſi præceptis iſta continerentur: talia ſcriptis prodere nugamenta ſunt auſi, quos ſepiſſime ſi deprehendere uelis, mentitos offẽdes: dum nunquam non aliter contingit: quàm uaniſſimi iſti diuinaculi futura prædixerant. Et nunc tantum non quidam profugi atque patria extorres (qui ſeſe AEgyptios appellant) hanc uanitatem profitentur: quo ſibi miſerum faciant, & comparent lucellum.

Vigeſſima (ni me animus fallit) problematum ſectione Ariſtoteles quærit, cur ruta in arbore ficu conſita: lætior & auctior proueniat, quod & Theophraſtus, & qui materiam medicam conſcribunt, memoriæ prodiderunt. Interpres non quæ in ſtipite uel ramis ficulneæ inſeratur: ſed iuxta ſatam eam eſſe quæ felicius

enaſcatur, intelligit.

Rurſus perquirit philoſophus, cur ruta ad ueneficia & faſcinum pellendum ualeat, & incãtationes pellere credatur: atq; ideo ſic fieri exiſtimat, quia qui faſcinari ſe arbitrantur: ut nõ niſi prægustatos cibos aſſumant: & omnia ſuſpicantur, multum de ſpiritu flatuoſo una cum eſca conuellant: qui à ruta diſcutiatur, unde & ciborum faciat appetentias: & ſuſpitionem ex animo tollat, ut nihil mali ſubeſſe ſuſpicentur: & melius concoquant. at interpres quàm labitur? qui rutã ab Ariſtotele odioſam pharmaciam dici putat: atq; ei falſo tribuit, q fastidia efficiat, & abominationem, cùm tamen diſſipet, & diſcutiat flatus, & tormina ſedet, & hac præſumpta innocentius homines cibis utantur: diſcuſſo ſcilicet atq; digeſto omni eo quod nocere poſſet, & præmandi eam auctores iubeant: ne crapula, & uini plurimus hauſtus noceat. Sic apponenſis herbam ſalutarem adeo, ut in prouerbiũ abierit, pro noxia propinat, & quæ de ea ſummus philoſophus remedia atteſtatur: in uitiũ cõuertit, decepit cum quia ignorauit pharmaciã nõ ſolũ pro ſolutorio medicamẽto capi, ſed & ueneficiũ ſignare apud Græcos, unde & pharmacis uenefica apud Lucianũ, & Theocritus eglogã qua pertrahi ab amica magicis præſtigijs paſtorẽ amatũ qui aberat introducit, pharmaceutriã uocauit, quod Maro in alphœſibeo facit, atque id tam cõmune eſt apud Græcos ut paſſim ſic uſurpent.

Indagat præterea Ariſtoteles cur ſi quis cucumeres ſub terra defoderit, & panicum ſeu miliaceum ſemen radicibus circũoperiens fuderit, maiores euadant, & lõgiores. Interpres ſtercore ſordidandas, & ſpargendas radices ex Ariſtotelis doctrina tradit, ego hactenus neminem legi, qui ſtercorari arbores, nedum pepones ſcripſerit. Veteres etiam (q̃uis Homerus huiuſce rationis colendi agros meminiſſe dicatur) nunq̃ fimo obduci arua præcipiũt, quo iactæ ſegetes uberius oriãtur. Heſiodus rei ruſticæ diligentiſſimus ſcriptor (quẽ noſtri ſunt emulati) q̃uis copioſiſſime omnia quæ ſcire cõueniat colonũ, conſcripſerit, nunquã ſtercorandam tellurẽ iubet, ut qui forſam putauerit, minus ſalubres eſſe fruges, quæ fimi pinguitudine alãtur. Maluit fundi dominum potius fraudari quàm uitam.

Vbi de uentis agitat philoſophus rogat, cur in archadia quæ regio excelſa eſt, & in edito loco poſita, minus uẽti frigidiores ſint cum ſudum eſt, ſed cũ nubila conſiſtunt, tum frigora augeãtur: quo tẽpore aliæ ſolent tepeſcere, cũ qua parte montiũ cacumina uẽti perflant, ibi rigores eſſe ſoleant, affertq; cauſam, quia halitus qui è tellure emergit, & eleuatur, frigeat ſuapte natura, quẽ uenti propellentes, frigora quoq; depellant, ſed cũ uentorum flatus quieuerint, & ſileat cælum: & halitus illi nõ diſſipati permanſerunt, aera refrigerent. Interpres præter quàm q ex archadia

Cretam facit, ipſe potius Cretenſis: qui mentiri ſic pergat, nec cælum, nec terram (quod aiunt) ſua expõne attingit, & toto (ut fertur) cælo aberrauit, prout ſi in eius expoſitiones incidas, ridebis.

Præcedente quoq; problemate non minus itẽ fallitur, in quo quærit philoſophus, cur hyeme uentos nautis det terra ſecundos, marinos autem aduerſos, per æſtatem contra uentos à mari ſpirantes commodos experiantur, ſeuos autem qui à tellure perflant, quos apogæos Græci uocarunt, adducitque ad hoc propoſitum ſententiã antiquorum quæ in uulgi ore tunc uerſaretur. atque ſic diluit quia in hyeme uigeat in mari calor: qui diſcutiat flatus, quare aut nulli conſiſtent, aut ſi flare pergant, magnũ principium eſſe indicatur, unde uenti ualidiſſimi erumpant. Per æſtatẽ uero terra caleſcit, mare autem frigidius tunc eſt, quàm per hyemes ſit, quare nulli ex tellure uenti procedent, aut forti principio cõſiſtente. Simili ratione qua dicunt medici febres ſenibus acutas nõ contingere, quibus ſi capiantur, emori, atq; neci dare manus. Vbi profecto ſatis mirari nequeo cur Ariſtotelis pronuntiationẽ non admodum difficilem (per Iouem) ſenſum obtinẽtẽ capere ſatis non potuit, quem ſi legas: ad cachinnos, & ſannas (ſat ſcio) moueberis, & compelleris.

Quarta particula qua philoſophus de uenereis pertractat: non perferendos quoque errores noſter commiſit interpres, nã in quodam eiuſce particulæ problemate, in quo quæritur, cur iuuenes ubi uenerem exercere incipiunt, grauẽ ex ſeſe odorẽ emittant, quod hircire uocant. Interpres quia hircire quid eſſet ignorauit, quod ab Ariſtotele pronuntiatum eſt generaliter, ad inguinum fetorem, & alarum retulit. Eſt autem tam generalis apud Græcos, & Theophraſtum præcipue ea uox, ut non ſolum de hominibus dicatur, ſed ad plantas & herbas etiam transferatur tragos id eſt hircus nardo (ut Dioſcorides ait) ſimilis herba dicitur, quia uiroſum hirci odorẽ referat. adoleſcentes tunc primũ hircire dicũtur, cũ primũ ad annos uenerint pubertatis quibus cõcumbere poſſe incipiunt. Vites quoque & arbores hircorum uitium pati, hircireue aſſerunt (quod tragán Græci uocant) quãdo frondibus foliiſque potius, quàm fructu luxuriant.

Sequenti problemate petit Ariſtoteles, cur æſtate fœminæ, uiri autẽ per hyemẽ Veneris ſint appetẽtiores. Interpres multa de coluris circulis inepte philoſophatur, cũ nũquam philoſophus colurorũ meminerit, ſed Heſiodicum carmen adducat, quo loco de ſcolymo hoc eſt carduo quo tempore floreat, pertractat, ubi is eandem ſententiam protulit.

Nec minori errore eſt deceptus in problemate quo quæritur: cur ſpadones nõ habeãt ixias, hoc eſt uarices. nã coxendicis morbo nunquam laborare exectis teſtibus

Eunuchos dici ab Ariſtotele arbitratur, errãdi anſam præbuit ixiæ uox in iſchia temere librariorum uitio tranſmutata. Nam antiquus problematũ uerſor cũ ixias crurum uarices apud Græcos ſignificare ignoraret, nomen prout erat, reponens integrum reliquit legentibus: quærere quid eſſent.

Eadẽ particula quarta philoſophus proponit cur qui robuſti ualidiq́ȝ ſunt, & multũ colligunt de excremẽto ſeminali, ſi abſtineãt à coitu grauiter oleant, & in cauſæ reditione quorũdã ait genituram ita male olere, ut piſcium lauamẽtũ, ſeu piſcinarũ ubi piſces lauantur graueolentiam uirus genitale redoleat. Vetus expoſitor progonè, id eſt genitura ſeu ſemen, gynæ, id eſt fœmina in Græco exẽplari uidetur babuiſſe, unde ſic cõuertit. Quãobrẽ quibuſdã uẽtoſorum piſciũ plynthrũ olet mulier. Plynthrũ Græca uox eſt, lauamẽtũ ſeu locũ ubi lauare cõſueuerũt, interpretari poſſis, quam intactam omiſit. Pneumatici uero ſeu ſpirituoſi quos uetus tralatio uentoſos conuertit, ij ſunt qui multo ſemine & ſpiritu flatuoſo abundant, quales melãcholici, quos Ariſto. mulieroſos eſſe diffiniuit. Totũ autẽ illud uentoſorũ piſciũ diſiunctim & nõ cõiunctim debet legi, ut ſit ſenſus quibuſdã qui flatibus abundãt, geniturã olere aquã in qua loti ſunt piſces. Sed cũ apponẽſis cõiũgat, debuit in præcelſũ thronũ conſcẽdẽs, nos docere, quos uẽtoſos piſces appellet ipſe, cũ nos nunquã hoc dicerimus. Nũquid edunt piſces bõbos & ſtrepitus ut apes: & ſub aqua exiſtẽtes uẽtos cient & tẽpeſtates? Sed quid dicat deinde operæpretiũ eſt uidere, adeo (inquit) quibuſdã ſemine turgẽtibus corpus male exhalat, ut uentoſorũ piſciũ mulier peſſime nõnũquã exoleat, quo me uertã: aut quid primũ carpã: quidue poſtremũ non habeo dicere, nã cũ de uiris ſermo ageretur: quorſum tã ſubitus fit iſte tranſitus ad piſces: tanq́ȝ ab equis ad aſinos (ut aiunt) aut cur non potius in fœminis uirorũ exemplum dabatur accommodatius, quæ mephytes illas ex ſeſe emittant. Nã mulier (ut Plautus inquit) tunc bene olet, quando non male olet. Deinde hoc ne fœminæ in mari patiũtur, & nõ ipſi etiam mares: quos magis rationi cõſentaneum eſt peius olere, quod in uiris cõſpicimus, qui humeſcũt, & calẽt, ut qui multo ſanguine abundãt. Iam uero mulier latine & gynæ Græce nõ niſi de homine dicũtur, nã Græci cũ fœminas piſciũ uel aliorum animalium ſignificare uolunt, tòthely, id eſt fœminam appellant, Plynthrum autem id eſt lauaturam quam redolent qui multo ſemine non excreto ſcatẽt, uocem ſcilicet Græcã cum nõ intellexiſſet, tripliciter exponit, uel pro publica, uel pro pollutione, uel pro polypode, ita ut triplex ſenſus litteræ reddatur. Primus unde (inquit) uẽtoſorũ piſciũ fœmina: ut publica olet mulier. ſecundus iſte. quãobrem uẽtoſorũ piſcium fœmina polluta & cõſperſa ſemine maſculi male olet. tertius iſte quapropter uẽtoſorũ piſcium fœminæ, ut polypi grauiter olẽt. Hæc eſt ignorantiæ

fœcunditas, hæ ſunt graues huius expoſitiones: quas propter omnia uadimonia relinquas: & mare traijtias, ſed nō plus hūc uirū urgeamus, nō enim nobis propoſitū eſt, ex inſectatione aliorū: ſed ex proprijs inuentis laudē et famā quærere, ne ſi nimis reprehēſionibus inſiſtamus, libidine carpendi, nō ueritatis amore duci uideamur.

Sed attende ꝙ ridicule (ne ruditer dixerim) decimæ particulæ problema pulcherrimū deprauauerit, ut ſecū animus cogitet, qua nā tandē ratione iſte motus ad expoſitionē hāc tot ſcatētē erroribus ſe cōuerterit. Quærit enim philoſophus cur alij grandiori corporis ſtatura, alij pumili & nani gignātur, atq; reſpōdet ꝙ quādo ita loci anguſtia & coarctatio hoc faciūt, ut ſcilicet uterus magis ſit in latū porrectus: ꝙ in altū, lineæq; rectæ in curuas flectantur: ita ut præmat, & ſubigat ipſos conceptus: tunc pygmei oriūtur & procreantur, qui ſcilicet & profunditate, & latitudine parētū conſtēt, ſed tamē omnino ſint parui. Perinde ac facies in tabernis depictæ quæ propter portarū anguſtū ſpatiū, magnæ fieri nō poſſūt, ſed uidentur capite inclinato ingrediētes ſalutare. Et tāquā colūnarū extremæ partes: quibus domus ipſæ fulciuntur, quæ ut trabes & tabulata ſuſtinere uideātur: depreſſo uertice atque faſtigio figurari cōſueuerūt. Vnde & hac (inquit) ratione qui catulos, uel alia animalia minus magnitudine uolūt proficere: caueis anguſtis, cortibuſq; educant, & includunt. Superaddit philoſophus ꝙ quādo nō locus: ſed inopia alimēti in cauſa paruitatis eſt, tunc etiā ſi paruos mēbris, tamē debita proportione cōformatos generari, ita ut triū dimenſionum una alteram nō excedat, nec lati magis quàm longi, aut immodice profundi & craſſiuſculi producantur. Nam duplices nanos conſpicias: quoſdam (qui ſi prægrande caput, & latitudinem frontis, & amplam faciem attendas, & corpulētiam, amplitudinemque membrorum) uiri uideri poſſint, cum tamen cubito interdum non ſint maiores, alios autem particulis, & mēbris ita minutulis conſtare uideas: & pro rata portione compactos: ut infantulos exiſtimes: ſi annos non noueris: aut frontem rugis contractam. atq; hos ſic tales euadere ait philoſophus, quòd non ut locus, ita & natura ſe habeat, ſed iuſtis paribuſque portionibus omnibus particulis diſpenſet, atque diſtribuat alimenta. Huius uero generis eſſe inquit catulos Melitenſes. Eſt Melite inſula (ut auctor eſt Stephanus) inter Epirum & Italiā, unde fuerint dicti. horum meminit & æſopus, & Lucianus in dialogo ubi agit de philoſophis qui diuitum domos precio ſequuntur, cuius hic uerba apponam. Res (inquit) ridicula omnino erat catulus extra ueſtem proſpiciens parū ſub barbā, & mingens ſepius, & ululans, latranſq; quid tenue, tales enim ſunt Melitenſes, & lambens interdum mentū philoſophi: & præcipue ſi aliquid de iure heſterno barbæ adhærens remanſiſſet. Plato quoque octauo de re publica canum meminit, quæ ſimiles

ac dominæ euadant. Hos Melitenſes catulos matronæ Romanæ alebant, ad lætitiam dumtaxat, ut pote qui caudam ſuccutientes molliter blandirentur: & palpos obtruderent, manuſque ſuauiter lingerent, nec interim morderent, fouebant hos diuites fœminæ (ut dicebã) & in ſinu habere, atq; græmio ſolebãt, adeo ut interea in ulnis dominarũ grauidæ parerent, non minus autem hos procurabant: & in delitijs habebãt, quàm Romani puſiones ſuos, quos delitias dominoũ appellabant. Deniq; Melitæos hos catulos nullus cynas, ſed cynidia diminutionis uocabulo nuncupat. Porro Melitæa catella de ijs dici adagio conſueuit: qui genio indulgeãt, & delicatã uitam agant, erant autem nimis blanduli: & adulatoria quadã aſſentatione prædulces. Sermo etiam Mileſius pro molli & diffluente, ueſtiſq; Mileſia ſeu chlamys pro luxurioſa, & delicata, inhoneſtaq; accipitur. Deniq; paulo humanior eſt nullus qui Melitæos hos catulos apud auctores non legerit. Ignorabat ſane humaniores litteras apponenſis, qui Melitæos catulos id eſt militares interpretatur, quos milites ſcilicet ſoleant ad uenationes alere: quod cum legiſſem, euge (inquam) ô facilitatem, ô expoſitionem acutam quæ auro includi mereatur: ô ſagacem, ſubtilẽq; interpretem qui talia cõminiſcatur cõmenta: immo uero doleo uicem tuam Ariſtoteles: ꝙ tui libri ſubtiliſſimi tales aut nõ multũ meliores interpres habeãt: ſortitiq; fuerint, nam (ut ſerio agã cũ hoc uiro) quid cani cũ balneo? quid rurſus cũ canibus militi cui ſemper mens eſt in armis? ego neſcio quibus cũ canibus ipſe uenaretur: certe Ariſtotelis ſentẽtiã nõ eſt uenatus. Parũq; præterea in uenationibus ſe exercitatũ demõſtrat: cũ catulos ad uenationem admittat: nam uenaticũ canũ genus: prægrandi corpore eſt, ut Ariſto. refert, quales ſunt moloſſi. Græci tria canũ genera fecerũt: quoſdã ichneutàs uocãt: ꝙ ueſtigia ferarũ ſagaciter odorẽtur: alios œcuròs, id eſt domeſticos dicũt: ſeruãdis ſcilicet domibus aptos: tertios Melitæos quos domi uoluptatis cauſa nutriebãt. Notandum poſtremo eſt aliam eſſe Thaletis Mileſij (qui primus urſam minorẽ inuenit) patriã Mileton: aliã autẽ inſulã Meliten. Mileſij enim à Phœnicibus oriundi erant: & Miletos Phœnicum colonia: ut Theon aſſerit in cõmẽtarijs ſuper aratũ. Melite autẽ (ut Stephanus auctor eſt) inſula eſt inter Epiron & Italiã, unde illi canes dicti fuerunt.

Philoſophus particula qua de ijs agit: quæ mathematicam diſciplinam cõcernũt: interrogat quare linea de angulo ad angulum ducta ſola dimetiens appelletur: atque aſſignat pro cauſa ꝙ figuram nõ corrũpat: quod aliæ lineæ faciunt. ego litterã affirmatiue lego, ut ſit ſenſus: ꝙ diameter figuram deſtruat. Nã tetragonũ in duo trigona diſpartitur, quod aliæ lineæ rectæ à latere ductæ in latus nõ efficiunt. nam remanet ſemper figuræ genus quadratũ. Vel ſic intelligo figuram non corrumpi à diame

tro, quia qua anguli biant, iã diuiſa quodã modo ſit. Sicut igitur nõ dicitur diſcerpere carnes coquus: qui per articulos ſecat, nec chironomus culpatur, qui prius oſſiũ iũcturas frangit, nec fores confringere qui aperit qua patet ſciſſura. Sic nec linea ducta per angulos oppoſitos figurã deſtruere debet putari: quia ea parte diuidit qua anguli interbiant, & ueluti debiſcũt, & figura quodã modo aperiri uidetur. Vaſa uero militaria (de quibus Ariſt. mẽtionẽ facit) fuiſſe opinor ex multis particulis cõſtituta, & ferruminata: quæ diſiungi poſſent, & rurſus (cũ uſus poſceret) cõnexæ poculi ſpeciẽ præberent, ſicuti nunc abacos, & mẽſas: & ſellulas factitãt artifices, & architecti, quibus ad uitandã ſarcinã in itineribus lõgis utuntur, quãdo autẽ ad hoſpitiũ uẽtum eſt, explicãt ſingula: & iuncturis coaptãt: & in proprijs armonijs coagmẽtãt: cũ uero abeundũ eſt colligũt, & dirimũt cõpagem: inq; unum faſcem cõponũt, quo melius portari poſſint. De huius modi autẽ uaſorũ genere quibus milites uterẽtur, apud nullũ idoneũ ſcriptorẽ hactenus me legiſſe memini: præterq̃ apud unũ Plutarchũ, qui in Lycurgo cotbonis Laconici meminit. Potoriũ id erat uas quod ad militias multum probaretur: eo q̃ multos ambones, id eſt ſupereminentias & aſperitates, & uerrucas (ut ita dixerĩ) obtineret: quibus limus illiſus adhæreſceret, & aqua percolaretur: adeo ut nitidiſſima, & limpida appareret: detẽta in illis eminentijs ſeu collibus omni alga quæ aquã turbidã uideri faceret. Poſſet etiã alius eſſe litteræ ſenſus: ut ſcilicet diceretur figura nõ corrũpi à linea diagonali, quia adhuc bina utrinq; latera retinet: ex quibus uno in alterum ducto figura tota reſultat. apponenſis lineã per angulos protractã, figurã nõ corrumpere arbitratur: quia figurã ueluti copulet: & robur ei afferat, ſi ex angulo ad angulum oppoſitum ducatur. Vnde (inquit) in tectis domorum fabri trabẽ producunt ex angulo ad angulum, qua ueluti diſiunctos parietes cõnectãt, & ſtabilius opus effitiãt. Quin & auri (inquit fuſores in coronis regũ, aut deorum bracteas quaſdam aureas, & fimbrias producũt ex diuerſis partibus, quo nectãt opus firmiuſq; euadat. Hæc eſt apponenſis expoſitio quæ quãtum habeat erroris, nullus (opinor) dubitabit: nec putabit cauſam quam reddit, Ariſtotele dignam, qui fuerit totius matheſeos peritiſſimus, ut omnibus dubium eſſe nõ poteſt qui illius libros linealibus demõſtrationibus & mathematica doctrina refertos uel ſemel tantum lectitauerit.

Nec Theodori tralatio uitijs omnino caret. uigeſſimo problematum ſegmẽto philoſophus diſquirit cur ex radicibus, germinibuſq; terræ hoĩes alia cruda deuorẽt: alia niſi coctione mollita non edant. Interpres latius ampliauit: q̃ deceret. Cur (inquit) eorum quæ terra gignit: alia cocta, alia cruda in cibos ueniant, in quo non eſt ut quis eum excuſet. Nõ enim omniũ quæ è tellure prodeũt: hominibus eſt alimẽtum: nec hoc

philoſophus abſolute enuntiauit, ſed pròs tà phytà, hoc eſt ad plantas rem cōſtrinxit, nec belleborum quis, aut agaricū: aut ſcāmoniū, aut caſtoreum, aut altercum, aut mandragoram, aut duris armatos aculeos & ſpinis carduos: & alias id genus noxias & lætales herbas: quas tellus alma educat: ſed neq; aurū, atq; argētum, terræque metalla: uel arbores etiam ipſas quis crudas uel coctas eſitat, ſed herbarū, fruticū, & radicum molles cauliculos: partim alia quidem (ut comedāt) hoīes coctura præmolliunt, alia autē per aſſationem domant: alia nuper lecta, recenterque decerpta, abſque ullo artis apparatu in epulas dulces accipiunt.

Quærit quoq; philoſophus cur Peſa lacus lauare ueſtes & abſtergere poſſit, cum dulciū aquarum fontes lauare ſint nati: at amari latices abſtergāt. Quo in loco uult non omne quod amarum ſit, abſtergere: ſed id quod ceu quodam glutino uiſcoſitate participat & coniunctum eſt, nāq; lentor adhærere facit, at ſapor amarus ingrediens perpurgat: quod in illo ait lacu cōtingere. Interpres quod unius lacus proprium eſt, uniuerſaliter accepit, quem rogemus, nunquid omnes lacus abſtergere, & lauare ſorditiem ueſtium putet: quod ſi dicat, negabunt protinus fullones (quibus in hac parte maior fides adhibenda eſt) ueſteſque in lacus coniectas ſordidari: & maculis lutoque conſpergi, uel deierando aſſeuerabunt.

Vigeſſima nona particula philoſophorū maximus interrogat, cur in iudicijs cū ſiſtitur reus: ad dextrā prætoris iudicis ue collocetur: duasq; affert rationes: alterā, ut fauoris aliquid parti inferiori tribuant, & ut reus quodam modo aduerſario exæquetur, poſtremam quia rei ut plurimū cauere conſueuerunt, hoc eſt obiectis reſpondere: & inimicorum calumnijs qui illos accuſant, & criminantur: quod melius facere poterunt, ſi reus ora teneat iudicis, & iudex uiciſſim pendētē lingua reum cōſpexerit. Nāq; oculos, & aures, mentemque magis ad dexteram obuertere ſolemus, & nos etiam melioribus quos honore afficere uolumus, honoris cauſa dextrā in deambulationibus damus. & filius apud patrem æternū à dextris ſedere iubetur, donec hoſtes in ſtrata pedum ponantur: ſed nihil horum apponenſis animaduertit. Nulla enim cura eſt Hippoclidæ.

Non multo poſt philoſophus petit cur maiore in laude ponatur, ſi quis hoībus uita functis opem ferat, quàm uiuētibus, & rationem aſſignat, quia alteri tueri ſe poſſunt, alteri nequeunt refellere, nec redarguere quæ in illos quis inuidia motus falſa uel maledicta congeſſerit. Quamobrem antiqui manes ſacros putabant, & nō minus nephas ab eo cōmitti qui mortuo maledixiſſet, q̄ qui diuos uiolaſſet, & cū mortuorum umbris non niſi laruas luctari aiebant, non autem homines. Et ſummo dedecore ſi quando Græci quēpiā afficere uellent, tymborychon appellabāt, hoc eſt quã

mortuorum thecas, & loculos, buſtaque defoderent. Noſter apponenſis ſic interpretatur. Cur magis cupimus diuitias cum conſenuimus, nobis ſupereſſe: quàm dum integram ætatẽ agimus. Quid alij uel ipſe cuperent ignoro, ego contra ſentio, malim enim iuueni mihi opes quibus uterer, affatim ſupereſſe: ſeni uero non adeo has immodicas adeſſe mihi opes, ualde exoptem, quibus nec uti poſſem, & ingrato relinquerem hæredi, qui multis annis congeſta nepotationibus exhauriret, atq; diſſiparet. Vnde lepidiſſimus Græcus poeta q; iuuenis fuiſſet pauper, ſenex autem eſſet diues effectus: edito epigrammate ſe omnium miſerrimũ exclamauit. Nã quis me eſt (inquit) in omni ſorte miſerior? qui quando uti poteram, egebam: nunc quando uti non datur, opes affatim ſuppetunt. Seni (me quidem iudice) uinum & maſſa abunde ſufficiunt, quæ ſenem iubeant uel inuitum ſaltare. Nãq; (ut parœmia ait) uiro ſeneſcenti maxilla pro baculo eſt, plurimique eorum ſenectã aquilæ peragunt: ut qui potu magis, quàm eſcis alãtur. Iuuenibus utiles ſunt opes ad res arduas gerendas: nam plæriſque obſtiuit paupertas ne grandia aggrederentur: & multis ne emergerẽt, fuit in cauſa rei familiaris inopia, & anguſtia quæ impedimentum attulit.

Non minus doctus Theodorus eſt lapſus in uertẽdo primo trigeſſimæ particulæ problemate, ut non iniuria hominem egregie doctum admiremur, q; tam infeliciter in ea parte ſe habuerit. Quærit enim ſollertiſſimus naturæ indagator, & interpres: cur omnes qui ingenio claruerunt, uel in adminiſtranda republica, uel pangendo carmine, uel legibus (quibus homines uiuant) cõdendis, præclari & præſtantes fuerunt: atra bile laborauerint? profertq; mox exempla philoſophus heroum illorum quos Græcia concelebrat, & multorum aliorum, ut ijs tanq; teſtimonijs uerũ eſſe propoſitum oſtendat. Et imprimis Herculem adducit: quem uitijs atræ bilis laboraſſe ex eo comprobat, quia ſacer morbus hoc eſt comitialis Herculanus ab eo dictus ſit, & quòd atræ huius bilis furijs agitatus natos interemerit (nã talẽ quandã atræ bilis ſpeciẽ etiam medici prodũt, quã færinã appellãt, eo q; hoĩes færos & immanes faciat) & quia ante mortẽ ulceribus tetris per cutem erumpentibus; & peſſima pſora fuerit deturpatus, quæ uitia ab atra bile ortum trahere certum eſt. Mox philoſophus alios recenſet quibus ulcera & puſtulæ ante obitũ in corpore ſimili modo effloruerint. Interpres quod ad Herculis liberos occiſos attinet: & ulcerum eruptionem quæ mortem præceſſit (unde forte obijſſe ſit dictus induta tunica Neſſi cẽtauri intincta ſanguine) ad hunc modum peruertit. Quin & puerormm mentis motio hoc indicat, & ulcerum eruptio, quæ ſepenumero mortem præcedere conſueuit. in quo manifeſtius errauit, quàm ut quis illi audeat ferre ſuppetias. Nã quid de puerorum morbis inter medios heroas meminiſſe oportebat? aut quæ nam ætas mi-

mus quàm puerilis, atræ bilis uitijs eſt obnoxia? uel nunquid etiam omne genus mortalium ea ulcera infeſtant, aut ſaltem omnes atrabilioſos? Nos pueros crapulis, & ſatietatibus, & immodica plenitudine laborare interdum cognoſcimus: morbos uero ab atra bile procedentes ætatis declinantis proprios eſſe: & omniũ qui ex ætate conſiſtentiæ decreſcere, & in ætatis autũnum uenire ceperunt. apponenſis in eas ſe coniecit anguſtias: ut uix uocem ſuam audiat, miſereberis homini: dum tam arte religatum conſpexeris: & in eos dilapſum laqueos: ut nullis ſe artibus explicare, & expedire queat. Porro per ecſtaſis uocabulũ (quo utitur Ariſt. dum de Herculis furore in liberos agit, & Theodorus mentis motionem conuertit) nihil aliud uoluit ſignificare ꝙ ingentẽ quendam & rapidum animi impetum extra rationis metas: quo ille lymphaticus, & in rabiem actus, in filiorum necem prorupit. Sane quod de atrabile ſcripſit etiam comprobat apud Gellium Phauorinus: qui melancholiam hæroicam affectionem appellauit, & quæ ueritates aliquando fortiter dicere faciat. non habita interim ratione aut temporis, aut modi, & melancholân Græci pro furere, & inſanire paſſim uſurpant. Vidit hunc errorem Politianus ipſe quoque in eo carpendus quòd ab apponenſe libros problematum uerſos fuiſſe fuerit opinatus, qui contra reclamat: & interpretationes uarias adducit, nec interdum ſcit, quam digere potius conueniat. Veteres huic malo ſibi helleboro albo opitulabantur: quo Melãpus uates Præti regis filias furentes ſanauit, unãq; illarũ duxit in uxorem. Philoſophus trigeſſima tertia ſectione (qua de ijs quæ attinent ad nares proſequitur) poſtulat cur ſpongiarij qui ſpõgotomi à Græcis dicuntur: hoc eſt ſpongiarum ſectores: qui ſcilicet ſpongias in mari piſcantur, quas nonnulli uiuere tradiderunt: q; dum ſecantur, uideantur retrahi. Petit inquam: cur ij aurium & narium extremas particulas crebris (ut ita dixerim) ſcarificationibus ſibi diſſecare ſoleant, atq; ideo putat, quia magis ita de aere cõuellere poſſint, quo nãtes ſub gurgite, & exiſtẽtes ſub aqua plurimum indigeant: atque ad eam rem lebetem inanem magno impetu in undas impelli, ne aqua ſubeat, ut deducat illis ad imum, ſpiritum quem trahant. Interpres à uia regia declinauit, nec quicquam eſt conſecutus: auribus namq; apponi debere ſpõgias arbitratur à quibus frangãtur. Et cũ (ut Galenus refert undecimo de uſu partiũ) molles & chartilaginoſas ut flecti uitiliũ modo poſſint, aures induſtria opificis creauerit, atque concedentes, ut nec à caſſide ferrea, uel à galea quãuis nimium præmerentur: patiantur, hic à molli ſpõgiarum adhæſu friari, & diuidi illas partes temere & inepte arbitratur. Quod ut aliquã habeat rationem, cur auribus applicari debeant: ne ſcilicet humor intus dilabatur, de naſo certe dici non poteſt, cui ſi admoueantur, ne quidquã iuuare poterunt. Quin ſi ita uelit, reſpirationis munus impediẽt.

quam liberam maxime dum uerſantur in alto: efficere moliuntur.

*Particula quoque qua de ijs quæ ad nares, oculos, & aures philoſophus perqui-
rit: mihi inſignem errorem admiſiſſe apponẽſis uidetur, ut nullo farre litare, nec elue
re quoquomodo aut expiare erratum poſſit, in quodam enim problemate quo quæri
tur cur utrumq; oculum ſurſum uel deorſum, uel ad latera conuertere poſſimus, alte-
rum autem introrſum, alterum extrorſum, uel alterum ſurſum, alterum uero deor-
ſum nequeamus obuoluere, ita ſubiungit. aliqui oculum & nigrum eius præcipue ſeu
pupillam ad canthum ſeu angulum exteriorem conuertunt, ut maniaci & furioſi, alij
autem oculos demittunt (inquit) & ad angulum internum qui eſt uerſus nares, nigrũ
oculi inclinant, quod accidere ait grauibus hominibns, & ſeueris, & tragicis perſo
nis. nam tragœdi cum in ſcæna aut amphitheatro heroas uel regum antiquorum ali-
quẽ repreſentabant, ut Priamum uel Herculem, ſupra altos cothurnos ingrediẽtes:
magna uoce intonabant: & ſupercilia demittebant, & paſſibus mollibus gradieban-
tur, & oculos uulgi declinabant: ut tã uoce graui quàm geſtibus corporis, quàm tar
do inceſſu, quàm habitu grauiſſimi uiderentur: & omnibus modis exprimerent regũ
illorum magnificentiam. Vnde tragodân apud Græcos de ijs dictitatur: qui gran-
dia & magnifica, & calceo (quod aiunt) maiora: & ſeſquipedalia uerba loqueban
tur. Et atragodita, hoc eſt non tragica, propter à particulã priuatiuam dicuntur
quæcunq; humilia ſunt & tenuia. De hircinis autẽ faciebus nõ uideo qui poſſit ex-
poni, q̃ graues enim ſint hirci, ipſi uiderint, q. ſi hoc illis demus qui hircis uolunt fa-
uere, etiam non conſtabit ſibi littera philoſophi, cum non ad nares oculos uerte-
re, ſed oblique reſpicere, & tranſuerſum tueri dicantur à poeta, adeo ut excuſari non
poſſit apponẽſis, qui de hircis expoſuerit. Errãdi occaſionẽ habuiſſe interpres potuit.
q. tragicà próſopa, id eſt tragicæ perſonæ Græce ſcriptũ eſſet, quod hircina quoq;
ſignificat. Nã tragos hircus eſt, & tragici ab hirco qui antiquis tragædiarum acto
ribus præmium dabatur, dicti fuerunt. Porro illud ultimum ſit perſonam hic acci-
pi non pro larua ſeu facie ſcænica quam aſſumunt comœdi repreſentaturi, ſed pro
illis poni (quos Græce hypocritas nominant) qui mores & dicta aliorum in fabu-
lis referunt, ſed hic inhibere ſermonem: operæprecium eſt.*

*Hæc habui quæ tumultuarie nũc mihi cõſcribere licuit, nõ dubito autẽ quin ſi cẽ
ſurã acrius facere uoluiſſem, plura tanq; notha expũgerẽtur: & omnia uerubus deffi
gerẽtur: ſed nos cõniuentibus oculis multa tranſmiſimus. Forſitam aliquando curis li
berati diligentiore calamo, omnia quæ lecturos poterũt morari, expurgabimus, nũc
uero urgẽtibus alijs, quæ magis præmũt, & negotiũ faceſſunt: ad illa paſſũ cõuertã.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EM.

haberent, merito: quippe cum hoc ipſi naturæ ſponte, non ex quapiam morbida cauſa contigerit. Confeſtim igitur dictum cui minime fides adhibenda eſſet, crediderũt. Sed enim procedente tempore omnem pulſum illius defficiẽtem in uno ictu, alias ſecundum alium numerum inuenerunt. poſterius autem cum me offendiſſent, ut ex me audirent deprecati ſunt, per quas potiſſimum notas iuuenis naturam talem eſſe deprehendiſſem. quibus ego tum quàmprimis reſpondi, quod Iſocratem rhetorem retuliſſe accepi, à quodam ex diſcipulis interrogatum, ſi trium annorum ſpacio ſeſe in arte exercens: nunquid in tanto tempore de ſingulis propoſitis quæſtionibus apte & ornate dicere poſſet, quemadmodum reſpondentem uidebat Iſocratem: ita namque adoleſcenti utrum reſpondiſſe tradunt. Te quidem ô puer quàm maxime uellem: ut die una (quod rogitas) ediſcere poſſes. Ipſe autẽ (dixi) cum quàmplurimis annis me exercuiſſem: talem mihi peritiam cõparaui, alioquin (inquã) omnes quæcunque præter naturam inſunt in pulſibus differẽtias hoc libro perlecto facile uobis cognoſcere licet, erat autẽ primus liber de pulſuum differentijs omnibus cognoſcendis. Quin etiam uiam, qua uos ipſos ſubinde exercere poſſitis quattuor libris à me traditam habetis, quos uobis accipere licet, ut ſcriptas in hoc libro differentias omnes adeo calleatis: ut ex ore eas rogati dicatis. Hoc igitur opus ô Epigenes digniſſime medicæ prænotionis eſt, quẽadmodũ & quod ad acceſſionis inuaſionem pertinet, quæ circa imperatorẽ facta fuiſſe uidebatur. Cætera quæ complures medicorum admirantur: nihil porro ſimile habent, quod cum ijs comparari poſſit. Sed enim propter multorũ ignorantiam admiranda eſſe apparẽt: nõ propter ſe ipſa, cum ijs qui legitime artis opera exercuerunt, haud quaq̃ difficilem prænotionem habeant.

FINIS.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS LIBER DE ERRORIBVS PETRI APPONENSIS IN PROBLEMATIBVS ARISTOTELIS EXPONENDIS,

ad amicum præfatio.

CVM MIHI LODOVICVS NOſter ſignificaſſet utriquenoſtrum nõ uulgaris amicus, te Ariſtotelis problemata præclaris principibus legenda ſuſcepiſſe: placuit quo tibi rem gratam faciã (quod maxime cupio) aliquos apponenſis errores qui eos libros commẽtatus eſt, tibi præſenti epiſtola conſcribere: ut minus uiri auctoritas quæ aliquibus impoſturam facere poßet: falleret, & erroris anſam præberet, ſed minus ei fidei haberes: qui tam inſigniter aberrarit, is enim cum Ariſtotelem exponendũ ſumpſiſſet: non recte intellexit: nec quod promiſit ſatis præſtare potuit, tum antiquæ tralationis uitio, tum quia Ariſtotelis breuiloquẽtiam conſequi non cuiuſuis eſt, ſed difficile nimis & operoſum. Quia uero tecum uiro doctißimo mihi ſermo eſt: cui uel breuis ſermo ſufficiat, atque etiam num occupatiſſimo, quem longis uerborum ambagibus impedire & tenere non decet, ideo locum dumtaxat ſignificaſſe, & rem nutu atque digito (quod aiunt) indicaſſe ſat erit.

Quærit Ariſtoteles quarta problematum particula cur homo ſui corporis proportione plurimũ ſeminis emittat in concubitu, atq; id eſſe in cauſa ait quòd minus cibos conficiat, atque peruincat, quod uel ſatis fœtor excrementorum indicat, quæ in alijs animalibus nullius grauis ſunt odoris, atque ideo magis de ſuperfluo congerere, quod coitibus excernatur: at conciliator putat ab Ariſtotele dici hominem minus habere laboris in coquendo alimento, atque ideo contra omnem rationem aſtruit, hominem melius alimoniam concoquere, cum experientia atteſtetur contrarium, nam alia animantia cruda eſitant, homo uel cõdimentis læditur.

In eadem particula Ariſtoteles quærit: cur homines qui habent ixias non ſunt generatiui. Quidam per ixias uarices intelligunt. Sunt quibus hoc non placeat, quia multos uaricoſos fieri dicãt, quibus multi fuerint liberi, ut apud Plutarchũ de

licet hominum tu uentres pertentas:atque manibus palpandos iubes, ut ſic umbilicus ſubaſper ne,an leuior ſit, dignoſcas. Sed ſcio quid uirum fefellit: putauit ſcilicet cum umbilicum audiuit, ad hominum umbilicos uocem fore referendam: nec ſcire potuit,nedum hominis: ſed & telluris, & orbis, & libri ac denique cuiuſcunque rei medium umbilicum uocari, & etiã regiones aliquas à poetis dici umbilicoſas. Sed uenia danda quia minus frequens in bonis auctoribus erat.

Pari errore egregius interpres in Ariſtotelis perpulchro quodam alio exponendo problemate falſus eſt. percunctatur enim philoſophus cur ſit, quòd animantia quæ manuum ſciſſuras per totum habent porrectas: ſint uitæ longioris, quo in loco elegantiſſimus, & curioſiſſimus naturæ perſcrutator ſentit illa animantia uiuaciora eſſe: quæ magis ſint dearticulata, & maiorem obtinent particularum organizationem & diſtinctionem: atque eam ob rem hominem idẽ animal longæuum appellat: quia (ut quodam loco recenſet) ſit ſumme compoſitus, & poſtremus eorum quæ poſſunt componi. anſeres contra & anates, & quæ manus non habent diſtentas & diuiſas in digitos, ſed compaginatas, & in unam connexionem complicatas, quin & homines ſi qui naſcantur digitis connexis, ſibique adhæreſcentibus, breuiori tempore uitam extendere. Interpres problema de lineis per manus productis dici credit, atque ex philoſopho chiromanticum nobis Ariſtotelem facit, qui (puto) eas irriſerit ſemper uanitates, & hiſtrionum circulatorumque commenta exiſtimauerit, ut qui nunq̃ cum tot ſcripſerit, huiuſce rei mentionem feciſſe reperiatur, quam ſi uel aſſis faceret, aliquando commemoraſſet. Noſter autẽ ſubtiliſſimus interpres, cum Ariſtoteles de diuiſione manuum fuerit locutus: etiam ex illis delineationibus fata & annos uitæ exiſtimat poſſe præuideri. Verum nullos bonos habet iſta profeſſio auctores: nulliſque rationibus iſta dogmata fundantur. Ignauiſſimi quidam dumtaxat, & omnium bonarum litterarum inexpertiſſimi, lucri cupiditate moti: quo ars maiori in prætio foret, ſi præceptis iſta continerentur: talia ſcriptis prodere nugamenta ſunt auſi, quos ſepiſſime ſi deprehendere uelis, mentitos offẽdes: dum nunquam non aliter contingit: quàm uaniſſimi iſti diuinaculi futura prædixerant. Et nunc tantum non quidam profugi atque patria extorres (qui ſeſe Ægyptios appellant) hanc uanitatem profitentur: quo ſibi miſerum faciant, & comparent lucellum.

Vigeſſima (ni me animus fallit) problematum ſectione Ariſtoteles quærit, cur ruta in arbore ficu conſita: lætior & auctior proueniat, quod & Theophraſtus, & qui materiam medicam conſcribunt, memoriæ prodiderunt. Interpres non quæ in ſtipite uel ramis ficulneæ inſeratur: ſed iuxta ſatam eam eſſe quæ felicius

enaſcatur, intelligit.

Rurſus perquirit philoſophus, cur ruta ad ueneficia & faſcinum pellendum ualeat, & incãtationes pellere credatur: atq; ideo ſic fieri exiſtimat, quia qui faſcinari ſe arbitrantur: ut nõ niſi prægustatos cibos aſſumant: & omnia ſuſpicantur, multum de ſpiritu flatuoſo una cum eſca conuellant: qui à ruta diſcutiatur, unde & ciborum faciat appetentias: & ſuſpitionem ex animo tollat, ut nihil mali ſubeſſe ſuſpicentur: & melius concoquant. at interpres quàm labitur? qui rutã ab Ariſtotele odioſam pharmaciam dici putat: atq; ei falſo tribuit, ꝙ faſtidia efficiat, & abominationem, cùm tamen diſſipet, & diſcutiat flatus, & tormina ſedet, & hac præſumpta innocentius homines cibis utantur: diſcuſſo ſcilicet atq; digeſto omni eo quod nocere poſſet, & præmandi eam auctores iubeant: ne crapula, & uini plurimus hauſtus noceat. Sic apponenſis herbam ſalutarem adeo, ut in prouerbiũ abierit, pro noxia propinat, & quæ de ea ſummus philoſophus remedia atteſtatur: in uitiũ cõuertit, decepit cum quia ignorauit pharmaciã nõ ſolũ pro ſolutorio medicamẽto capi, ſed & ueneficiũ ſignare apud Græcos, unde & pharmacis uenefica apud Lucianũ, & Theocritus eglogã qua pertrahi ab amica magicis præſtigijs paſtorẽ amatũ qui aberat introducit, pharmaceutriã uocauit, quod Maro in alphæſibeo facit, atque id tam cõmune eſt apud Græcos ut paſſim ſic uſurpent.

Indagat præterea Ariſtoteles cur ſi quis cucumeres ſub terra defoderit, & panicum ſeu miliaceum ſemen radicibus circũoperiens fuderit, maiores euadant, & lõgiores. Interpres ſtercore ſordidandas, & ſpargendas radices ex Ariſtotelis doctrina tradit, ego hactenus neminem legi, qui ſtercorari arbores, nedum pepones ſcripſerit. Veteres etiam (q̃uis Homerus huiuſce rationis colendi agros meminiſſe dicatur) nunq̃ fimo obduci arua præcipiũt, quo iactæ ſegetes uberius oriãtur. Heſiodus rei ruſticæ diligentiſſimus ſcriptor (quẽ noſtri ſunt emulati) q̃uis copioſiſſime omnia quæ ſcire cõueniat colonũ, conſcripſerit, nunquã ſtercorandam tellurẽ iubet, ut qui forſam putauerit, minus ſalubres eſſe fruges, quæ fimi pinguitudine alãtur. Maluit fundi dominum potius fraudari quàm uitam.

Vbi de uentis agitat philoſophus rogat, cur in archadia quæ regio excelſa eſt, & in edito loco poſita, minus uẽti frigidiores ſint cum ſudum eſt, ſed cũ nubila conſiſtunt, tum frigora augeãtur: quo tẽpore aliæ ſolent tepeſcere, cũ qua parte montiũ cacumina uẽti perflant, ibi rigores eſſe ſoleant, affertq; cauſam, quia halitus qui è tellure emergit, & eleuatur, frigeat ſuapte natura, quẽ uenti propellentes, frigora quoq; depellant, ſed cũ uentorum flatus quieuerint, & ſileat cælum: & halitus illi nõ diſſipati permanſerunt, aera refrigerent. Interpres præter quàm ꝙ ex archadia

Cretam facit, ipſe potius Cretenſis: qui mentiri ſic pergat, nec cælum, nec terram (quod aiunt) ſua expōne attingit, & toto (ut fertur) cælo aberrauit, prout ſi in eius expoſitiones incidas, ridebis.

Præcedente quoq; problemate non minus itē fallitur, in quo quærit philoſophus, cur hyeme uentos nautis det terra ſecundos, marinos autem aduerſos, per æſtatem contra uentos à mari ſpirantes commodos experiantur, ſeuos autem qui à tellure perflant, quos apogæos Græci uocarunt, adducitque ad hoc propoſitum ſententiā antiquorum quæ in uulgi ore tunc uerſaretur. atque ſic diluit quia in hyeme uigeat in mari calor: qui diſcutiat flatus, quare aut nulli conſiſtent, aut ſi flare pergant, magnū principium eſſe indicatur, unde uenti ualidiſſimi erumpant. Per æſtatē uero terra caleſcit, mare autem frigidius tunc eſt, quàm per hyemes ſit, quare nulli ex tellure uenti procedent, aut forti principio cōſiſtente. Simili ratione qua dicunt medici febres ſenibus acutas nō contingere, quibus ſi capiantur, emori, atq; neci dare manus. Vbi profecto ſatis mirari nequeo cur Ariſtotelis pronuntiationē non admodum difficilem (per Iouem) ſenſum obtinētē capere ſatis non potuit, quem ſi legas: ad cachinnos, & ſannas (ſat ſcio) moueberis, & compelleris.

Quarta particula qua philoſophus de uenereis pertractat: non perferendos quoque errores noſter commiſit interpres, nā in quodam eiuſce particulæ problemate, in quo quæritur, cur iuuenes ubi uenerem exercere incipiunt, grauē ex ſeſe odorē emittant, quod hircire uocant. Interpres quia hircire quid eſſet ignorauit, quod ab Ariſtotele pronuntiatum eſt generaliter, ad inguinum fetorem, & alarum retulit. Eſt autem tam generalis apud Græcos, & Theophraſtum præcipue ea uox, ut non ſolum de hominibus dicatur, ſed ad plantas & herbas etiam transferatur tragos id eſt hircus nardo (ut Dioſcorides ait) ſimilis herba dicitur, quia uiroſum hirci odorē referat. adoleſcentes tunc primū hircire dicūtur, cū primū ad annos uenerint pubertatis quibus cōcumbere poſſe incipiunt. Vites quoque & arbores hircorum uitium pati, hircireue aſſerunt (quod tragân Græci uocant) quādo frondibus folijſque potius, quàm fructu luxuriant.

Sequenti problemate petit Ariſtoteles, cur æſtate fœminæ, uiri autē per hyemē Veneris ſint appetētiores. Interpres multa de coluris circulis inepte philoſophatur, cū nūquam philoſophus colurorū meminerit, ſed Heſiodicum carmen adducat, quo loco de ſcolymo hoc eſt carduo quo tempore floreat, pertractat, ubi is eandem ſententiam protulit.

Nec minori errore eſt deceptus in problemate quo quæritur: cur ſpadones nō habeāt ixias, hoc eſt uarices. nā coxendicis morbo nunquam laborare exectis teſtibus

Eunuchos dici ab Ariſtotele arbitratur, errãdi anſam præbuit ixiæ uox in iſchia temere librariorum uitio tranſmutata. Nam antiquus problematũ uerſor cũ ixias crurum uarices apud Græcos ſignificare ignoraret, nomen prout erat, reponens integrum reliquit legentibus: quærere quid eſſent.

Eadẽ particula quarta philoſophus proponit cur qui robuſti ualidiq; ſunt, & multũ colligunt de excremẽto ſeminali, ſi abſtineãt à coitu grauiter oleant, & in cauſæ reditione quorũdã ait genituram ita male olere, ut piſcium lauamẽtũ, ſeu piſcinarũ ubi piſces lauantur graueolentiam uirus genitale redoleat. Vetus expoſitor pro gonè, id eſt genitura ſeu ſemen, gynæ, id eſt fœmina in Græco exẽplari uidetur habuiſſe, unde ſic cõuertit. Quãobrẽ quibuſdã uẽtoſorum piſciũ plynthrũ olet mulier. Plynthrũ Græca uox eſt, lauamẽtũ ſeu locũ ubi lauare cõſueuerũt, interpretari poſſis, quam intactam omiſit. Pneumatici uero ſeu ſpirituoſi quos uetus tralatio uentoſos conuertit, ij ſunt qui multo ſemine & ſpiritu flatuoſo abundant, quales melãcholici, quos Ariſto. mulieroſos eſſe diffiniuit. Totũ autẽ illud uentoſorũ piſciũ diſiunctim & nõ cõiunctim debet legi, ut ſit ſenſus quibuſdã qui flatibus abundãt, geniturã olere aquã in qua loti ſunt piſces. Sed cũ apponẽſis cõiũgat, debuit in præcelſũ thronũ conſcẽdẽs, nos docere, quos uẽtoſos piſces appellet ipſe, cũ nos nunquã hoc didicerimus. Nũquid edunt piſces bõbos & ſtrepitus ut apes: & ſub aqua exiſtẽtes uẽtos cient & tẽpeſtates? Sed quid dicat deinde operæpretiũ eſt uidere, adeo (inquit) quibuſdã ſemine turgẽtibus corpus male exhalat, ut uentoſorũ piſciũ mulier peſſime nõnũquã exoleat, quo me uertã: aut quid primũ carpã: quidue poſtremũ non habeo dicere, nã cũ de uiris ſermo ageretur: quorſum tã ſubitus fit iſte tranſitus ad piſces: tanq; ab equis ad aſinos (ut aiunt) aut cur non potius in fœminis uirorũ exemplum dabatur accommodatius, quæ mephytes illas ex ſeſe emittant. Nã mulier (ut Plautus inquit) tunc bene olet, quando non male olet. Deinde hoc ne fœminæ in mari patiũtur, & nõ ipſi etiam mares: quos magis rationi cõſentaneum eſt peius olere, quod in uiris cõſpicimus, qui humeſcũt, & calẽt, ut qui multo ſanguine abundãt. Iam uero mulier latine & gynæ Græce nõ niſi de homine dicũtur, nã Græci cũ fœminas piſciũ uel aliorum animalium ſignificare uolunt, tòthely, id eſt fœminam appellant, Plynthrum autem id eſt lauaturam quam redolent qui multo ſemine non excreto ſcatẽt, uocem ſcilicet Græcã cum nõ intellexiſset, tripliciter exponit, uel pro publica, uel pro pollutione, uel pro polypode, ita ut triplex ſenſus litteræ reddatur. Primus unde (inquit) uẽtoſorũ piſciũ fœmina: ut publica olet mulier. ſecundus iſte. quãobrem uẽtoſorũ piſcium fœmina polluta & cõſperſa ſemine maſculi male olet. tertius iſte quapropter uẽtoſorũ piſcium fœminæ, ut polypi grauiter olẽt. Hæc eſt ignorantiæ

fœcunditas, hæ ſunt graues huius expoſitiones: quas propter omnia uadimonia relin-
quas: & mare traijtias, ſed nō plus hūc uirū urgeamus, nō enim nobis propoſitū eſt,
ex inſectatione aliorū: ſed ex proprijs inuentis laudē et famā quærere, ne ſi nimis re-
prehēſionibus inſiſtamus, libidine carpendi, nō ueritatis amore duci uideamur.

Sed attende q̃ ridicule (ne ruditer dixerim) decimæ particulæ problema pulcher
rimū deprauauerit, ut ſecū animus cogitet, qua nā tandē ratione iſte motus ad expoſi
tionē hāc tot ſcatētē erroribus ſe cōuerterit. Quærit enim philoſophus cur alij gran
diori corporis ſtatura, alij pumili & nani gignātur, atq; reſpōdet ꝙ quādo ita loci
anguſtia & coarctatio hoc faciūt, ut ſcilicet uterus magis ſit in latū porrectus: q̃ in
altū, lineæq; rectæ in curuas flectantur: ita ut præmat, & ſubigat ipſos conceptus:
tunc pygmei oriūtur & procreantur, qui ſcilicet & profunditate, & latitudine pa
rētū conſtēt, ſed tamē omnino ſint parui. Perinde ac facies in tabernis depictæ quæ
propter portarū anguſtū ſpatiū, magnæ fieri nō poſſūt, ſed uidentur capite inclina-
to ingrediētes ſalutare. Et tāquā colūnarū extremæ partes: quibus domus ipſæ fulci-
untur, quæ ut trabes & tabulata ſuſtinere uideātur: depreſſo uertice atque faſtigio
figurari cōſueuerūt. Vnde & hac (inquit) ratione qui catulos, uel alia animalia mi
nus magnitudine uolūt proficere: caueis anguſtis, cortibuſq; educant, & includunt.
Superaddit philoſophus ꝙ quādo nō locus: ſed inopia alimēti in cauſa paruitatis eſt,
tunc etiā ſi paruos mēbris, tamē debita proportione cōformatos generari, ita ut triū
dimenſionum una alteram nō excedat, nec lati magis quàm longi, aut immodice pro-
fundi & craſſiuſculi producantur. Nam duplices nanos conſpicias: quoſdam (qui ſi
prægrande caput, & latitudinem frontis, & amplam faciem attendas, & corpu-
lētiam, amplitudinemque membrorum) uiri uideri poſſint, cum tamen cubito inter-
dum non ſint maiores, alios autem particulis, & mēbris ita minutulis conſtare uide-
as: & pro rata portione compactos: ut infantulos exiſtimes: ſi annos non noueris:
aut frontem rugis contractam. atq; hos ſic tales euadere ait philoſophus, quòd non
ut locus, ita & natura ſe habeat, ſed iuſtis paribuſque portionibus omnibus parti-
culis diſpenſet, atque diſtribuat alimenta. Huius uero generis eſſe inquit catulos
Melitenſes. Eſt Melite inſula (ut auctor eſt Stephanus) inter Epirum & Ita-
liā, unde fuerint dicti. horum meminit & æſopus, & Lucianus in dialogo ubi agit
de philoſophis qui diuitum domos precio ſequuntur, cuius hic uerba apponam. Res
(inquit) ridicula omnino erat catulus extra ueſtem proſpiciens parū ſub barbā, &
mingens ſepius, & ululans, latranſq; quid tenue, tales enim ſunt Melitenſes, & lam-
bens interdum mentū philoſophi: & præcipue ſi aliquid de iure heſterno barbæ ad-
hærens remanſiſſet. Plato quoque octauo de republica canum meminit, quæ ſimiles

ac dominæ euadant. Hos Melitenſes catulos matronæ Romanæ alebant, ad lætitiam dumtaxat, ut pote qui caudam ſuccutientes molliter blandirentur: & palpos obtruderent, manuſque ſuauiter lingerent, nec interim morderent, fouebant hos diuites fœminæ (ut dicebã) & in ſinu habere, atq; gremio ſolebãt, adeo ut interea in ulnis dominarũ grauidæ parerent, non minus autem hos procurabant: & in delitijs habebãt, quàm Romani puſiones ſuos, quos delitias dominorũ appellabant. Deniq; Melitæos hos catulos nullus cynas, ſed cynidia diminutionis uocabulo nuncupat. Porro Melitæa catella de ijs dici adagio conſueuit: qui genio indulgeãt, & delicatã uitam agant, erant autem nimis blanduli: & adulatoria quadã aſſentatione prædulces. Sermo etiam Mileſius pro molli & diffluente, ueſtiſq; Mileſia ſeu chlamys pro luxurioſa, & delicata, inhoneſtaq; accipitur. Deniq; paulo humanior eſt nullus qui Melitæos hos catulos apud auctores non legerit. Ignorabat ſane humaniores litteras apponenſis, qui Melitæos catulos id eſt militares interpretatur, quos milites ſcilicet ſoleant ad uenationes alere: quod cum legiſſem, euge (inquam) ô facilitatem, ô expoſitionem acutam quæ auro includi mereatur: ô ſagacem, ſubtileḿq; interpretem qui talia cõminiſcatur cõmenta: immo uero doleo uicem tuam Ariſtoteles: quod tui libri ſubtiliſſimi tales aut nõ multũ meliores interpres habeãt: ſortitiq; fuerint, nam (ut ſerio agã cũ hoc uiro) quid cani cũ balneo? quid rurſus cũ canibus militi cui ſemper mens eſt in armis? ego neſcio quibus cũ canibus ipſe uenaretur: certe Ariſtotelis ſentẽtiã nõ eſt uenatus. Parũq; præterea in uenationibus ſe exercitatũ demõſtrat: cũ catulos ad uenationem admittat: nam uenaticũ canũ genus: prægrandi corpore eſt, ut Ariſto. refert, quales ſunt moloſſi. Græci tria canũ genera fecerũt: quoſdã ichneutás uocãt: quod ueſtigia ferarũ ſagaciter odorẽtur: alios œcurós, id eſt domeſticos dicũt: ſeruãdis ſcilicet domibus aptos: tertios Melitæos quos domi uoluptatis cauſa nutriebãt. Notandum poſtremo eſt aliam eſſe Thaletis Mileſij (qui primus urſam minorẽ inuenit) patriã Mileton: aliã autẽ inſulã Meliten. Mileſij enim á Phœnicibus oriundi erant: & Miletos Phœnicum colonia: ut Theon aſſerit in cõmẽtarijs ſuper aratũ. Melite autẽ (ut Stephanus auctor eſt) inſula eſt inter Epiron & Italiã, unde illi canes dicti fuerunt.

Philoſophus particula qua de ijs agit: quæ mathematicam diſciplinam cõcernũt: interrogat quare linea de angulo ad angulum ducta ſola dimetiens appelletur: atque aſſignat pro cauſa quod figuram nõ corrũpat: quod aliæ lineæ faciunt. ego litterã affirmatiue lego, ut ſit ſenſus: quod diameter figuram deſtruat. Nã tetragonũ in duo trigona diſpartitur, quod aliæ lineæ rectæ á latere ductæ in latus nõ efficiunt. nam remanet ſemper figuræ genus quadratũ. Vel ſic intelligo figuram non corrumpi á diame

tro,quia qua anguli biant,iã diuiſa quodã modo ſit. Sicut igitur nõ dicitur diſcerpere carnes coquus: qui per articulos ſecat, nec chironomus culpatur, qui prius oſſiũ iũcturas frangit,nec fores confringere qui aperit qua patet ſciſſura. Sic nec linea ducta per angulos oppoſitos figurã deſtruere debet putari: quia ea parte diuidit qua anguli interbiant, & ueluti debiſcũt,& figura quodã modo aperiri uidetur. Vaſa uero militaria(de quibus Ariſt.mẽtionẽ facit)fuiſſe opinor ex multis particulis cõſtituta,& ferruminata:quæ diſiungi poſſent,& rurſus (cũ uſus poſceret) cõnexæ poculi ſpeciẽ præberent,ſicuti nunc abacos, & mẽſas,& ſellulas factitãt artifices, & architecti,quibus ad uitandã ſarcinã in itineribus lõgis utuntur, quãdo autẽ ad hoſpitiũ uẽtum eſt,explicãt ſingula:& iuncturis coaptãt: & in proprijs armonijs coagmẽtãt:cũ uero abeundũ eſt colligũt,& dirimũt cõpagem:inq; unum faſcem cõponũt,quo melius portari poſſint. De huius modi autẽ uaſorũ genere quibus milites uterẽtur,apud nullũ idoneũ ſcriptorẽ hactenus me legiſſe memini:prӕterꝗ; apud unũ Plutarchũ,qui in Lycurgo cothonis Laconici meminit. Potoriũ id erat uas quod ad militias multum probaretur:eo ꝗ multos ambones,id eſt ſupereminentias & aſperitates,& uerrucas(ut ita dixerĩ) obtineret: quibus limus illiſus adhæreſceret,& aqua percolaretur:adeo ut nitidiſſima,& limpida appareret:detẽta in illis eminentijs ſeu collibus omni alga quæ aquã turbidã uideri faceret. Poſſet etiã alius eſſe litteræ ſenſus:ut ſcilicet diceretur figura nõ corrũpi à linea diagonali,quia adhuc bina utrinq; latera retinet:ex quibus uno in alterum ducto figura tota reſultat. apponenſis lineã per angulos protractã,figurã nõ corrumpere arbitratur:quia figurã ueluti copulet:& robur ei afferat,ſi ex angulo ad angulum oppoſitum ducatur. Vnde (inquit)in tectis domorum fabri trabẽ producunt ex angulo ad angulum,qua ueluti diſiunctos parietes cõnectãt,& ſtabilius opus effitiãt. Quin & auri (inquit fuſores in coronis regũ,aut deorum bracteas quaſdam aureas, & fimbrias producũt ex diuerſis partibus,quo nectãt opus firmiuſq; euadat. Hæc eſt apponenſis expoſitio quæ quãtum habeat erroris, nullus(opinor)dubitabit:nec putabit cauſam quam reddit, Ariſtotele dignam, qui fuerit totius matheſeos peritiſſimus, ut omnibus dubium eſſe nõ poteſt qui illius libros linealibus demõſtrationibus & mathematica doctrina refertos uel ſemel tantum lectitauerit.

Nec Theodori tralatio uitijs omnino caret. uigeſſimo problematum ſegmẽto philoſophus diſquirit cur ex radicibus, germinibuſq; terræ hoĩes alia cruda deuorẽt: alia niſi coctione mollita non edant. Interpres latius ampliauit:ꝗ; deceret. Cur (inquit) eorum quæ terra gignit:alia cocta,alia cruda in cibos ueniant, in quo non eſt ut quis eum excuſet. Nõ enim omniũ quæ è tellure prodeũt:hominibus eſt alimẽtum:nec hoc

philoſophus abſolute enuntiauit, ſed pròs tà phytà, hoc eſt ad plantas rem cōſtrinxit, nec belleborum quis, aut agaricū: aut ſcāmoniū, aut caſtoreum, aut altercum, aut mandragoram, aut duris armatos aculeos & ſpinis carduos: & alias id genus noxias & lætales herbas: quas tellus alma educat: ſed neq; aurū, atq; argētum, terræque metalla: uel arbores etiam ipſas quis crudas uel coctas eſitat, ſed herbarū, fruticū, & radicum molles cauliculos: partim alia quidem (ut comedāt) boües coctura præmolliunt, alia autē per aſſationem domant: alia nuper lecta, recenterque decerpta, abſque ullo artis apparatu in epulas dulces accipiunt.

Quærit quoq; philoſophus cur Peſa lacus lauare ueſtes & abſtergere poſſit, cum dulciū aquarum fontes lauare ſint nati: at amari latices abſtergāt. Quo in loco uult non omne quod amarum ſit, abſtergere: ſed id quod ceu quodam glutino uiſcoſitate participat & coniunctum eſt, nāq; lentor adhærere facit, at ſapor amarus ingrediens perpurgat: quod in illo ait lacu cōtingere. Interpres quod unius lacus proprium eſt, uniuerſaliter accepit, quem rogemus, nunquid omnes lacus abſtergere, & lauare ſorditiem ueſtium putet: quod ſi dicat, negabunt protinus fullones (quibus in hac parte maior fides adhibenda eſt) ueſteſque in lacus coniectas ſordidari: & maculis lutoque conſpergi, uel deierando aſſeuerabunt.

Vigeſſima nona particula philoſophorū maximus interrogat, cur in iudicijs cū ſiſtitur reus: ad dextrā prætoris iudicis ue collocetur: duasq; affert rationes: alterā, ut fauoris aliquid parti inferiori tribuant, & ut reus quodam modo aduerſario exæquetur, poſtremam quia rei ut plurimū cauere conſueuerunt, hoc eſt obiectis reſpondere: & inimicorum calumnijs qui illos accuſant, & criminantur: quod melius facere poterunt, ſi reus ora teneat iudicis, & iudex uiciſſim pendētē lingua reum cōſpexerit. Nāq; oculos, & aures, mentemque magis ad dexteram obuertere ſolemus, & nos etiam melioribus quos honore afficere uolumus, honoris cauſa dextrā in deambulationibus damus. & filius apud patrem æternū à dextris ſedere iubetur, donec hoſtes in ſtrata pedum ponantur: ſed nihil horum apponenſis animaduertit. Nulla enim cura eſt Hippoclidæ.

Non multo poſt philoſophus petit cur maiore in laude ponatur, ſi quis hoibus uita functis opem ferat, quàm uiuētibus, & rationem aſſignat, quia alteri tueri ſe poſſunt, alteri nequeunt refellere, nec redarguere quæ in illos quis inuidia motus falſa uel maledicta congeſſerit. Quamobrem antiqui manes ſacros putabant, & nō minus nephas ab eo cōmitti qui mortuo maledixiſſet, q̄ qui diuos uiolaſſet, & cū mortuorum umbris non niſi laruas luctari aiebant, non autem homines. Et ſummo dedecore ſi quando Græci quēpiā afficere uellent, tymborychon appellabāt, hoc eſt qui

mortuorum thecas, & loculos, buſtaque defoderent. Noſter apponenſis ſic interpretatur. Cur magis cupimus diuitias cum conſenuimus, nobis ſupereſſe: quàm dum integram ætatẽ agimus. Quid alij uel ipſe cuperent ignoro, ego contra ſentio, malim enim iuueni mihi opes quibus uterer, affatim ſupereſſe: ſeni uero non adeo has immodicas adeſſe mihi opes, ualde exoptem, quibus nec uti poßem, & ingrato relinquerem hæredi, qui multis annis congeſta nepotationibus exhauriret, atq; diſſiparet. Vnde lepidiſſimus Græcus poeta ꝙ iuuenis fuißet pauper, ſenex autem eſſet diues effectus: edito epigrammate ſe omnium miſerrimũ exclamauit. Nã quis me eſt (inquit) in omni ſorte miſerior? qui quando uti poteram, egebam: nunc quando uti non datur, opes affatim ſuppetunt. Seni (me quidem iudice) uinum & maßa abunde ſufficiunt, quæ ſenem iubeant uel inuitum ſaltare. Nãq; (ut parœmia ait) uiro ſeneſcenti maxilla pro baculo eſt, plurimique eorum ſenectã aquilæ peragunt: ut qui potu magis quàm eſcis alãtur. Iuuenibus utiles ſunt opes ad res arduas gerendas: nam plæriſque obſtitit paupertas ne grandia aggrederentur: & multis ne emergerẽt, fuit in cauſa rei familiaris inopia, & anguſtia quæ impedimentum attulit.

Non minus doctus Theodorus eſt lapſus in uertẽdo primo trigeßimæ particulæ problemate, ut non iniuria hominem egregie doctum admiremur, ꝙ tam infeliciter in ea parte ſe habuerit. Quærit enim ſollertiſſimus naturæ indagator, & interpres: cur omnes qui ingenio claruerunt, uel in adminiſtranda republica, uel pangendo carmine, uel legibus (quibus homines uiuant) cõdendis, præclari & præſtantes fuerunt: atra bile laborauerint? profertq; mox exempla philoſophus heroum illorum quos Græcia concelebrat, & multorum aliorum, ut ijs tanq̃ teſtimonijs uerũ eße propoſitum oſtendat. Et imprimis Herculem adducit: quem uitijs atræ bilis laboraſſe ex eo comprobat, quia ſacer morbus hoc eſt comitialis Herculanus ab eo dictus ſit, & quòd atræ huius bilis furijs agitatus natos interemerit (nã talẽ quandã atræ bilis ſpeciẽ etiam medici prodũt, quã ſærinã appellãt, eo ꝙ hoĩes ſæros & immanes faciat) & quia ante mortẽ ulceribus tetris per cutem erumpentibus: & peſſima pſora fuerit deturpatus, quæ uitia ab atra bile ortum trahere certum eſt. Mox philoſophus alios recenſet quibus ulcera & puſtulæ ante obitũ in corpore ſimili modo effloruerint. Interpres quod ad Herculis liberos occiſos attinet: & ulcerum eruptionem quæ mortem præceſſit (unde forte obijße ſit dictus induta tunica Neßi cẽtauri intincta ſanguine) ad hunc modum peruertit. Quin & pucrormm mentis motio hoc indicat, & ulcerum eruptio, quæ ſepenumero mortem præcedere conſueuit. in quo manifeſtius errauit, quàm ut quis illi audeat ferre ſuppetias. Nã quid de puerorum morbis inter medios heroas meminiße oportebat? aut quæ nam ætas mi-

quam liberam maxime dum uerſantur in alto: efficere moliuntur.

Particula quoque qua de ijs quæ ad nares, oculos, & aures philoſophus perquirit: mihi inſignem errorem admiſiſſe apponẽſis uidetur, ut nullo farre litare, nec eluere quoquomodo aut expiare erratum poſſit, in quodam enim problemate quo quæritur cur utrumq; oculum ſurſum uel deorſum, uel ad latera conuertere poſſimus, alterum autem introrſum, alterum extrorſum, uel alterum ſurſum, alterum uero deorſum nequeamus obuoluere, ita ſubiungit. aliqui oculum & nigrum eius præcipue ſeu pupillam ad canthum ſeu angulum exteriorem conuertunt, ut maniaci & furioſi, alij autem oculos demittunt (inquit) & ad angulum internum qui eſt uerſus nares, nigrũ oculi inclinant, quod accidere ait grauibus hominibns, & ſeueris, & tragicis perſonis. nam tragœdi cum in ſcæna aut amphitheatro heroas uel regum antiquorum aliquẽ repreſentabant, ut Priamum uel Herculem, ſupra altos cothurnos ingrediẽtes: magna uoce intonabant: & ſupercilia demittebant, & paſſibus mollibus gradiebantur, & oculos uulgi declinabant: ut tã uoce graui quàm geſtibus corporis, quàm tardo inceſſu, quàm habitu grauiſſimi uiderentur: & omnibus modis exprimerent regũ illorum magnificentiam. Vnde tragodân apud Græcos de ijs dictitatur: qui grandia & magnifica, & calceo (quod aiunt) maiora: & ſeſquipedalia uerba loquebantur. Et atragodita, hoc eſt non tragica, propter à particulã priuatiuam dicuntur quæcunq; humilia ſunt & tenuia. De hircinis autẽ faciebus nõ uideo qui poſſit exponi, ꝙ graues enim ſint hirci, ipſi uiderint, ꝙ ſi hoc illis demus qui hircis uolunt fauere, etiam non conſtabit ſibi littera philoſophi, cum non ad nares oculos uertere, ſed oblique reſpicere, & tranſuerſum tueri dicantur à poeta, adeo ut excuſari non poſſit apponẽſis, qui de hircis expoſuerit. Errãdi occaſionẽ habuiſſe interpres potuit. ꝙ tragicà próſopa, id eſt tragicæ perſonæ Græce ſcriptũ eſſet, quod hircina quoq; ſignificat. Nã tragos hircus eſt, & tragici ab hirco qui antiquis tragædiarum actoribus præmium dabatur, dicti fuerunt. Porro illud ultimum ſit perſonam hic accipi non pro larua ſeu facie ſcænica quam aſſumunt comœdi repreſentaturi, ſed pro illis poni (quos Græce hypocritas nominant) qui mores & dicta aliorum in fabulis referunt, ſed hic inhibere ſermonem: operæprecium eſt.

Hæc habui quæ tumultuarie nũc mihi cõſcribere licuit, nõ dubito autẽ quin ſi cẽſurã acrius facere uoluiſſem, plura tanq; notha expũgerẽtur: & omnia uerubus deffigerẽtur: ſed nos cõniuentibus oculis multa tranſmiſimus. Forſitam aliquando curis liberati diligentiore calamo, omnia quæ lecturos poterũt morari, expurgabimus, nũc uero urgẽtibus alijs, quæ magis præmũt, & negotiũ faceſſunt: ad illa paſſũ cõuertã.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROM.

Regiſtrum operis.

A B C D E F G H I K L M N O P.
omnes ſunt quaterni præter O & P qui ſunt terni.

IMPRESSA FVERVNT HAEC
*OPERA ANTONII LODOVICI MEDICI
OLYSSIPPONENSIS, IN QVIBVS
MAXIMA ET OPTIMA PARS
MEDICINAE TOTIVS, ET
OMNINO DOCTRI-
NA EXQVISI-
TISSIMA ET
REMOTI-
OR
EX GALENI LIBRORVM IMMENSO THE-
SAVRO VNDIQVE CONGESTA CONTI-
NETVR, APVD LODOVICVM ROTO-
RIGIVM TYPOGRAPHVM, AN-
NO DOMINI M. D. XL.
MENSIS APRILIS, DIE DECI-
MAQVINTA IN SEM-
PER AVGVSTA
VRBE*
OLYSSIPPONE.

Digito compeſce labellum.

Melior eſt ſapientia quàm uaſa bellica.



Nullus propheta ſine honore, niſi in patria ſua.

Occupatis nihil ſcribo meum.